Graham Shaw,
1909

PHILOSOPHIÆ LEIBNITIANÆ ET WOLFIANÆ VSVS IN THEOLOGIA,

PER
PRÆCIPVA FIDEI CAPITA.

TOMVS SECVNDVS.

VBI
DOCTRINA DE PRÆDESTINATIONE
VBERIVS EXPLICATVR,

AVCTORE
ISRAELE THEOPH. CANZIO,
LOG. & METAPH. PROF. P. O. IN VNI-
VERS. TVBING.

FRANCOFVRTI & LIPSIÆ,
IN OFFICINA BERGERIANA.
A. MDCCXXXIX.

PRÆFATIO.

VEteri more receptum eſt. ut librorum Auctores, prævio diſcurſu, lectorem edoceant, quid ſe maxime aſſecutos arbitrentur: ego, dum hæc in lucem exire publicam patior, magis haberem in promtu, quid non præſtiterim, nec præſtare potuerim, ob varios rerum externarum concurſus, enarrare, quàm quid præſtiterim? Quænam illa ſint impedimenta, diſſerere pluribus, & à mea pietate, & ab hoc loco alienum eſt.

Doctrinam de electione ac reprobatione fui perſecutus, ſubjunctis aliis quibusdam, in varia Theologiæ capita, meditationibus, exſiccato, multorum, ni fallor, dubiorum, quæ Philoſophiæ perverſus uſus gignit, fonte. Demonſtratum ivi, objectivas, liceat voce technica uti, rationes DEo fuiſſe, æternis abhinc ſpatiis, quum eligeret, reprobaretque, cordi. Cave tamen credas, me ita ratiocinari:

nati: *objectiva eligendi rationes spectantur* GENERATIM: *fides ergo ex earum numero est* SPECIATIM. Falleret profecto ratiocinium, non minus ac illud: *Anglus est gente, Eboracensis Eques:* ERGO Rex. Hanc igitur viam ivi, ut, *quantum intersit, inter destinationem ad* GLORIAM & GRATIAM, rationes utrobique ab objecto desumtas, præstruentem, *ostenderem.* Sed non addo plura, præfari libet, non dicta repetere: non gloriari, quod inglorium, sed lectorem monere. Legatur attente secunda parte §. 52. ad finem capitis de SS. Triade. Cæterà, non cuivis tantùm Lectori copiam facio dissentiendi; (id enim juris vel me tacente habet) sed animum quoque æquissimum spondeo, si exstiterit, qui hæc omnia damnaverit publice: idque non facio callide, ut adversarium nactus libellus tanto magis celebretur: sed animo simplici, candido, veritatis amante. In rem Ecclesiæ vertat DEus, quæ vera sunt, quæ haud sunt, pro non dictis habentor.

INDEX.

INDEX.

Capitum, argumentorumque præcipuorum.

CAP. I.

De Caussis dissensionum circa res sacras.

ubi agitur.

CAP. II.

De primo, pro rationibus objectivis, argumento.

dentis

CAP. III. pag. 163.

De argumento pro rationibus objectivis â sapientia, sanctitate petito.

CAPITIS III. Sectio II.

Qua Virorum doctissimorum dubia diluuntur.

INDEX Capitum II. Partis.



Σ. Θ.

P. I. DOGMATICA.
DE
PRÆDESTINATIONE.

Cap. I.

Cur in tanta Veritatis luce, sint, qui alieniores ab ea exsistant.

§. 1.

Quæ Religionem ſpectat, ſacra veritas, cùm infinita dubiorum ſit diſtracta multitudine, aliis in ea pernegantibus, quod alii ſummo ſtudio confirmant; quoniam idem, eôdem modo, eodemque tempore non poteſt ſimul & eſſe verum & falſum, ejusmodi eſt, ut ubique Terrarum lucere nequeat.

§. 2.

Sed & ſuprema DEI benignitas, & omnium hiſtoriarum teſtimonia loquuntur, nunquam ſacrum iſtud pignus, ex omni omnino hominum genere, ita fuiſſe ablatum, ut, præter vanam opinionem, remanſerit nihil. Itaque ſicuti non micat ubique locorum; §. 1. ita nec nullibi, nec omnium adſpectui ſubtracta eſt.

§. 3.

Datur igitur religioſa veritas, non ab omnibus quidem agnita, ſed à quibusdam tamen certe, vel purior, vel interpolata, plus, minus, pro genio, educatione, præjudiciisque eorum, qui eâ ſibi divinitus conceſſa gaudent.

§. 4.

Cum veritas omnis ſuo charactere, *qui in harmonia cum principio cognoſcendi ponitur*, radiet; Qui fit, ut, qui puriora dogmata vel ſacra cominus intuentur, exactisque aliquando eorum demonſtrationibus & alliciuntur & confunduntur, vel certe, ſi mens non læva, aut aliunde obſtaculis expedita ſit, convinci poſſunt, nunquam veriorum doctrinarum, etiam ſiquando momentum trahant, argumentis commoveantur? Id tale eſt, ut hoc capite nonnihil examinis mereatur.

Principium cognoſcendi triplex: *Divina revelatio*, ſcriptis Prophetarum Apoſtolorumque expoſita: *Ratio recta*, quæ definitionibus fecundis, varie inter ſe comparatis, & hinc inde, ad hos illosve caſus, applicatis, nititur: Denique *Experientia*, quæ ſenſuum adminiculo, recte affectorum, ſingularium veritatum obſervationes ſuppeditat. Prædeſtinationis doctrina ex primis duobus fontibus, ſuo modo, quem infra commonſtrabimus, derivanda eſt. Cæterum in tot ſententiarum, de criterio veritatis, proditarum, divortio; cum alii *evidentiam* ponant cum Carteſio Philoſ. part. 1. §. 30. alii cum Epicuro *ſenſionem*, *notionem*, & *affectionem*; Alii *rectam regularum logicarum applicationem*, cum Leibnitio: Quantum ad ſacra, alii veritatis divinæ examen in guſtu quodam ſancto, non

non explicando, alii in convenientia cum S. Codice quærant; quæ egomet combinanda arbitror; altero enim tibi foli, altero & tibi & aliis fatisfacis: Alii in auctoritate Antiftitis cujusdam facrorum fupremi certam fe invenire veritatem putent: Rationes ego meas ita fubduco:

Veritas una eademque, pro difciplinarum varietate, varie, ex diverfis velut lateribus, fpectari poteft. Primo quidem veritas methaphyfice confiderata, i. e. prout ea cadit in omne id, quod concipi poteft, & vera res eft; cùm nonnifi id concipere poffimus, quod non involvit contradictionem, ponitur in determinabilitate, fit venia voci, *cujusdam rei per fuam definitionem, quæ concipi poteft.* Hinc quod non concipi poteft, id nec definitionem habet, nec adeo normam veritatis metaphyficam. v.g. Circulus quadratus. Contrà Spiritus S. v. g. *Vera* eft *Perfona*, metaphyfico fenfu; in quem fcilicet perfonæ definitio, nullam involvens contradictionem, cadit. *Vera* eft, hôc fignificatû, Cornelii Actor. 10. pietas, in quam, quidquid pietatis notio complectitur, quadrat.

Phyfice verum eft, eoque non fenfûs ludibrium, aut phantafma, id omne, quod fufficientem in naturæ curfu rationem habet, ideoque per naturæ ordinem determinatur. Ita, qui Sauli vifus eft, nefcio, quis Spiritus, larvatus Samuel exftitit, non verus Propheta: Neque enim ejusmodi Phænomenon per malignæ mulieris fafcinum naturæ curfui ita innecti potuit, ut beata ex cœlo anima reapfe revocaretur. Ad fingularem vero DEI operationem, quò minùs recurras, fanctitas Numinis obftat, quæ improborum mo-

liminibus aquam non suffundit, nec manum præbet. Sic Petrus, ex quo primum vinculis solutus fuit, secum constituere non poterat, utrum, quod sentiat, revera sibi eveniat, an id duntaxat per quietem obtingere videatur? Actor. 12. v. 9. Non enim propter aliam rationem somni, quibus afficimur, phænomena, phantasmatum loco habemus, quam, quia cum naturæ cursu, diurnis cogitationibus obversato, non cohærere, ac sine nexu, jam hoc, jam illud menti offerre, animadvertimus. Cum igitur repentina Petri liberatio, cum diurnis perceptionibus, quibus se vinctum persenserat, nullo pacto conveniret; mirum non est, divum virum de suo ipsius statu certi quidquam statuere non potuisse.

Theologice verum est, quidquid per Christi verbum pariter, ac exemplum, determinatur. *Verum*, Theologico sensu, *dogma*, quod ad Christi verbum, mentiri nescium, Joh. 17. v. 17. accommodatur. Veritas in occulto Psal. 51. v. 8. quæ ad Christi, Servatoris, perfectissimam imaginem est expressa.

Veritas Logica in ideis simplicibus, metaphysicæ magnopere cognata, est notionum, quæ ut partes ideam componunt totam, determinabilitas per se mutuo, ut nulla alteri repugnet, nec alia aliam expellat. Ita cogitatio de natura perfectissima haud efficta, sed vera est: Neque enim eam ingreditur ulla idea, partis locum tenens, cum cæteris non componenda. Id quod probatum est in Tract. de Jurisprud. Theologiæ C. I. S. I. §.42. In Transsubstantiationis idea nulla inest veritas, ejus generis, de quo loquimur: Occurrunt

runt enim notiones inimicis confligantes cornibus: Nimirum cogitatio Corporis Christi ex pane oriundi hîc & nunc: nec tamen hic & nunc ex pane eliciti, sed nati ex Maria Virgine. Item, cogitatio Corporis Christi cœlo devecti, & in locum destructæ panis substantiæ surrogati: & tamen non surrogati; sed per transsubstantiationem, i. e. mutationem formati. Alterutra hic locum habet pugna: partiales igitur ideæ semet mutuo destruentes, totam ideam veram esse non sinunt.

Velim eodem loco habeatur, quam Viri Doctissimi comminiscuntur, prædestinatio ex mera DEI εὐδοκίᾳ manans, nec tamen non eadem, uti volunt, sapientissima. Εὐδοκία ex mero arbitrio, nulla habita objecti, de quo statuitur, conditione, agenda destinat: At vero electio sapiens, *quia est sapiens*, suum cuique tribuit, ideo rem deligit, quia, ob certam conformitatem, hoc ipsi debetur. Delectus proin mere arbitrarius nullam objecti rationem habet, idem vero, quà sapiens, habet; Sunt igitur hæ notiones contrariæ. Quam vellem hoc considerarent Viri Summa pietatis & eruditionis gloria incluti, inque iis maxime celeberrimus Hottingerus.

Veritas logica in judiciis est determinabilitas (liceat enim hac voce, quamvis minus latina, uti:) prædicati per suum subjectum. Vid. Wolff. Log. Lat. §. 524. p. 397.

Veritas Logica in consequentiis observatur, quoties per alteram propositionem altera determinatur. Quodsi Christus non surrexerit, nec mortuos vitæ restitutum iri, Paulus docet 1. Cor. 15. Duas vides hîc enuntiationes, quarum prior

 deter-

determinat poſteriorem; cùm ex recuperata Soſpitatoris vita mortis debellandæ ſpes & nobis affulgeat. Veritas igitur ineſt in nexu, quo copulantur ambæ, etiamſi utraque, ſeorſim ſpectata, erroris plena ſit. Qui à decreto DEI, ſine prævijs in objecto rationibus, electionem derivat, is immenſum DEI intellectum ab hoc negotio arcet: Habes hîc enunciationum binionem, in quo alteram altera determinat. Cur, in decernendo, intellectu opus eſt? ut, quid maxime, & quam ob cauſam, deſtinandum ſit, cognoſcatur: Itaque qui decretum DEI ex una & mera εὐδοκίᾳ judicant, vel intellectum iſthoc quidem negotio exeſſe jubent, vel rationes electioni prævias, ab objecto ſumtas, quas intellectus perſpicere, & eâ cauſa voluntati prælucere debet, vel inviti concedunt.

Veritas ethica eſt ſignorum, v. g. *ſermonis, aut ſcripturæ*, determinabilitas per animi deſtinationem: Quum id ſcribimus, loquimur, vel præ nobis ferimus, generatim, cui animi conſilium reſpondet. Veritas ethica fuit, quam Paulus agitabat, qui ſe certo tempore ad Corinthios venturum 1. Cor. 16. v. 5. 7. confirmabat: Nam tametſi eventus, aliunde impeditus, non reſponderit: 2. Cor. 1. v. 15. ex animi tamen ſententia fidem Paulus fecit illis, fore, ut, ſi per Macedoniam iret, illos inviſeret. 2. Cor. 1. v. 17. Sed expendamus, quæſo, annon contraria ratio ſit, quæ tantopere vexata eſt, famoſæ opinionis: Poteſtne quisquam publicis documentis ſignificandum curare: *velle ſe complures ſempiterna mactatos felicitate*, quorum tamen partem non exiguam,

arcano

arcano quodam consilio, nec unquam prodendo, nisi, exsecutione facta, æternis plagis discruciandam meditatur? An in ejusmodi negotio inest veritas ethica? Annon satius fuisset, nihil boni significasse, quàm, asseveratione factâ, alia omnia destinasse animo? Nulli igitur sapienti hæc est affingenda agendi ratio.

Veritas moralis est signorum, quibus animi destinatio patefieri solet, v. g. sermonis, seu scripturæ &c. conformatio ad obligationem, quâ teneris: Si, quam dedisti, fidem, præstas: Si quæ ex officio loquenda, silentio non involvis: si promisso, quo te adstringis alteri, steteris, &c. quibus omnibus veritas talis continetur.

Fieri potest, ut in eadem actione & veritas insit, & falsitas; at non eodem modo. Negabant Ægyptiacæ obstetrices, se uxoribus hebræis auxilio venire, parturientibus; Exod. 1. v. 19. quæ falsitas logica erat, generis secundi; interim, quod ad obligationem, *Hominibus non magis obtemperandi quàm DEO* Actor. 5. v. 29. comparata fuit: Exod. 1. v. 17. in actionem isthanc moralis veritas cecidit, remuneranda à DEO Exod. 1. v. 20.

Quorsum hæc, in, de prædestinatione, discursu? ut intelligas, nihil tibi præsidii in eo situm pro tuenda voluntate, quam vocas, signi, & beneplaciti: *Forte*. inquis, *in eadem actione veritas & falsitas concurrit, hæc innocens, illa multo sanctissima: Voluntatem signi falsitas quædam logica afficit, sed innoxia, sed suspecta minime; nec enim obligatur DEus à quoquam, ut arcanum, de quorundam reproborum interitu, consilium, præmature*

 exponat.

exponat. At, pace tua dixerim, nunquam falsitas logica admittenda est, nisi, quando utraque veritas, & logica, & moralis, conservari simul non potest; ut vel exemplo Ægyptiacarum obstetricum cognoscitur, quæ eo redactæ fuerunt, ut aut fidem DEO detrectare, aut illo quidem prætextu uti deberent, vitam suam, quæ cum salute Ebræarum conjuncta erat, incolumem præstituræ. Veritas enim logica morali subjicitur: *sermocinandi facultas*, quâ pollemus, quamque logica veritas exornat, *est propter societatem*, ex qua moralis veritas judicatur: *Non societas propter sermonem.* Sed fac in his, ad tuam sententiam applicandis, periculum, profecto senties, nullam DEO necessitatem impositam, ut aliud præ se ferat, aliud arcana agitet destinatione: Vanum igitur præsidium, quod causam nihil juvat. His ita disputatis è diverticulo redeundum est in viam.

§. 5.

Caussarum, quæ homines, in tam fulgida Veritatis luce, opinionibus tamen suis alligatos tenent, genus est duplex: Aliud ex ipsis hominibus scaturit; aliud ex ipsius veritatis amplectendæ sive intrinseca, sive extrinseca difficultate.

§. 6.

Prima, quæ ex ipso homine petenda est, ad errorem, non obstante veritatis lumine, oculis obvio, obstinate, vel, ut mitius loquar, firmo animo sectandum, caussa oritur ex immensa animi abysso, seu fundo, quo continetur perceptionum infinite velut parvarum, i. e. ad quas non major mentis existit attentio, ac volitantis pulvisculi,

visculi, in dimetiendo monte; vel, ac exigui hortuli, in æstimando globo hoc terraqueo, incredibilis multitudo, quâ homines inexplicabili impetu in aliquid feruntur, & nescio quem instinctum sentiunt, ut omnia, quæ ex adversa parte, distinctis, certissimisque rationibus firmata, collocataque sunt, parvi instar momenti, aut ponderis habeant. (*a*)

(*a*) In hanc observationem, quæ, quantum & in Physicis, & Psychologia utilitatis habeat, dici vix potest, inciderunt Viri doctissimi, occasione incomparabilis inventi, calculi infinitesimalis, de quo, perpende, si placet, sequentia verba, in otio Hannover: p. 19. *Analysis speciosa, sive ars inveniendi mathematica mira augmenta accepit, opera inprimis mea, & aliquot amicorum, qui novam quandam à me propositam litteraliter calculandi rationem in usum transtulerunt, qua ratione suppleta sunt ea, quæ Cartesius ipse fatebatur in sua Analysi deesse. Nam novam excogitavi formam in calculo exprimendi motuum progressus infinite parvos, & ipsa progressuum rudimenta, quæ sunt infinite parva. Cum enim motus, quippe qui in tempore fit, fit, ut linea ordinaria, oportet ut impetus, tanquam initium motus instantaneum sit, ut linea infinite parva, seu infinitesima; At conatus (e. g. gravitas, aut vis recedendi à centro:) cum infinitis demum repetitionibus constituant impetum, erit quantitas infinities infinita parva. Has notiones infiniti ubi traduxi in calculum geometricum, inventæ sunt solutiones Physico mathematicorum, quæ hactenus in potestate non esse videbantur, nunc autem paruere facilius calculo infinitesimali*, quia natura ubique aliquid infiniti voluit, ut vestigia ostendat Auctoris immensi. paulo inferius, p. 22. *Et Marchio Hospitalius, qui peculiarem librum de hac nova Analysi infinitesimali nuper in gallia edidit, agnoscit, incepisse*

cepisse me, ubi omnes alii desierant, & hoc calculi genere perfringi quodammodo parietem, qui Physicam separat à Mathesi. Et jam ars inveniendi eo provecta est, ut appareat, nihil invium fore, ubi sufficientia sunt data, modo homines sibi ipsis non desint.

§. 7.

Primo explorandum est, numquid tanta perceptionum non animadversarum in mente exsistat abyssus: Deinde docendum, quomodo illa faciat ad homines in opinibus suis retinendos. Illud fieri potest rationibus & ex scriptura petendis, & ex sana facultate ratiocinandi.

§. 8.

Plura contingere in animo, quàm ea tantum, quorum nos imbuimur conscientiâ, vel ex oracule Jeremiæ Cap. 17. v. 9. 10. cognoscitur, ubi *mens hominis tam ferocia exsultans, quam metu fracta ac dejecta repræsentatur*, additurque, *neminem esse, qui, præter DEum, tantam possit perscrutari abyssum.* Si vix pervestigari mens hominis potest, si à DEO discesseris, sequitur, plura in nobis evenire, quàm quorum sensu afficiamur claro: Aliter enim, si nihil in tenebricosa mentis abysso accideret, quam cujus conscientia tangimur, nihil remaneret nobis prevestigandum; sed quælibet cogitatio, quam animadvertimus, omnem mentis ambitum emetiretur; quod est contra diserta citati oraculi verba.

§. 9.

Si, qui omnia fecerunt, quæcunque dictavit conscientia, in diligentissima, ad hanc illibatam conservandam, cura, nondum tamen justi, aut, ex omni parte, puri habentur: Teste Paulo 1. Cor.

Cor. 4. v. 4. Perspicuum est, plura mala in animo contingere, quam quorum nos percellimur sensu: si plura mala, cur non & bona? Id quod ad primos gratiæ appulsus, nec non animum incolentis inexplicabiles impetus intelligendos quodammodo, peraccommodatum est. De quibus suo loco.

§. 10.

Quoties, quæso, nostros ipsorum animi sinus & anfractuosus flexus excutere, & quantum, per imbecillitatem humanam, fieri potest, perreptare jubemur? Paulus suis graviter injungit, ne officio, quod ad explorandum se ipsum pertinet, Corinthii desint. v. 2. Cor. 13. v. 5. *An id futurum fuisse existimas, si nulla animi latibula,* nullæ perceptiones occultæ, ex quibus *majores, quorum sensu afficimur*, veluti componuntur, *vel nobis non advertentibus in mente existerent?* Non est igitur alienum, credere, dari in animo perceptiones infinite exiguas, ex quarum vario concursu, ut claræ cogitationes, quas sentimus, orientur, effectum sit. (*b*)

(*b*) Faciunt huc verba Inventoris calculi infinitesimalis. Memoir, inseré dans l'Histoire des Sçavans p. 337. 338. 339. 340. eh Jl y a en chaque substance des traces de tout ce, qui lui est arrivé, & de tout ce, qui lui arrivera: mais cette multitude infinie des perceptions nous empeche de les distinguer - - l'Ame, toute simple qu'elle est, a toujours un sentiment composé de plusieurs perceptions a la fois; ce qui opere autant pour notre but, que si elle étoit composée de pieces, comme une machine. Car chaque perception precedente a de l'influence sur les suivantes, conformement à une loi d'ordre, qui est dans les perceptions comme dans les mouvemens. - - - les Perceptions qui se trouvent

vent ensemble dancune même ame en même tems enveloppant une multitude veritablement infinie de petitits sentimens indistinguables, que la suite doit developper, il ne faut point s'étonner de la varieté infinie de ce, qui en doit resulter avec le tems Tout cela n'est qu'une consequence representative de l'ame, qui doit exprimer ce qui se passe, & meme ce qui se passera dans son Corps, & en quelque façon dans tous les autres. &c.

§. 11.

Cave credas, quum res ita se habeat, fore, ut compositione quadam, materiæ characterem ostensura, mens, materiæ omnis expers, afficiatur: Nam quantum abest, ut tua de Sole v. g. cogitatio, ad instar corporis cujusdam, composita sit, si resolvi in alias ideas partiales potest, v. g. in notionem *stellæ fixæ* hujus Vorticis, *calida, lucida, motricibus viribus prædita:* Tantum abest, ut mens tua tanquam ex partibus nonnullis coaluerit: tametsi infinitas complectatur expressiones, repræsentationes, inclinationes arcanas, nisus debiliores, relationes & similia, ex quibus tandem complicata quædam notio formatur, quæ ex profunda animi scaturigine in apricum prodit, i. e. suæ præsentiæ sensum excitat.

§. 12.

Audiamus nunc argumenta, quæ porrigit sana ratiocinandi facultas. Notabiles corporum quorumvis motus, ideoque & hujus, quod nostra regit anima, infinite parvis ex motibus oriri, notârunt illi, qui calculi infinitesimalis usum in Physica & alibi ostenderunt, §. 6. not. (*a*) Atqui operationes animæ & corporis nostri sunt consentaneæ: Ut igitur his perceptiones illius ex æquo, non

nonnifi per infinitefimalem calculum, æftimandæ, refpondeant, rationi conforme eft.

§. 13.

Si in abyffo animi non fopitæ jacent innumeræ perceptiones, propenfiones, nifus, &c. non femper difcernenda à nobis ipfis: Quæ ratio, quæfo eft, ut, eodem v. g. fermone audito à duobus, alter vehementiffime commoveatur, alter affectuum quoddam frigus fentiat? Annon, cum extrinfeca cauffa eadem fit, & ex æquo afficiat utrumque, difcriminis rationem in anima quærere nos oportet: Quod in alterius mente priftinæ cujusdam offenfionis veftigia impreffa jacebant, quæ præfentium verborum perceptione renovata funt, in alterius vero anima non item. Sunt igitur complura in nobis, non animadverfa, nifi occafio quædam, exrrinfecus oblata, ex profundo ea evehat, & luci velut exponat, i. e. efficiat, ut à mente hîc & nunc difcernantur.

§. 14.

Argumenti hujus utilitas permagna eft in allleganda ratione illius refiftendi conatûs, quo quidam, nefanda malitiâ, cœleftem verbi divini vim eludunt. Si non attendendi ad res graviores, inde à multis retro annis, affuetudinem conciliafti; fi defultoriæ nonnihil levitatis ex parentibus traxifti, quâ rem, nifi jucunditate fuperficiaria alliciat, prætervoles; fin imprudentis educationis errore infinitis perceptionibus affectus fuifti, quæ delicata eorum omnium faftidia pepererunt, in quibus nihil ineft, quod blandiri fenfibus poffit: an mirum eft, tot propenfionum, nifuum, confuetudinum, præjudiciorum, aliarumque conditionum non à te ipfo animad-

animadverſarum, confluxu, verbi efficaciam impediri? An, cui vix momenti ſpatium ſerio adtendis, ejicere animo poteſt, multis retro annis collectam, infinitarum perceptionum multitudinem?

§. 15.

Tanta ut veritas ulterius comprobetur, cogitemus de linguarum notitia, & agendi matura prudentia, multo rerum ac diuturno uſu, & innumeris antehac exercitationibus, comparata. An tu una cogitatione diſtincte recordaris omnium vocabulorum, quæ & vernacula, & Philologia omnis, inde à pueritia, te docuit, & quorum ne tu numerum inibis unquam? *Sæpe integri ſpatio anni, vel & biennii vocabuli rarioris memoria te non ſubit, cujus tamen veſtigium in profunda mentis abyſſo ductum eſt, datâ prima quaque anſâ, renovandum.* Mens igitur facultatem, vix diſcernendam, per omne illud ſilentii tempus, habuit, ſuo tempore vocem revocandi & pronunciandi ore.

§. 16.

Quid dicamus de prudentia in agendo, multis olim obſervationibus, longo annorum decurſu, ſenſim comparata? Cum ad negotium Vir prudens tractandum accedit, quot quæſo ſimilium caſuum, olim obſervatorum, perceptiones concurrunt, ad explicandam operis difficultatem, quot habitus, quot agendi non diſcernendæ dexteritates, quot complicatæ hiſtoriarum, legum, regularum politicarum notiones, de quibus tamen omnibus diſtincte non cogitat, ubi in exſequendo opere prudens laborat. Sæpe non exercitato negotii cujusdam tractandi rationes quævis diſtincte exponuntur, nec tamen non ſequitur eventus patum proſper,

ſper, nec tamen res non male ſuccedit, bene ſucceſſura, ſin exercitatus rem expediendam ſuſcepiſſet. Quid illud quæſo eſt, quod præſtat, ut exercitato res proſpere eveniat, parum exercitato non item? Certe nihil, de quo diſtincte exercitatus cogitat, aut cujus clara conſcientia imbutus eſt. Aliter rem alteri expoſuit, (fidum quippe Magiſtrum tantiſper fingo:) Fuit igitur in exercitato, neſcio quid ſingulare, quod negotium aggreſſurus vel ipſe alteri declarare non poteſt: i. e. datur plurimum in anima, adquod non advertimus diſtincte, nec ſemper poſſumus.

§. 17.

Ex hoc argumento, quantum interſit inter Theoriam & praxin, luculenter cognoſcitur. *Theoria eſt multitudo perceptionum, de quibus diſtinctius cogitare, & quas proin aliis declarare licet.* Datur enim theoria quoque de rebus agendis, qualis in legum naturalium notitia potitur. At *praxis complexus eſt perceptionum, & veluti experientiarum, dexteritatum, quibus nemo affici poteſt, niſi id agat, cujus vult ſenſu uti*, quæ igitur ejusmodi ſunt, ut animum vel non advertentem, ſenſim paulatimque ſubeant, nec aliis explicari poſſint.

§. 18.

Quæ animabus veſtigia unquam impreſſa, eadem deleri nunquam, Vir ſummus pridem obſervavit: Id quod ad animæ immortalitatem rigoroſe demonſtrandam, plurimum valet: *(c)* Intelligitur: proinde, cùm infinitis perceptionibus mens quotidie afficiatur, eas in abyſſo mentis immenſa repoſtas, varietatem efficere infinitam.

(c) Thomas d'Aquin a deja dit, que les ames des Animaux

maux ſont indiviſibles, D'ou il s'enſuit, qu'elles ſont incorruptibles. Apparemment qu'il n'a pas voulu s'expliquer plus ouvertement, & s'eſt contenté d'avoir poſé le fondement. On peut poſer, que tout cela pourroit etre, mais avec fort peu de conſolation, car quoique nos ames & celles des autres animaux demeurent, elles ne ſe reſouviennent plus du paſſé. Mais je ſuis d'un autre ſentiment; J'avoue qu' apres la mort nous ne nous ſuovenons pas d'abord de ce, que nous avons été, ce qui n'eſt ni propre ni bienſeant à la nature e crois cependant, *que ce, qui eſt une fois arrivé à une ame, lui eſt éternellement imprimé*, quoique cela ne nous revienne pas toute la fois a memoirede même que nous ſavons pluſieurs choſes, dont nous ne nous reſouvenons pas toujours, à moins que quelque choſe n'y donne occaſion, & nous n'y fuſſe penſer. Car qui peut ſe ſouvenir de toutes choſes. *Mais par ce qu'il ne ſe fait rien en vain dans la nature, & que rien ne s'y perd, mais que tout tend à ſa perfection & à sa maturité, de même chaque image, que nôtre ame recoit, deviendra enfin un tout avec les choſes, qui ſont à l' avenir*, de ſorte, que nous pourrons tout voir; comme dans un miroir, & en tirer ce que nous trouverons plus propre à notre contentement : D' ou s' enſuit, que plus nous aurons de vertu, & fait de bonnes œuvres, nous en aurons plus de joie & de contentement. Nous devons donc conclure de là, que nous devons être à preſent contens, par ce qu' à le bien prendre, tout ce qui arrive, eſt ſi bien diſpoſé, que nous ne le pourrions pas mieux faire, quand même nous ſerions fort intelligents à ces ſortes de matieres.

§. 19.

Sed ſupereſt Viri cujusdam ſummi argumentum adcuratum, pro ea, quam tuemur ſententia, heic inſerendum verbotenus: *Præſentiam vero perceptionum plurimarum, quales ſupra dixi, obſcurarum*

rum in animo, facilè sequentibus tibi exemplis persuadebo. Fac subtilissimum serici filum ante oculos extendi tuos: an illius perceptionem habes, & colorem agnoscis? Fingamus esse cœruleum. Fac, aliud proponi filum, idemque flavum esse: agnoscis filum & colorem ejus. Idem accidet, si mille offerantur cœrulea, & flava mille. Jam intertexe illa mutuo sibi, & denuo offer oculis telam: quid agnoscis? clare *viridem, sed* obscure *cœruleum,* & *flavum, colores.*

§. 20.

Non metuo, ne quis dicat, se colores cœruleum, & flavum plane non percipere, & viridem ex nescio, quo nihilo, derivet. Accipe aliud non dissimile. Novimus illustris Newtoni, magno cum scientiarum luctu nuper defuncti, industria, solare lumen nihil aliud esse, quam radiorum in sese heterogeneorum & inalterabilium mixturam, quorum alii rubrum, alii flavum, viridem alii, alii cœruleum colores exhibent. Dum igitur album solis lumen percipis, nihil nisi confusos hosce colores percipis, sed percipis confusos, igitur singulos seorsum non agnoscis; percipis autem omnes, constat enim experimento, differre albedinem luminis solaris ordinariam ab ea, quæ videtur, si quam speciem radiorum (colorem v. g. flavum exhibentium) intercipias.

§. 21.

Quidquid igitur de commercio corporis & animi sentias, habes in sensatione luminis perceptiones colorum, quarum tibi seorsum conscius non es, & habes tamen: Habes igitur perceptiones, quas dixi, obscuras. Ut hoc strictius edisserere liceat, statuamus ante oculos ex optica Newtoni L. I. P. II. Tab. IV. figuram 16. in qua O, F. Φ radium solarem compo-

 situm

ſitum per foramen in valva illabentem in conclave obſcuratum, A. C. B. Priſma trigonum vitreum, lineæ Φ p. Φ q. &c. radios luminis refractos ac divergentes, M. N. lentem vitream; Φ X. q X. radios iterum coëuntes, D. G. E. Priſma ſecundum. X Y radium ſolarem denuo collectum. K. H. I. Priſma tertium, & Y. T. Y. S. &c. radios denuo refractos & divergentes repræſentant. Excipe charta alba lumen Solis inter x & y s, apparebit albidum, quale ſub dio conſpicitur. Quæro, an in hac lucis ſpecie colorem rubrum percipias? negabis ſine dubio, Te clare illum percipere, ut ejus tibi conſcius eſſe poſſis, ex ſenſatione immediata. Nam ſine Nevvtono fortaſſis neuter noſtrûm ejus præſentiam vel conjectâſſet. Quodſi igitur colorem rubrum hîc percepiſti, percepiſti obſcure. Sed percepiſti. *Id ita infero:*

§. 22.

Tene, ſi placet, chartam eodem in loco, donec ego lentem M. N. in partibus p. q. r. & s. obtexero, & radios Φ ę. Φ q. Φ c. Φ s. cumque illis violaceum, indicum, viridem, flavum colores impediero, ne per lentem M. N. tranſire cum radiis p. t. poſſint. Videbis in charta tua non album amplius, ſed rubrum lumen. Unde rubor? non ego effeci, ut rubrum aliquid accederet, quod antea non adfuerit: Quidquid rubri nunc eſt, ante adfuit; & quemcunque nunc in te motum aut perceptionem excitant hi radii, etiam ante excitârunt; ſunt enim per Nevvtoni dogma inalterabiles. Percepiſti igitur & antea, ſed non diſtinxiſti, ob aliarum perceptionum cum hacce mixturam.

§. 23.

Atque ſic exemplis diſco, dari perceptiones

magno

magno numero obscuras, quarum sigillatim nobis conscii non sumus, donec ab aliis, quibus permistæ sunt, segregentur, & quasi ex illis evolvantur. Similia de omnibus dici sensibus possunt. Statue te in medio centum oratorum in ambitu circuli æqualibus intervallis distributorum, & voce altá, sed æquali, sermones habentium: Percipies omnium voces, nulla enim ratio est, cur alteram magis, quàm alteram percipias; & nihil tamen intelliges; percipies igitur obscure. Fac, ut unus eorum utatur tubo stentoreo, & reliqui pergant, ut antea; vel impone reliquis silentium, aut jube, ut submisse admodum loquantur, centesimus vero pergat, altâ, ut prius, voce; percipies clare, quæ dicet; neque tamen in primo casu reliquorum in aures tuas actio, minuitur, neque in secundo augetur actio centesimi. Duplici igitur modio, quod prius obscure perceperas, evolvi potest, ut clare illud sentias.

§. 24

Neque extraordinarii hi casus sunt, aut fictitii solum. Quoties accidit, ut de nocte percipiamus claros sonos, quos interdiu, ob aliorum præsentiam, percepimus quidem non minus verè, sed ita obscure, ut dignosci aut intelligi articulatæ voces à confuso strepitu undique irruente non potuerint? Nolo plura cumulare exempla rei; namque hæc pro speciminibus sufficiunt: Si quis autem velit, ut per exempla evincam, totidem & tales præcise adesse, quales supra supposui, id omnino fieri non potest. Necesse igitur est hac in parte, ut generali argumento fidas. Id si bonum est, sufficit scopo &c.

§. 25.

Huc usque Vir laude mea superior. Possent

his addi: Si radiorum, ex observatione Newtoni, diversi coloris, confusa afficimur perceptione, qua illi nobis repræsentantur ut una albedo; & vero v. g. radii rubedine tincti confusam illam notionem suâ actione ingredientes, iterum aliis partibus constant, ex quibus sua rubedo coalescit; nam & rubedinis notionem in complura debere resolvi, naturalium rerum curiosi pridem observârunt: Sequitur tandem, exiguarum perceptionum multitudinem, (nam & eorum, quibus rubor efficitur, radiorum simile est judicium) nullo numero posse determinari, atque tam exiles perceptiones partiales notionem totalem, cujus solius conscii evadimus, ingredi, ut, sive adessent, sive abessent, nulla nobis varietas in perceptione totali adpareret, i. e. dari perceptiones *infinite parvas* in animo, quas à se invicem discernere nequaquam licet, idque per definitionem calculi infinitesimalis.

(*d*) *Infinite parva magnitudo ea est*, quæ adeo exigua pars rei alterius existit, ut cum hac comparari nequeat. Sic Terræ Diameter respectu Solis distantiæ, multo magis stellarum fixarum, individui puncti rationem habet: quoniam primus stellarum motus talis adpariturus esset, si vel maxime terra talis esset, qualis cum stellarum distantia comparata videtur.

§. 26.

Confirmata, quam de animæ abysso tradimus, sententia, facile est adjudicandum, quantum hæc res ad muniendos, in erroribus suis, adversus veritatem, homines valeat. Fac esse, qui ab incunabulis errorem cum lacte velut materno suxerit, qui in eo educatus adoleverit, qui in-

numeras

numeras admonitiones de eo tuendo acceperit à parentibus, propinquis, curatoribus, amicis, sacrorum ministris, vicinis &c. (sic enim fieri solet plerumque; quivis religionem, quam hæreditariam habet, putat optimam, & posteris instillandam) Quot inclinationibus, affectibus, propensionibusque ad errorem mordicus tenendum, opplendam putas ejusmodi mentem? Cum in animo nihil contingat, nihil eum percellat, quod non quædam relinquat vestigia, æternùm duratura, §. 18. & revocanda, quàvis oblata occasione; §. 15. sequitur, ut primum ex familiari colloquio, vel scripti, pro contraria veritate concinnati, lectione, veritatis radii animum intrare occipiant, mentem ab eis iri aversum, eos adducturam in suspicionem, nec aliter intuituram, quam dogma ejusmodi, quod fugiendum, quod vel à Te, vel doctioribus confutandum, nec ullo modo tolerandum sit, obstans, nescio, cui sensui in contrariam partem trahenti, i. e. tot collectorum, pro errore tuendo, nisuum, multitudini seu abysso,

§. 27.

Inde fit, ut ad meditandam doctrinam, hæreditario errori contrariam, primo accedas cum inexplicabili erroneæ conscientiæ instinctu, Nam cùm innumeratum perceptionum, à primo inde rationis usu collectarum, vis te in eam inducat opinionem, gratum DEO cultum præstari, si, quidquid tuis placitis adversum est, destruatur, modisque omnibus, quorum compos fieri potes, imminuatur, eradiceturque: Profecto ad opinioni tuæ repugnantem veritatem, conscientiæ laborantis impulsu, non advertes, non meditaberis

 ris

ris integram cum omni momento: ne te error invitum occupet, abstrahes mentem ab ea, quo potest fieri, modo. Non igitur mirabimur, te in tuo errore permansurum.

§. 28.

Quod si tamen veritas de primo tuæ contumaciæ gradu dejecerit Te, nondum vel illa triumphabit, vel Tu ei fidem habebis. Fingo, prima de statione te depulsum, ut veritatem præjudiciis contrariam cum omnibus argumentis ponderaveris, & facta tui erroris veritatisque comparatione, hanc illo judicaveris potiorem: Habebis illum veritatis progredientis conatum pro telo Satanæ, pro fascinantis hæreseos dubio, accusabis tuam solvendæ difficultatis impotentiam, consules, quos habes pro doctioribus, ut, in extricando ex laqueis animo, ferant auxilium.

§. 29.

Illi variis errorum tuorum pigmentis glaucoma objicient, ratiociniis, in Ecclesia usurpari solitis, offundent tenebras, non solvent dubium, sed oculis, vario discursu, vel imprudentes ipsi, eripient; mentem à cardine quæstionis ad accessoria avertent, problema, veritatis novo ortu, facile solutu factum, intricabunt denuo, & nihil intactum relinquent, quod ad Te, in errore confirmandum, pertinebit,

§. 30.

Si tanto judicii acumine pollebis, ut objectas datarum responsionum, i. e. veritatis obscurationum, nebulas, perspicaciâ trajeceris, ut nondum satisfactum ex temet ipso senseris, secundum consecuta gradum veritas remotissima adhuc à triumpho

triumpho erit. Tum enim vasta perceptionum in errorem tendentium, & ante hac paulatim collectarum, abyssus, aciem demum suam adversus veritatis agnitam demonstrationem instruet: Erit, nescies quod, pondus proclivitatis, non obstante certissimo veritatis argumento, in contrariam regionem propendentis. Cognosces veritatem, eâdemque tangeris, sed noles eam sequi, propter nescio, quam inexplicabilem animi convictionem.

§. 31.

Dices: *Non est audienda ratio, quæ semper sacræ veritati* (rectius, tuo errori) *oggannit: Non possum equidem me his exsolvere dubiis; Sum tamen aliunde ita affectus, ut iis obtemperare nolim. Tentabunt me hæc dubia, non autem occupabunt, aut in suas partes pertrahent.* Amas igitur errorem, neque caussam amandi distincte evolvis, aut evolvere potes. Quidquid in contrarium dicetur, rationis perversæ titulô, à te dehonestabitur. Caussaberis, *pluris esse faciendam fidem, quàm rationem; simplicem animi ad sacra applicationem magis DEO adprobari, quàm speciosissimis nixam ratiociniis scientiam; de rebus divinis non esse disputandum, sed credendum, non interpolatô animi candore*; amitti, non attingi veritatem *longo momentorum in utramque partem examine.* Ita tandem Fanaticismi semina spargis, & *omni errori*, submoto examine, *latam aperis portam.* (e)

(e) Elegantissime eruditorum nonnemo: Il n'y a rien de si extravagant, que de voir aujourdhuy des Auteurs, traiter la raison en pedante incommode, qui gâte tous les plaisirs de la vie. Le Maréchal de Hoquincourt disant, qu'en certaines choses, sur tout en matiere de bravoure, & en matiere de foy

il ne falloit point de raison ; Le Pere Canoy Jesuite, qui se trouva à table, y applaudit fort. *Vous dites bien, Monseigneur, point de raison, point de raison, c'est encor ma devise, point de raison, elle ne fait, que des heretiques.*

§. 32.

Quæ ratio est amoris erga propinquos, parentes, liberos, fratres, sorores, affines &c. ea etiam esse solet propensionis in hæreditaria sacra, quorum amorem propter studium in illos concepimus, & à quibus religio in nos profecta. Amamus eos, *qui necessarii sunt, quia sunt* ; si vel maxime malos, & aliis jure perosos esse cognoverimus. Caussamur : *Labe sunt infecti, sed tamen nostri.* Putamus igitur, quantum illis decedat, nobis derogari, quia sint nostri, à nobis procreati, imaginem referentes nostram, nomen propagaturi, vitam nostram in se ipsis, nobis hinc migrantibus, ac dudum defunctis, conservaturi.

§. 33.

Hæc animi dispositio totam mentis abyssum vel ideo maxime pervadit, & emetitur, quod eadem anima nunquam à se diffidere ipsa, nunquam à se exulare, i. e. se non amare potest. Non inest tamen culpa, cùm à conditore ingenerata sit. Si tamen limites migret, sola obscurarum perceptionum immensa mole in amorem erga propinquos prona, non formatâ distinctâ cogitatione, *propinquos ob DEI præceptum diligendos, ideoque in casu collisionis, hunc sc. DEum, anteponendum illis*; Matth. 10. v. 37. Si ita SUOS Parentes, liberos, judicet, ut, quod magis SUUM est, (cœleste Numen) posthabeat, scelere profecto

fecto se gravi obstringit, non purganda vastissimo instinctuum occultorum, & fortium, id faciendi, oceanô.

§. 34.

Nam quantacunque illorum impulsuum multitudo sit, est tamen à multis, immo infinitis olim perceptionibus extrinsecus adscita. Adest omnino semper nullo numero determinanda in animo vis instinctuum; Sed non directa fuisset, v. g. in propinquos, nisi eos NOSTROS esse, mente penitus olim infixum esset. Quare filii, quem amissum putas, sin ignotum temere offendas, nullius caperis amore. Fieri ergo potest, ut illa vis aliorsum dirigatur, nec purgandi caussam relinquat ei, qui modum, in ea sequenda, excesserit.

§. 35.

Sed vide, quantopere amoris in sacra hæreditaria conditio illius sit simillima. Si quis reprehenderit tuos propinquos, pietas non sinit, & recte quidem, an, qui objurgatione utitur, vera dicat, inquirere: *non cogitas*, cur dicat, *sed cupis*, nunquam fuisse dictum; Bene tu quidem, sed minus tuto idem facis circa sacra. Potest fieri, ut quæ TUA putas, reapse tua non sint, sed aliena; SOLA enim ad te spectat VERITAS: cum ex altera parte de propinquis, quod TUI sint, semper possis esse certissimus.

§. 36.

Inde efficitur, ut nunquam cum plena animi æquitate, aut tranquillitate ad argumenta veritatis advertas, quæ tuum errorem invadit. Amor, quo minus ea ita tractes, examinesque, uti citra partium studia fuisses facturus, perpetuo obstat.

Quid? an fas eſt, id impeti dubiorum telis, quod ſumma pietate veneror, quod inde ab incunabulis maximi feci, in quod amandum toto pondere propendeo? At, inquis, *me talia agitaſſe animo, non ſenſi unquam, ne nunc quidem.* Verùm, ſi tu in errore verſeris, veritatemque comitem ac Ducem pars altera habeat, quo occultior ille inſtinctus, eo periculoſior eſt; Sed adeſt tamen, aliter tu autem veritati præbiturus eſſes.

§. 37.

Tantiſper dabo, veritatem in tertium gradum proferre pedes; Fingam, te agnita veritatis tuæ religioni contrariæ luce, & ſenſim poſſe minuere amorem in errores hæreditarios, nondum victoria parata erit veritati. *Obſtat utilitas, obſtat nominis fama, obſtat opportunitas multiplex, quo minus mutatòs animi inſtinctus, uti intellecta veritas jubet, ſecteris. Non erit* è re tua familiari, ſordidum ad exiſtimationem, & minus accommodatum ad vitæ jucundæ præſidia, profiteri alienam fidem, te in horas mutabilem, te doctrinæ repudiatæ non ſatis gnarum, immo te hæreticum pronunciabunt.

§. 38.

Quid Tu facias? Ecce novum ocurrit vacillantis fidei columen. *Quæ ultrocitroque diſputantur, forte non tantum momenti aut ponderis trahunt, ac vulgo ab iis venditatur, quorum intereſt, confirmari homines in acceptis à Majoribus doctrinis; ſalutem utrumque docentes procul dubio conſecuti ſunt; protervum & improbum eſt, vitæ æternæ ſpem denegare diſſentientibus; ad eandem Cœleſtem Hieroſolymam ex latere non uno præbetur acceſſus.*

Recte

Recte tu quidem, & modeste de iis, qui bonâ velut fide errant; *Sed numquid Tu es eodem loco?* Annon satius est, veritatem etiam quamlibet, saluti non, nisi malitiose negetur, noxiam, profiteri; quàm, eâ silentio involutâ, litare suo commodo, honori, nec non opportunitatibus.

§. 39.

Cùm tantum discrimen ab inexplicabili quodam affectu illis immineat, qui versantur in errore, ut eô, tanquam irrevocabili torrente, abripiantur; antequam dicamus, quæ præterea homines in suis erroribus, frustra illabente veritatis lumine, detineant: dicendum erit, quid in rebus ad sacra, tum nostra, tum aliena, pertinentibus requirat officium. Primo quidem facere non possum, quin dicam, omnem inexplicabilem, pro sacris tuendis, animi motum, habere plurimum suspicionis, NISI RATIONEM EXPLICABILEM AFFERRE POSSIS; QUARE HUC POTIUS TENDAT, QUAM ILLUC.

§. 40.

Inexplicabiles igitur animi *impetus rebus sacris* non expulsos *volo*, quos in veritate non minus, immo plus necessarios arbitror, quam in cæteris negotiis omnibus; Sed eo maxime consilium spectat præsens, *amoris ex infinitis perceptionibus coorti vim requiri*, eandemque in se nullis unquam verbis, nulla oratione satis declarandam, nihilominus talem, *ut, quare in hæc potius* dogmata, *aut sacra, feratur, quàm alia quavis*, explicatior possit allegari ratio. (*f*)

(*f*) Expendamus verba Viri subacto pollentis judicio : Les raisons de nôtre persuasion sont de deux sortes

ſortes, les unes ſont explicables, les autres inexplicables. Celles, que j'appelle explicables, peuvent être propoſées aux autres par un raiſonnement diſtinct; mais les raiſons inexplicables conſiſtent uniquement dans nôtre conſcience ou perception, & dans une experience de ſentiment interieur, dans lequel on ne ſçauroit faire entrer les autres, ſi l'on ne trouve moyen, de leur faire les mêmes choſes, de la méme facon. Par exemple, on ne ſçauroit toujours dire aux autres ce, qu'on trouve agreable ou degoutant dans une perſonne, dans un tableau, dans un ſonnet, dans un ragout, ce pour cela qu' on dit, qu'il ne faut pas diſputer des gouts. C'eſt par la même raiſon, qu'on ne ſçauroit faire comprendre à un aveugle né, ce que c'eſt que la couleur. Or ceux qui diſent trouver en eux une lumiere divine interieure, ou bien un rayon, qui leur fait ſentir quelque verité, ſe fondent en raiſons inexplicables. Et je vois, que non ſeulement les Proteſtans, mais encore des Catholiques Romains employent ce rayon: car outre les motifs de croiance ou de credibilité, (comme ils les appellent,) c'eſt à dire, outre les raiſons explicables de nôtre foi, qui ne ſont qu'un amas d'argumens de differens degrez de force, & qui ne peuvent fonder tous enſemble, qu'une foi humaine, ils demandent une lumiere de la grace du ciel, qui faſſe une entiere conviction, & forme ce qu'on appelle la foi divine: de ſorte, que ceux, qui ſe fondent ſur celle lumiere, ne peuvent demander d'autre examen à ceux, qui ſe fondent ſur une lumiere contraire, que celui de la propre conſcience d'un chacun. ſcavoir s'il dit vrai & s'il ſent effectivement la lumiere, dont il ſe vante.

Mais comme cette lumiere interieure prétendue eſt ſujette à caution, & que l'examen de conſcience ſur ce ſujet eſt aſſez difficile, je voudrois que Monſ. N. eût traité exactement ce point important, en nous expliquant les marques interieures de la lumiere divine, qui la diſtingue de l'illuſion, comme

me l' or se reconnoit à la couleur, au poids, & à d' autres marques sensibles.

En attendant cet eclaircissement, venons aux raisons explicables, aussi n' est ce que par elles qu' on peut persuader les autres. Ces raisons sont generales ou particulieres. Les raisons generales peuvent être appellées des prejugés, que Tertullien, parlant en Juris-Consulte, appelloit de prescriptions. Les raisons particulieres se peuvent comprendre sous le nom de discussion: Car tant que ces prejugés ne donnent que ce qui fait presumer, ou que les Juris-Consultes appellent une presomption, ils peuvent etre effacez par une preuve contraire;& tant qu' ils ne donnent qu' une grande apparence, il se peut que la discussion particuliere fournisse des raisons ou apparences contraires plus fortes, &c. Alibi hæc ulterius illustrat: Je confesse, que les motifs inexplicables sont suspects naturellement, & qu' on doit s'en défier: cependant je fais voir, que les Theologiens de l' Eglise Romaine s' en servent, lors qu' ils veulent, que la conviction qui vient du mouvement interieur du Saint Esprit, fait la foi divine, au lieu que les raisons explicables ne la rendent qu' humaine & ne donnent qu'une vraysemblence: ainsi ils sont tous reduits à chercher les marques interieures du mouvement du Saint Esprit. Si Monsieur N. croit, qu' il n' y a point de telle marque (comme il paroit par ses paroles) comment peut on sauver cette conviction ou certitude, qui doit se rencontrer dans la foi divine, d'autant plus, qu'il y a bien de gens, qui croyent sans en sçavoir des raisons.

§. 41.

Da igitur operam, ut, quare occulta isthæc animi vis in hæc potius dogmata feratur, quàm in alia quæcunque, per idonea argumenta demonstrare omnibus possis. *Quibus rebus efficietur*, ut ex rationum explicabilium rectitudine *non* expli-

explicabilium veritatem, *à Fanaticiſmo alienam*; *& viciſſim*, *ex* rationum inexplicabilium impetu, explicabilium vitam, *à ſterili theoria abhorrentem*, *ſis judicaturus.* Quæ duo ſi ſegregentur, cœli trames deſeritur, &, ſive ſiniſtrorſum, ſive dextrorſum, calcantur devia.

§. 42.

Si contrariam agendi viam inieris; ſi fidem ex ſolo ſenſu interno, nulla idonea ſcientia, derivaveris; ſi ſententiam oppugnantibus tuam tanquam arietem oppoſueris conſcientiam inexpugnabilem, ſed rationibus deſtitutam; equidem non nego, fieri poſſe, ut puriori doctrinæ, per natalium fortunam, à pueritia traditus, magnam capias ex illa conſtantia utilitatem; quia à veritate in affectum proficiſcitur favor: Sed illa quidem conſtantia, vividiſſimus ille ſenſus talis eſt, ut ſi nativitatis infelici ſorte in errorem ab infantia incidiſſes, non minori contumacia eidem inſiſteres, inhæreres, nulla forte avocandus inde efficacia: Non igitur bona eſt illa animi affectio, quia non foret in omni caſu; VIRTUS QUÆCUNQUE EST, NON EXTRINSECARUM DEMUM RERUM CONCURSU EST.

§. 43.

Nam nulla alia cauſſa quarumvis ſectarum, vel peſtilentium, aſſeclas ſuæ fidei non ſine obſtinatione maxima agglutinat, quam inexplicabiles quidem conſcientiæ impulſus (quis enim omnes hypocritas cenſeat, ex diſſentientium numero) quibus ſe non minus convictos ſentiunt, quam ſunt ſanctiſſimi veritatis Cultores. Aut igitur ſacræ veritatis character ex privato cujusvis ſenſu metiendus,

tiendus, quorum alter ſubinde alteri è diametro oppoſitus eſt; tum in partes velut discerpta complures, non conſentanea, non conformis; ſed multiplex, & contraria veritas erit: Aut concedendum, illum quidem lydium lapidem, citra cautionem, nullius eſſe uſus.

§. 44.

Itaque ſancta quædam diffidentia ad inexplicabiles illos animi motus afferenda eſt, dum diſtinctis ratiociniis, & argumentorum pondere gravi exploratum habeas, quod à veritate non abludant, ſed amice cum ea conſpirent.

§. 45.

Inter cauſſas, (nam redeundum eſt eò, unde ſumus digreſſi) quibus ſuis perpetuo mancipantur erroribus, miſeri mortales, non obtinet poſtremum locum, quæ tamen ex priori nata, ſtudium ſcil. in contrariis doctrinis ſuperficiarium, mancum, deſultorium. Non dico de plebe rudi, cui ad ſalutem ſufficit, absque dogmatum adverſorum operoſo examine, ſoli ſcripturæ operam navare, miſsâ, quæ & ſuſcipi non poteſt à quolibet, (g) hæreſes examinandi curâ. Etiamſi veritatis cum erroribus compoſitæ cognitio magis exſplendeſcat, & ſummum conſcendat, cæteris paribus, convictionis gradum: Loquor tantùm de iis, queis, tanquam Eccleſiæ luminibus, id negotii datum intelligitur, ut adverſariorum opiniones penitus exploratas habeant, facta utrorumque dogmatum comparatione, judicium ſolidum, & iis, qui forte paſſim ex vulgo dubiis tentantur, certiſſimam laturi opem.

(g) Veriſſima ſunt ſequentia Viri Docti verba: Comme

me j' aime la ſincerité, je n' accorderay pas ſeulement, qu' on ne ſçauroit charger toutes les perſonnes ſans diſtinction, du ſoin d' examiner les controverſes; Mais je diray le plus, que parmi les Sçavans même il y en a bien peu, qui s' y puiſſent prendre, comme il faut pour s' aſſurer de la verité ſur des matieres épineuſes. Il paroit même, que nous n' avons pas le moyen de decouvrir la verité à l' égard de certaines queſtions relevées. Quel qu' un dira, qu' il n' eſt pas neceſſaire, de decider toutes les controverſes. Mais on peut repliquer, qu' il y en a au moins quelques unes, dont la deciſion eſt neceſſaire, & il ſera toujours très difficile au peuple de les examiner à fonds: donc le peuple a beſoin d' une marque claire & infaillible, qui ſoit à la portée de tout le Monde. Il y a deux réponſes, qu' on peut oppoſer à la force de cet argument. La premiere eſt, qu' il ſuffit, que les hommes croyent la verité ſur quelques points neceſſaires, quoique ces hommes peut-être ne ſont pas arrivés à la connoiſſance de la verité par des raiſons explicables aſſez fortes, & qu' ils ne ſoyent pas ſervis d' un préjugé infaillible, ni y d' une diſcuſſion exacte. Effectivement il y a peu de Chrétiens, qui entrent bien avant dans les preuves de la verité du Chriſtaniſme, & il ſemble, que c'eſt aſſez, que les Sçavans voient bien les avantages de notre foy ſur les autres Religions, il y aura toûjours bien de gens, qui ſeront obligés de croire leur Paſteur ſur la parole. Heureux ſont ceux à qui Dieu a donné de Maitres eclairez, ou qu' il a voulu toucher au moins interieurement au defaut du Miniſtere d' un bon Maitre exterieur.

§. 46.

At illi deſunt officio plerumque ſuo. Videas Diſſentientium libros vel vetari prorſus: (cum, mea quidem ſententia, vel periculoſiſſimi maxime reſpiciendi eſſent; neque enim quisquam periculoſus liber eſt, niſi ſit ſpecioſus idem; cum nemini imponere ſoleant palpabiles errores) vel obiter

obiter legi, vel accurate lectos, in quibus persuadendi vis inest, dissimulari, vel non dissimulatos certe quidem contemni, perinde ac si uno difflari spiritu possent, quæcunque iis continentur; vel denique non contemtis, verùm tacitâ æstimatis cogitatione, publice denegari assensum, qui privatim solet præberi, An mirum est, si in tanta veritatis luce homines adhuc plures caligent?

§. 47.

Non est ea agendi ratio ingenua, aut veræ sapientiæ regulis consentanea. Non sufficit, genuina esse imbutum religione, & veritatem cognosci; Oportet prætereа eam saltem ab eruditis cognosci ut veritatem. Parum est, nosse, *quid credendum?* cum plebe; injungitur Docto *plus ultra*, ut intelligat, *cur hoc credendum?* Non est spernendum, suæ religionis fundamenta eruere; sed maxime laudandum, dissentientium etiam rationes omnes pervestigare; cùm nostrorum sacrorum cognitio satis accurata non sit, nisi cum alienis contendatur, quô fit, ut *sophismatum, effugiorum, variorumque interpretamentorum depulsione, veritas subtilitate limata, ab omnium quaquaversus errorum confinio, invasionem*, data occasione, minaturo, *adcuratè segregetur.* Nullum enim, quod speciem habet, solvi dubium potest, quin novam solutio veritatem pariat.

§. 48.

Ecclesia societas est, cujus membra alia aliis sua præstare officia debent. Ephes. 4. v. 16. Uti

non esse omnes, aut fabros, aut cæmentarios, aut scriniarios, in Republica conducit; uti in sacrô DEI cœtu, alii Apostoli, alii Prophetæ, alii Diaconi, constituebantur à DEO; nec omnibus obeundis vel unus par, aut capax est: Ita, queis per muneris rationem vacat, quibus & præsidia, & limati judicii dotes, sorte & naturâ obtigerunt, in id incumbant, oportet, ut lites de sacris omnes pervolvant, examinent, ut, si quid vel erroris deprehensum sit in doctrina publica, reliquos moneant; quo jure Reformatores usos novimus cuncti: Vel si aliunde pericula immineant, populusque reddatur dubius, vel veritas cum offendiculo publice impugnetur, præsto sint, qui omnia diluere, & conturbatos plebis animos, non fabulis, non tricis, non artibus & fraude, sed idoneis argumentis, divinam fidem instillantibus, tranquillare possint.

§. 49.

Duobus maxime dubiis, quæ tradimus, obnubilari possent. *Alterum* est, *qui veritatem jam possideant, ulteriori cura merito exsolvendos; cum semel à benignitate DEI in nos divini luminis splendor profectus sit, non esse cur de eô dubitemus, cur moveamur aliorum scriptis in partem contrariam, posse ea contemni, vel saltim perstringi obiter.* De veritate tibi gratulor, sed consilium eâ non defensâ otiose fruendi improbo. Non est ea primo grati animi significatio. Deinde, quotus quisque eorum, qui aliis adstipulantur sacris, est, quin idem caussetur, quod Tu? *Possessione veritatis fruor; non est cur me dissentientium motus habeant solicitum.* Tempora mutantur, va-

riant

riant ingenia, femper nova veritatis, ad novos cafus, adplicatione opus eft: Licet veritas eadem fit continuo. Tu, fi de adverfariorum fententiis fecurus, ea facis, quæ illi faciunt, habes quidem veritatem, & agnofcis, fed non UT VERITATEM. Fieri poteft, ut, cum ignores, cur habeas, paulatim ejus penes Te pretium minuatur, & ingruente extrinfecus errorum nebula, contagium peftis vel te non repugnantem occupet. Quæ cauffa eft, cur omnes Ecclefiæ fint corruptæ, quotquot funt corruptæ.

§. 50.

Tu, nifi continuo adtentus fis, & ad veritatem, & ad ea, quæ agitantur in partem contrariam, ftudium ejus frigefcet, jucunditatis, quâ allicit, fenfus ftupefiet, tandemque habebis, ut in ædibus, thefaurum ignotum. Contra, quò pluribus dubiis par es folvendis, quò diligentiorem adverfarum opinionum comparationem inftituis, eò plures veritatis perceptiones in animi abyffo radicantur, difficilius, à vi quantumvis magna, evellendæ, Minores in animo perceptiones, de quibus §. 25. veritatis cujuslibet tale fundamentum funt, quale præbet plantis fibrillarum in radice incredibilis multitudo; quo plures fibrillæ fe folo infinuant, eo planta firmior, eo ventorum impulfui excipiendo, eludendo, capacior. Sed fimilis veritatum cognitionis ratio, quas, fi non tribus quatuorve argumentis intellectas, mente complecteris; fi innumeris, adverfus qualibet dubia, perceptionibus, eas perfenfifti; fi ex omni circum latere, quô adfpectari poteft, diftinxifti verum: Num putas minorem

vim in mente futuram, aut saltim æqualem ei, quæ tenui nititur notitia?

§. 51.

Sed multi, inquis, *in utramque partem disputare omnia possunt, qui & in adversariorum castris, si non transfugas, certe tamen exploratores egerunt diuturnos, nec tamen iidem certa confirmati fide; sed dubii semper, sed sceptici, sed* partium quarumvis, i. e. nullarum. Verum accipe responsionem: *Non ex quolibet ligno fit Mercurius*, quod singulis passim controversiarum studium male evenit, *non sic* evenit universis: Inde & naturalium dotium præstantiam, & consilii, DEO serviendi, candorem, & præsidiorum ad litteras pertinentium fortunam, facultatemque requiri, nemo est qui nesciet.

§. 52.

Versantur sæpe eruditi in veritatibus desultoriè, *frequenter cognitionis latissime patentem* amplitudinem *magis*, *quam* soliditatem, *& inde pendulam assensûs firmitatem*, *respiciunt*, quâ deficiente, controversiarum studia convincendi vim per animum diffundere non possunt. Fieri & solet, ut, dum animus historiæ litterariæ amore distrahitur nimium, nec non mediocri præditus judicio, litibus sacris ponderandis operam navat, aut non sentiat veritatem divinam, aut scepticismo, ob litium decidendarum incapacitatem, laborare occipiat. Vitium igitur illud non est examinis religionum, sed potius examinantium minus dextre.

§. 53.

§. 53.

Alterum dubium, quod nostræ sententiæ imminet, hoc potissimum innuit: *Non operoso examine uti divinam credendi vim; sed Spiritûs S. cœlo demissi potenti afflatû; viam disputationis longam; difficilem, impeditam; experientiæ verò brevem, & efficacem; Illam paucissimis, hanc omnibus calcandam: Hanc igitur illi anteponendam.* (b)

(b) Hoc dubium mirifice urget celebris Auctor: Car qu'il faut conclure de cela est, que les Mysteres de l'Evangile étans d'un ordre surnaturel ne peuvent point & ne doivent point étre assujetis aux regles de la lumiere naturelle. Ils ne sont pas faits pour étre à l'epreuve des Disputes Philosophiques: leur grandeur, leur sublimité ne leur permet pas de la subir. Il seroit contre la Nature des choses qu'ils sortissent victorieux d'un tel combat: Leur charactere essentiel est d'étre un objet de foi & non pas un objet de science. Ils ne seroient plus des Mysteres, si la Raison en pouvoit resoudre toutes les difficultés, & ainsi au lieu de trouver etrange que quelcun avoue que la Philosophie peut les attaquer, mais non repousser l'attaque, on devroit se scandaliser, si quelcun disoit le contraire. - - - Le Philosophe Celse se moqua de la conduite des Chretiens, qui ne voulant, disoit il, ni ecouter vos raisons, ni vous en donner de ce qu'ils croyent, se contentent de vous dire: N'examinez point, Croyez seulement - - - Ce passage de S. Paul: Nous cheminons par foi & non pas par vüe, suffiroit seul à nous convaincre que de Philosophe à Philosophe. Il n'y a rien à gagner pour celui qui entreprend, ou de prouver les Mysteres de la Religion chrétienne, ou de se tenir sur la defensive. Car voici en quoi different la foi d'un chrétien, & la science du Philosophe: cette foi produit une certitude achevée, mais son objet demeure toûjours inevident: La science u contraire

contraire produit tout ensemble l'evidence de l'objet, & la pleine certitude de la persuasion, &c.

§. 54.

Primo quidem opponenda non sunt, quæ amico consensu sibi mutuo respondent. Fides, tametsi à Spiritu S. sit animis instillata facultas; tamen, ordinariam si regulam spectes, quam DEUS in ea hominibus ingeneranda sequitur, divina vis mentem non complectitur, nisi auditâ doctriná veritatis, Rom. 10. v. 17. quæ, cùm non morigeris tantum, facilesque præbentibus aures, destinata sit; sed omnibus diversissimi ingenii mortalibus, quorum alii veritatem nonnisi accurate investigatam, alii probabilibus suffultam argumentis, alii denique nude propositam amplectuntur: Facile judicatur, præter vim Spiritus animos commoventis, requiri doctrinam cœlestem suis radiis adversus objectas nebulas, emicantem, in quibus divina operatio, ex qua fides prodit, agendi *habeat* initium, fontem, & originem.

§. 55.

Uti non sequitur: *Sunt passim in Republica, qui suopte nisu, nec metu ullo, nec coactione impulsi, vitam agunt in civitate, honesto homine, & obsequioso cive, dignam; ut, si tales non exsisterent pauci, nec tot legum plaustris, nec litium dirigendarum formulis, cautionibusque, nec caussarum Patronis, sæpius quam diutissime contentiones Civium protrahentibus, nec judiciorum solemnitate, opus foret: Ergo abrogari legum pandectæ, dimitti componendarum litium arbitri, disputationes de legum vero sensu tolli, tot actionum, exceptionum, appellationum, restitutionis in integrum, reciprocationum,* &c. *genera proscribi,*

proscribi, & è republica eliminari possunt : Ita non minus sequentium propositionum nexus deficit: *Videre licet homines dociles in divini verbi audientia, non renitentes efficaciæ ejus, quâ hic & nunc tanguntur, facile ad fidem per cœlestes in gratiæ præsidiis vires disponendos, non examine veritatum prolixo, non disputationibus acutis, non argumentorum demonstrantium longius exporrecta serie, convincendos: ergo non opus est doctrinæ typo publico, ab erroribus, solicitâ curâ, purgando, adversus hostes veritatis, omnesque, quotquot ei tenebras offundere possunt, fraudes, sophismata, commenta, defendendo, vel, facta cum erroribus contrariis comparatione, ut contraria juxta se posita magis elucescant, illustrando, tuendo, roborando.*

§. 56.

Nimirum latius patet fides *Ecclesiæ* publica, *quæ præscripto credendorum, ex S. Codice solo depromendorum, typo continetur, quam fides hujus aut illius hominis* privati. Sæpē fides Christiani privata sine diuturna exploratione rerum credendarum impetratur. Numquam verô sine pugnis litterariis, sine decertationibus eruditis, stabiliri fides publica potest. Ratio est in promtu, & obiter tacta §. 54. Fides, quæ creditur, seu publica, *proposita est omnibus diversissimi ingenii,* nunc tenuis, nunc mediocris, nunc boni, nunc summi; *eademque opposita est, tanquam Ecclesiæ tessera, seu vexillum, alienorum sacrorum patronis, molientibus varia, conquiescentibus nunquam; ideoque veritatem hanc* publicam ex omni parte *oportet esse exactam, disputatione limatam,*

C 4 *adversus*

adversus sophismata muniendam, munitam: Fides verô, quâ creditur, eademque privata est unius tantùm separati hominis, qui suo interdum sensu abundat Rom. 14. v. 5. Sine periculo majori, quique crebrò doctrinæ normam publicam vel integram non cognovit, ob educationis, officii, ordinis tenuitatem; vel si cognovit, certe tamen disputando defendere nec potest, nec debet.

§. 57.

Publica fides *ad omnium, tam Ecclesiæ membrorum, quam hostium, est attemperanda captum*, ut, qui proficere in cognitione sacra cupiunt, judicandi facultate præstantissimá prædìti, haud impediantur, offendanturque, erroribus fidei publicæ deprehensis: Privata fides, *sæpe valde exigua, & nonnisi summe necessaria sacrarum rerum notitia nititur*, erroribus commixta, qui si nec tollant fiduciam in Servatorem, nec malitiose, vel, repugnante conscientiâ, foveantur, tolerandi sunt. *(i)*

(*i*) Non male in eam rem Gisbert. Voetius: *Diversa quæstio est: An errores Ecclesiam occupantes sint perniciosæ hæreses? ab illa: An in communione istius Ecclesiæ aliquos adhuc sibi servet DEUS? eosque mirabili modo ad salutem perducat, ab istis corruptelis præservando.* & p. 522. *aliud est pronuntiare aliquid de errore absolute, in se, objective considerato, & aliud, de errore velate, & subjectivo, h. e. de errantibus. Non enim paritas erroris est in omnibus. Ratione enim subjecti extensive, intensive & παραςατικῶς admodum variat.* Nimirum his verbis Auctor significare videtur, aliam esse rationem fidei *publicæ*, aliam *privatæ*, Illam ab Ecclesia nulla unquam recipi corruptam debere; hanc sæpe erroribus gravissimis, salvâ salute, obnubilari.

§. 58.

§. 58.

Errores fidei publicæ, etiam ab intervertenda falutis æternæ fpe paulo remotiores, i. e. fundamentum non attingentes proxime, toti Ecclefiæ imputantur; quoniam *fides publica omnibus propofita eft*, non uni, aut alteri, ideoque etiam Doctis, §. 56. de quibus recta nos ratio conjicere jubet: *Poffe eos errorem, præfertim à veriorum Sacrorum Propugnatoribus toties detectum, & exprobratum, videre, pro officio monere cæteros, ideoque dare operam, ut emendanda corrigantur, publicô omnium confensû.* At enim vero fidei privatæ errores imprudenter admiffi intelliguntur, & ob donorum infinitam verietatem, quæ fe in fingulis exferit, non à fingulis tam facili negotio exuendi. Illic *inter tot hominum myriades aliquot exfiftere intelliguntur acutiffimi*, quorum judicio reliqui, fi mens non læva fit, fapere, & errores deponere poffint? Hîc *unus homo deponendis erroribus quibusvis impar effe cognofcitur.*

§. 59.

Quare uti in Ecclefiæ, *quatenus* fociatæ, *officio effe intelligitur*, abjurare errores, qui jam pridem recepti, & pro veritatibus venditati funt; §. 58. fic multo minus licet, ut ullus facer cœtus publice adprobet errores, & fuas veluti faciat prudens, fciens & volens, eas doctrinas, quas adhuc damnavit. Nam etfi non omnes Reipublicæ Chriftianæ Cives erroribus publicis capiantur, aut inducantur in difcrimen; cum major femper pars aliis rebus vacare foleat, ac litterarum, & Religionis ftudio, contenta doctrinis

maxime neceſſariis: Tamen, ſi vel unus & alter *in quoddam per eos conjiceretur ſalutis periculum, vel in progreſſu pietatis impediretur, vel conſcientiæ angoribus, errorum culpa publicorum, divexaretur, vel, quo minus ſacræ cognitionis majora caperet incrementa, retardaretur*, id ſatis cauſſæ foret, ad proſcribenda falſa dogmata, quæ quorundam οἰκοδομὴν paſſim ſufflaminarent, eademque operâ ipſam DEI obſcurarent gloriam.

At enim, inquis, *difficile eſt allegare exempla hominum, qui culpa erroris, v. g.* circa gratiam, *pietatis, vel ſalutis damnum, aut ſaltim decrementum fecerint.* Sed nec tu nominare eos potes, Socinianorum doctrinis qui perierint. An igitur eæ publice adprobandæ? Non facio æqualem hujus erroris cum Socini mendaciis cauſſam, ſed reſpondeo duntaxat ad argumenti tui, ac dubii potiſſimum nervum. Difficile dictu eſt, quid ſæpe errores publicæ doctrinæ in hujus aut illius animo efficiant. Sæpe homines, quibus credendi difficultatibus, ob Eccleſiæ ſententias, laborent, palam non præ ſe ferunt; ſæpe vel imprudentes illis in vero DEI cultu impediuntur, ut exemplo Iconolatrarum, (tacebo errores cæteros) conſtat; Frequenter etiam deſultoria rerum ſacrarum meditatio, quâ plurimi Chriſtiani utuntur, & ſuperficiaria publicorum dogmatum notitia præſtat, ut errores ſe animis non inſinuent. Illius verò negligentiæ fiduciâ, errores cooptare aliorum publicos, eosdemque conſulto, auctoritate pariter publica, adprobare, tantundem eſſet, perinde ac ſi quis debili ſtomacho, cibos protinus ejecturo, præditus, venenum aliquoties

caperet,

caperet, ſpe fretus fore, ut ſtomachi infirmitas, & laxitas nimia, veneni vim ſit ſuperatura.

§. 60.

Forte ab illis, quæ fidem publicam aliquot Eccleſiarum diſtinguunt, & ex alterutra parte erroribus infecta ſunt, Auditorum utrorumque mens ſenſim avertenda, forte diſputationes, ſuper iis rebus, ſummorum Magiſtratuum juſſu, prohibendæ, forte illa utriusque diſciplinæ publicæ diſcrimina memoriæ Auditorum, æterno ſilentio, eripienda, ut eo facilius differentium dogmatum impetretur conciliatio? Si omnes eodem forent exornati ingenio, ſi vix ultra Catechiſmum ſapiendi facultas competeret cunctis, ſi denique Adverſarii ab exprobrandis erroribus, ex alterutra parte inventis, (inter negantes enim & ajentes, oportet alterutros errare) utrobique vero involutis pactô ſilentio, mentem & manum abſtinerent; tum ſpes foret, ut id conſilium exoptato coronaretur eventu. Sed cùm litium, auctoritate publica, ſopitarum, quæ cum fidei fulcro aliquantiſper cohærent, ſive remotiùs, ſive propiùs, memoria vel animos invitorum ſubire poſſit; cùm, qui judicio acriori elucent, inſtitutâ rerum ſacrarum profundâ meditatione, continuo in controverſias, ſilentio publico preſſas, incidere queant, earum deciſionem, ad firmandam NB. creſcentem privatam fidem, deſideraturi: profecto error diſſimulari non poteſt, qui profectus in fide privata facturo obſtat, qui cum cæteris veritatibus combinari non poteſt.

§. 61.

Et quid, quæſo, de eo caſu dicemus, quô contingeret, ut errores publica tolerantia admiſſi

clam

clam propagarentur à suis basiatoribus? An Hispanica foret adhibenda inquisitio, ut non tolerantes cogerentur? Quid si ex libris olim scriptis cives priscas lites addiscerent, & argumentis, pro alterutra parte, se in ullam trahi paterentur? *Sunt*, inquis, *& hi tolerandi*. Quid, si in errorem igitur nunc receptum pauci incidant, & variis inde divexentur scrupulis, fiduciæ in Servatorem plenæ derogaturis? *An contrarium docendi sunt*? Atqui, hoc sectas est renovare, hoc antiqua refricare vulnera; serra contentionis sic denuo reciprocatur, quæque sunt interdictæ, disputationes revivíscunt. Scrupulis qui vexatus est, & iis exsolutus, deprædicabit factum, veritatem, quâ convaluit, extollet, seque obstrictum putabit, ad omnes, contra simile periculum, muniendos. Sic nunquam cessabunt motus interni, quique antehac extraneis erroribus nati, nunc domesticis, ac civitate velut donatis, coorientur.

§. 62.

Cum fides publica omnibus proposita intelligatur, etiam iis, qui consequentiarum consequentias providere possunt; non videtur error gravis, licet fundamenti expers, ab ullo cœtu, publico consensu, admittendus, & à sciente ac volente introducendus, (de eo enim, quod imprudenter fieri solet, quæstio non agitatur) ne scilicet, qui sunt erectioris indolis, plus quotidie in sacris profecturæ, factô in cognitione, uti præceptum est, Col. 1. v. 2. progressu, errorum illorum occursu conturbentur, vel male cohærens publicæ doctrinæ systema clandestino ludibrio exagitent, ad nefandam confugientes hypocrisin,

pocrisin, vel non solum doctrinæ hiatum rideant, verùm quoque ex erroribus, cum systemate publico connexis, argumentum capiant, etiam præstructas graviores veritates negandi, & animum paulatim adpellendi ad scepticismum.

§. 63.

Judicantur hinc verba Viri celebris: *Fundamentalia (fidei) clara (sint) popularia, à Scholæ tricis, salebrisque aliena. Ratio evidens; cùm enim Religio ad omnes ex æquo pertineat, nec minus sit vulgi, quàm Doctorum, immo magis vulgi, quam Doctorum, sane quidquid vulgi captum excedit, eo ipso pro fundamentali, seu necessario, habendum non est. Religio certe à Scholasticis argutiis ita differt, ut nihil magis, A plebeis, & ad plebeios data scriptura. Christus gratias agit, quod hæc sapientibus abscondita infantulis revelentur, Paulusque non multos sapientes inter Corinthios fuisse asserit. Unde & idem sedulo monet, quanto studio cœlestis doctrina à mundana Philosophia distinguenda sit.* Igitur in simplicitate fides est, *ut verba Hilarii adscribamus &c.*

§. 64.

Si per Scholæ tricas, salebrasque intelligatur Fidei publicæ adcuratior determinatio, ambiguis dissentientium sermonibus opposita; ne, sub iisdem verbis, alienissimi sensus occultentur, veritatem profligantes maxime salutarem; quô, exempli caussa, consiliô vocabula *persona*, *ὁμοουσία*, ac voluntatis divinæ variæ denominationes inventæ sunt: Nego sane, doctrinas fundamentum attingentes à Scholæ tricis alienas esse posse aut debere. Sin alio sensu vocem, *salebrarum*, capias,

nostræ

noſtræ ſententiæ non officitur. Poſt, velim, obſervetur, in nullius propemodum veritatis cognitione incrementa capi poſſe, niſi ejus idea ſenſim ſubtilior, & captu vulgi talis, quod obiter de rebus valde divinis cogitat, longe ſuperior evaſerit. Quid enim eſt, *cognitionis facere profectus*? Certe nihil, niſi rerum, quas generatim, minus determinata cogitatione, & ſuperficario conceptu, es complexus, *notiones acquirere explicatiores*, quibus non ſolum rem, ſed & ejus rationem, immo ſæpe rationis rationem perſpicis, vel certe quidem ſpecialiores rei conditiones intelligis: Quo quid autem cognoſcitur diſtinctius, quo ſpecialius, eo eſt à ſenſu plebis communi remotius, eo ipſi ſubtilius videtur. Quod ſi igitur talis ſubtilitas repudianda eſt, in nulla profecto cognitione gradum licet promovere. Quod, quàm ſit abſurdum, nemini non perſpicuum eſſe poteſt.

§. 65.

Accedit præterea, quod & ex vulgo videre liceat homines non ſtupidiſſimos, ſed acri præditos judicandi, & res quaslibet meditandi facultate. Itaque horum, in adoptandis publicæ fidei dogmatibus maxime habenda eſt ratio, ne in eis examinandis dubia deprehendant, certam animi πληροφορίαν ſufflaminantia, ne errores, quos publice vel adprobatos, vel non deciſos eſſe placet, amplectantur, iisdemque, ſi non initio privatæ fidei, certe tamen in progreſſu, occupari, vacillare incipiant, & ea omnia amittere, quorum ante ſcientiam certam ſunt conſecuti. Id enim fieri poſſe exemplo Galatarum patet. Epiſt. 5. v. 4.

Reliqua,

Reliqua, quæ celebris ſcriptor ſubjungit, nos non magnópere tangunt. *A plebejis ad plebejos*, fateor, data eſt, *& profecta Scriptura*; Sed eo ſane conſilio, ut eam ſcrutemur, Joh. 5. v. 39. quod ſine conſideratione veritatum nexûs, ſine improbatione errorum oppoſitorum, fieri non poteſt. Religionem ſimplicibus, apertis, candidisque hominibus à Chriſto olim propoſitam, non faſtuoſis Hypocritis, ſapientiâ, Chriſti doctrinis contraria, ſuperbientibus, certum & exploratum eſt: Sed inde non conſequitur, nefas eſſe, pro inſtruendis omnium animis, fidei publicæ adcuratiorem typum proponere, quam ut omnes ex vulgo ſtupidi, negligentesque, quorum ſemper major pars eſſe ſolet, penitus, vel primo obtutu intelligant. Quæ fidei publicæ adcuratior additur determinatio, qui in ea caventur errores, proficientibus forte demum noxii, iidem in gratiam prudentiorum, & ad adverſariorum commenta declinanda, quibus paſſim profecturi circumveniri poſſent, cavendi ſunt, non ut ſimplices & candidi, errorum ignari, temere excludantur. Cæterum uti vulgus rude ſervari debet, ita & peritiores omnes: Eſt igitur fides publica non ad unos illos, ſed ad omnes accommodanda.

§. 66.

Verum, qui ita ratiocinantur, utor verbis celebratiſſimi Scriptoris, *quanquam nihil dicunt, quod non ſit certiſſimum, imo & momentoſiſſimum, tamen confundunt id, quod ad parandam ſalutem neceſſarium fuit, cum eo quod eſt cognitu neceſſarium. Quæ duo tamen quam maxime inter ſe differre, vel ſola infantium, ſurdorum, mente captorum, denique*

Patrum

Patrum in V. T. exempla docere possunt. Res similitudine à cibo petita non parum illustratur: Quis enim nescit, innumera ad ciborum coctionem & distributionem requiri, quæ tamen cognosci esse, ut quis nutriatur, nemo dixerit? Similia quidem plerumque illustrant, sæpe tamen aliquid limi velut secum vehunt, quo rei repræsentandæ facies immutatur, casum non integrum exprimunt, omissis nonnullis, quæ ad formandam notionem integram, adhuc desiderantur, nisi forte accuratius proponantur, ut ex omni parte illustrandæ rei respondeant.

§. 67.

Itaque, quod sentio, dicam. Fides, quæ creditur, publica, toti cuidam sacræ societati, i. e. Eclesiæ §. 56. proposita intelligitur; quam potissimam nostræ doctrinæ conditionem, datum ab Adversario simile non exprimit. Quod si vero simile ita formetur, ut & hujus conditionis imaginem quandam referat; patebit, ex nostris partibus stare veritatem. Quis nescit, tametsi privati omnes non indigeant scientia eorum, quæ ad concoctionem, & distributionem cibi in ventriculo requiruntur, tamen membra Reipublicæ ut sociata, ut universa, hominibus opus habere, qui eam rem calleant, i. e. Medicis, quò tandem difficultate concoctionis laborantibus venire possint auxilio, adpetitum cibi amissum revocare, &, quæ adhuc impedita fuerant, felici restituere conatu. Quod si non fiat, sed inculta, neglecta, immo proscripta maneat recta medendi ars & disciplina; profecto efficietur, ut multi cibum capere non possint in civitate, qui, si melius

melius saluti publicæ provisum fuisset, capere potuissent. Facilis est applicatio. Sæpe pii vere credunt, plano in verbum obsequio, sine notitia veritatum limatarum, quibus errores subdoli removentur; id perinde est, ac si cibo feliciter uterentur, sine stomachi incommodo: Quodsi autem de quibusdam ulterioribus notitiis soliciti in errores incidant, publica doctrina adprobatos, iisdemque angantur & conturbentur, id ejusmodi est, ac si quis in civitate ex morbo gravi decumberet, à difficultate concoquendi nato, & tamen medicina publice esset prohibita, nec cuiquam Medico, i. e. prudentiori Christiano, integrum foret, ægritudinem curandam suscipere. Adde, quod longe maximum est, quòd in cognitione veritatum proficere debeamus, in cibo capiendo non item, quod ad notitiam sacrorum augendam sine meditatione caussarum salutis non perveniri possit, possit autem cibus concoqui, etiamsi in ignorantia caussarum concoctionis subsistas. Vide, quantopere istis similibus non recte formatis, diffidendum sit.

§. 68.

Sed, quæso, cur Ecclesiam Ecclesia damnet, cur fratrum binio, iisdem ædibus gaudentium, ita agat, ut ab altero alter expellatur, cur non colimus pacem, cur in mutua bella prorumpimus & dissidia? Ecclesiam ab Ecclesia nude damnari, turpissimum est: Nulla enim datur Ecclesia tam impura, modo vera adhuc sit, quin suos sibi fideles in ea conservet DEUS. Ne igitur & boni passim latentes contemnantur, semper cavendum est. At Ecclesiam, quatenus aliquo fidei publicæ notabili er-

rore distingui solet, improbari, ita ut alterius vera professio illibata ab istis erroribus servetur, culpæ nihil habet. Damnatur error, non damnantur errantes. §. 57. not.* Non Auditores, nisi qui in errore consulto persistant; sed potius docendi ratio.

§. 69.

Non cujusvis erroris fundamentum credendi attingentis negatio est hæresis, (*k*) sed conjuncta cum obstinatione dogma falsum tuendi, nulla habita persuasionis in contrarium partem ratione ulla. Atqui vix millesimus quisque ex dissentientibus, animadversa erroris turpitudine, eam nihilominus consectatur; Itaque nec hæreseos quoque postulantur illi, quos in fidei fundamen impingere dicimus, dum plerique bona fide errant. Non igitur tantum ab omni Ecclesiarum dissensu, per se considerato, dependet discrimen; nisi alii alios, sacrorum differentium naturâ id non exigente, divexent, sedibus exturbent, contumeliis proscindant, virus calumniarum scriptis dispergant, adeoque crimina admittant, ex dissensu per se non nata, sed committenda etiam, si ejusdem Ecclesiæ socii fuissent, æquali affectu incensi.

(*k*) Bene Vir celebris: Les opinions ne sont pas voluntaires, & on ne s'en defait pas, quand on veut; c'est pour quoi (absolument parlant) elles ne se commendent pas; suffit qu'on soit docile, & porté sincerement à faire les diligences, dont on est capable à proportion de sa profession. C'est pour cela, que ceux qui ont juré de suivre certaines doctrines, & ont depuis changé de sentiment, (comme cela arrive asses souvent) ne sont pas tenus parjures. - - - L' Héresie formelle n'est pas damnable

nable que par ce qu' alors la veritable droiture de la volonté manque, & par consequent l'amour de Dieu, qui enferme cette obeissance filiale. La foy est morte sans la charité, qui supplée au defaut de la connoissance : ainsi suivant ces principes tout s'y reduit. Voluntarias esse opiniones, equidem sine ulla cautione dicere nolim. Si DEI legem consideres, vix ullus error, qui gravior est, & fundamentum attingit, reperiri soler, quin, debitâ circumspectione adhibitâ, potuisset evitari. Nam vel olim, quâdam incuria, vel segnitie, vel verbi divini desultoria lectione, & auditu peccatum est : vel etiamnum delinquitur, omissâ adtentione debitâ, & legitimo examine : Sed cum DEUS delicta piorum, Christi intuitu, condonet, veniam quoque dat errorum fidei evitabilium, qui hac vice quidem tales sunt, ut etiamsi evitari potuissent, tamen hac vice ab errantibus non animadvertantur. Itaque & nos, propter infinitam ingeniorum varietatem, multo minus judicare possumus, sitne error quispiam à dissentiente consulto defensus, intelligatne is deviationem à veritate, annon ? Nihil tutius est, quam hæreseos judicium circa errantes suspendere, & eo notare nonnisi eos, quos manifeste contumaces, in dogmate fidei fulcro imminente cognovimus, & ita quidem, ut rectiora edoctos, nec tamen veritati palmam deferentes istos quidem esse, evidentissime adpareat, quod raro fieri solet. Vid. Osiandr. Theol. acroamat. Exercit. X. & XI. item Rechenberg in append. Libr. Symbol. dissert. III. de hæresi & hæreticis.

§. 70.

Cum hæreseos igitur nota non facile ulli cœtui, nisi sub conditione, quæ §. 69. indicata, inuri debeat : *Cur igitur in mutua dissentientes Ecclesiæ,* præsertim quæ in aliquibus tantum differunt, *oscula non ruunt, cur non coalescunt pro-*

pius, cur, si hinc temeraria hæreseos suspicio accenda, Fratres se mutuo non agnoscunt? Annon omnium est consensu exploratum, ac indubium, Fratres esse, quos hæresis funesta non alienat. Si Fratres sunt, qui uno adflantur Spiritu ad veram pietatem colendam, in quocunque tandem cœtu DEO serviant, quibuscunque adstipulentur sacris; si fratres sunt, quos, licet error fundamentum plus minus labefactans, nec tamen evertens, dirimat, illi tamen, non agnito errore, sincero DEI, divinarumque rerum studio teneantur, indignique sint, quibus hæreseos maculam affingamus: §. 69. Dubium non est, Duas illustres Ecclesias fraterno copulatas vinculo. Quodsi vero fraternæ necessitudinis nexum ex adoptata eadem publica fide metiaris: Non video, cur tantopere fratres esse velis, qui eandem fidei publicam professionem, ut amplectantur, nulla ratione videntur obstricti, idque ex §. 61. seqq.

§. 71.

Si ulla unquam controversia Logomachiis fuit referta, certe hæc, de qua loquimur, casum similem est experta. *Suadetur magno fervore tolerantia, urgetur pax Ecclesiæ, provocantur boni omnes, ut pro viribus, quas à DEO datas habent, ad eum scopum contendant.* Quasi vero vel, quod intendi debet, non pridem à bonis quibusque præstitum fuisset: vel quod ab iis non præstari potest, publicæ Christianorum rei inserviret. Quam, quæso, pacem anquiris? *Ut fidem dissentientes publicam deserant, desertam æterno involvant silentio?* Sed quomodo id fieri possit, ex §. 60. ipse velim judices: vel, *ut se mutuo pro fratribus*

fratribus agnoscant, ab inurenda hæreseos nota abstineant? Atqui in officio id esse, & fuisse pridem, forte nemo dissentientium, certa ratione, negat: ex §. 69. *vel ut divisi cœtus pro se mutuo orent, quævis Christianæ pietatis officia præstent?* Sed id vinculum æternum est omnium, quo obligantur omnibus, nullo vel capitali errore solvendum: *Vel an eam pacem desideras, ut mysteria fidei promiscue cuilibet, nullo differentium dogmatum habito respectu, præbeantur?* Tum, pro Ministrorum varietate, jam hæc doctrina in sacris personabit auditoriis, jam novo, diverse affecto adventante, altera; tum conscientia civium mirifice ultro citroque agitata erit, pro præconum judicio, ex §. 61.

§. 72.

Cæterum in iisdem ædibus fratrum, sensu, quo dixi §. 69. præstantissimus binio habitare potest, ut alter alterum, æquo animo toleret, amet foveat, observetque irenicum illud: Sic veniam petimusque damusque vicissim: Sed suas tamen sibi res fratrum uterque, in separatis ædium locis, habeat, quod alter altero paulo accuratiori œconomiæ studeat, & ab omnibus iis abstineat, quæ sibi, aut posterorum valetudini nocere, ac detrimentum afferre possunt. Non erit tum, quantalibet sit fraterna necessitudo, locorum, quæ ambo in ædibus distincta incolunt, suadenda commutatio; non consulta communio rerum, ad œconomiam utriusque diversam, pertinentium; nulla hîc justa querela; *Alterum, qui rerum communioni intercedat, nimis esse avarum, justo inquiorem*, parum curare ea, quæ ad pacem

 inter

inter fratres conciliandam, pertineant: Nam quamlibet suas ille res seorsum sibi habeat; ex eo tamen nondum intelligitur, fraternis cur officiis, si cætero paria sint, dicatur deesse. Ecclesia DEI Domus est: 1. Tim. 3. quam, *si ita placet*, duæ fratrum familiæ occupant: quantum etsi altera alteram, in œconomia, sine ullo rei familiaris, dispendio gubernanda, vincat; Etsi passim lites oriantur ministrorum, sibimet mutuo, ut fieri assolet, vel detrahentium, vel exprobrantium; vid. Genes. 13. v. 7. 8. id malum tamen non ejusmodi est, ut satius sit, *ambarum res familiares confundi, quàm levius subire incommodum.*

§. 73.

Dixi hactenus de publica Ecclesiarum fide pauca strictim, ut adpareret, quam solicito examine cuivis cœtui sacro, opus sit, ad muniendam contra errores publicam doctrinam, quamque neglectus ejus rei fatalis sit, & ad obfirmandos in erroribus deviantes quàm maxime valeat: Nunc ex longa digressione, eo redeundum, unde excurrimus.

§. 74.

Inter caussas, quibus sacris veritatis repugnans error in animis hominum perpetuum triumphum canit, nonnullæ extrinsecus errantibus imminent, & in melioris sanctiorisque disciplinæ penuria collocatæ sunt. Hic enim locus erat alter ex propositis, §. 5. Quis vices gentium, sanctioris Christi doctrinæ expertium, non dolet? Quis arduas non agnoscit difficultates, queis ab amplectenda veritate avocantur? Occæcata ab incunabulis mens, nullis veræ sapientiæ præceptis, nullis

nullis bonorum exemplis, nullis institutis, præsidiisque salutis circúmsepta, quam ægre ad frugem redit, melioribusque se patitur formari vitæ regulis?

§. 75.

Neque tamen, quod difficillimum est, continuo habendum impossibile. Nam quin gentes juris naturæ lumen, qua par est, diligentia, secutæ, pædagogiam gratiæ potuissent invenire, mihi quidem non dubitandum videtur. Longum foret, hic varias enarrare sententias, & in latissimos historiæ litterariæ campos excurrere: Itaque pro instituto celebris Mathematici sententiam de hac re, forte non ineptam, allegabo.

§. 76.

Verba, cum quibus tamen non ex omni parte facio, ita habent: *Credibile est, Ethnicos in mortali peccato non morientes; i. e. non in statu hostilitatis erga DEum, seu voluntatis nocendi* universo, *eos neque cœlo, neque inferno deputari, sed ut fiant ex hostibus non solum non hostes, sed & amici & socii, id puræ gratiæ est per Christum. Pelagianum ergò non est statuere: Ethnicos propriis viribus posse infernum effugere, posse vero cœlum adipisci, id Pelagianum est. Et ita facile tolluntur difficultates de Ethnicis à bonis quibusdam Viris motæ; Nam & Vasquez Jesuita credidit actu amoris DEI super omnia in Ethnico, posse aliquem salvari sine Christo, quod falsum; imo nec datur amor DEI super omnia sine Christo, quia amare DEum supra se nemo potest, nisi, qui intelligit hoc ipsum & sibi esse summum bonum: hoc vero nemo intelligit, nisi Christianus.*

§. 77.

Quod si tamen, quod non credo, fingamus in ullo Ethnico fuisse amorem DEI super omnia, an salvatus? Ego arbitror: sed naturæ viribus nego hoc in homine fieri posse, potentia, ut sic dicam, hypothetica, non absolutâ. Qui DEum timet super omnia, is vitat infernum, qui DEum amat, habet cœlum. DEum timere potest aliquis viribus naturæ, amare nonnisi gratiâ per Christum. *Caterùm illud credibile est in iis, qui per naturam resipiscunt à peccato mortali, sufficere hoc quidem ad vitandam æternam pœnam, sed non ad vitandam maximam quandam temporalem, quam sibi ipsi inferent consolatione Christi carentes.* Sed hoc etsi probabile, tamen maxime dubium, an ulla possit esse extra Christum hostilitatis abolitio.

§. 78.

Mea facio verba Hulsemanni de Auxiliis gratiæ p. III. §. VIII. *DEus quidem totidem verbis non promisit se bene utentibus lumine naturali semper subventurum prædicatione Verbi:* Rom. 9. v. 18. 25. *Miseretur, cujus* vult, *ubi* τὸ vult *opponitur omni* prætensioni & apparentiæ operum, *quæ videri poterant induxisse DEum ad misericordiam.* (Fidei nunquam opponitur voluntas DEI) *&c. Promisit tamen, se daturum* lumine naturæ verum quærentibus media perveniendi ad gloriam. Rom. 2. v. 7. 10. *Tolerantia & lenitas DEI erga peccatores in gentilitate, agit eos ad pœnitentiam. ἄγειν non nudam*

intentionem

intentionem agentis, sed etiam motum ordinatum ad pœnitentiam, vel ad scopum significat. Rom. 8. v. 14. Gal. 5. v. 18. 1. Cor. 12. v. 2. Job. 10. v. 16. quæ media citra prædicationem, alia non sunt. Rom. 10. v. 12. 13. 14. Promittendo itaque gloriam non morosis contemtoribus veri justique, promisit etiam media adæquata obtinendæ ejus gloriæ. Actor. 17. v. 30. Ignorantiæ tempora dissimulavit, - - - fidem offerens omnibus (Ubi *πίςιν παρέχων πᾶσιν, non significat asserere veritatem futuri iudicii per Christum; sed ex natura phraseos,* oblationem facultatis credendi, *&* *collationem ipsius fidei, saltim media regenerationis non respuantur.*

§. 79.

Mea quidem sententia *facienti* Ethnico, *quod in se est, non denegat DEus παιδαγωγίαν.* Patent Supremo Numini complures viæ, nunquam satis excogitandæ, quibus ad salutem revocare potest eos, qui suam illi fidem, in dextro luminis naturalis usu, adprobant. Possunt fata ita dirigi, ut in Christianos homines incidat, qui naturæ instinctui, & prælucenti lumini obtemperat, sacris post Christi initiandus, refingendus. Quod ob Commercia, quæ in omnes mundi partes professos Christi Sacra Mercatores trahunt, fieri facile potest. Taceo instituta Daniæ, Jesuitarum, &c quibus destinato consilio id agitur, ut gentes tenebris obvolutæ verioris disciplinæ luminibus collustrentur.

§. 80.

Possunt præterea sacri codices mirâ DEI providentiâ in manus venire hominis bene affecti, qui

nihil adhuc de Servatore perſpectum habuit. Non deſunt complura ejusmodi exempla in Itinerariis. *Poteſt DEus extra ordinem ſingulari nutu eum, qui rationis, naturâ inditæ, ductum ſecutus, quærere Numen aliquod Supremum,* Actor. 17. v. 27. *inſtituit, percellere illapſis cœleſtibus gratiæ præcipuæ, in exemplum non pertrahendæ, radiis.* Nam quod Abrahamo evenire potuit, homini idololatricis ſuperſtitionibus contaminato, id, quin ſimili rerum concurſu, fieri denuo poſſit, nullus equidem dubito. Quid enim præcipui habuit Abraham præ aliis gentibus, aut quid meruit, præ hodiernis, ut tanta in ipſum conferrentur beneficia, ſi à ſolo naturalis luminis recte uſu *diſceſſeris, qui nec ipſe tamen aliam,* quàm occaſionis puræ rationem habet. (*l*)

(*l*) Bene ſcriptor ſupra laudatus: *Illud exercitium ingenii ad inquirendam naturam & voluntatem DEI, & propoſitum conformandi mores ad æquitatem naturalem, vel aliam quamcunque normam meliorem, & perfectiorem, ſi appareat, (quale propoſitum concedimus in nonnullis Ethnicis fuiſſe) non eſt cauſa inductiva, aut ullo modo cauſſans revelationem myſterii redemptionis, & reliquorum beneficiorum, per miſſionem præconii: Sed eſt tantum diſpoſitio requiſita in ſubjecto paſſivo, quod à cæteris pereuntibus ſola miſericordia DEI diſcernitur.* 1. Cor. 4. v. 7. De auxiliis gratiæ p. 110. §. VI.

§. 81.

Poſſet ſingulari modo, qui naturalis honeſtatis ſtudio ducitur, Verbi divini præconem nanciſci, ut Evnucho Reginæ Candazes obtigit Philippus, Actor. 8. v. 27. Poteſt Cornelio mitti Petrus; Actor. 10. v. 19. Poteſt per quietem Macedonis

cedonis imago arcessere Paulum : Veni & juva nos. Actor.16. v. 9. Quæ, uti facta olim, præter Judæorum omnium expectationem sunt; ita fieri adhuc posse unum alterumve, (in delectu enim hujus aut illius sapientia DEI imperium tenet) multa suadent, quæ mox commemorabimus.

§. 82.

Et quid de cæteris, quæ nunc occurrunt, viis dicam, quibus DEus Christi meritorum participes reddere potest homines, ad lumen naturæ animum & facta, quoad fieri potest, componentes. *Si ineffabili ratione fidem in infantibus, sine auditu verbi, quod cæteroquin necessarium est, ut quid maxime*, Rom. 10. v. 17. *operatur, etsi usu rationis careant, etsi, quid in se rerum agatur, ne sentiant quidem ipsi*; quidni DEUS Ethnicos lecto nunc emortuali affixos, & agentes animam, dummodo luminis naturalis quamlibet debili radio excitati resipuerint antehac, fidei dono mactare, Spiritu suo cœlesti augere, & ad æterna gaudia præparare possit? Qui sine verbi expresso auditu unum facere & potest, & consultum judicat, is & sine eodem agere poterit alterum, Et quidquid difficultatis posteriori divino instituto objeceris, objici & poterit priori. Non est, cur dicas, *infantes Sacro Christi fonte non sine maxima ablui efficacia, quod gratiæ præsidium non obtingat hominibus extra Ecclesiæ degentibus pomœria:* Quid enim, num tu infantibus, qui sine sacri fontis usu, nullâ suâ, vel parentum culpa, morte occupantur præmaturâ, salutem denegas æternam? Numquid

Nnmquid absque gratiæ adminiculo, non ſpreto, non contemto, ſed juſto citius erepto], perituros exiſtimas, & ad æternas plagas relegandos? Abſit, ut quisquam noſtrum id ſentiat: Poteſt igitur DEUS ſine ordinariis viis plura agere, quæ omni captu humano ſuperiora ſunt.

§. 83.

At enim, ſi primitiæ, inquis, *ſacræ, & maſſa erit; Si ſacra radix eſt, erit & ramus. Quod, Paulo alibi interpretante;* 1. Cor. 7. v. 14. *ſignificat, infantes Chriſtianorum, jure præſidiorum gratiæ uti: cum ſint federe parentum comprehenſi:* Sed longe diverſa eſt populorum extra Eccleſiam viventium conditio. Si gratiæ fedus non ad omnes pertinere ſentias, habet illud quidem dubium nonnihil ſpeciei: Sed cum tamen arcanum DEI conſilium à voluntate ſigni, quæ ad Chriſtianos omnes pertinet, verbo DEI utentes, ſit diſtinctiſſimum: *Unde,* quæſo, *noſti, iſtam DEI occultam deſtinationem non meditari quorundam Ethnicorum, lumine naturali utentium, favorem?* Quod occultum eſt, nec negari à Te, nec affirmari poteſt. Non habet igitur cauſſam diſſentiendi.

§. 84.

Quodſi contra fedus gratiæ ad cunctos ſpectare mortales arbitreris, quod ſi neminem ab eo excluſum putes: Miror, te plus tribuere conjunctioni infantum, ſine Sancto Lavacro decedentium, cum ſuis Parentibus, quàm illi quidem unioni, quâ fedus gratiæ omnes omnino mortales Servatori, & Capiti Chriſto, ſociatos, æternis

retro

retro spatiis, voluit, An, si Sospitator omnium Caput, & caussæ Patronus est, id non operetur tantum, quantum efficitur, quum Parentes Christiani prolem sanctam, i. e. jure utendi gratiæ præsidiis instructam, præstant? An ex parentibus Christianis majus gratiæ adipiscendæ jus nascetur, quam ex Capite Christo, cui omnes per fedus gratiæ juncti? Fateor, me non intelligere, quomodo hæc cum veritate conciliari queant.

§. 85.

Ne dicas, *modos revocandi ad gratiæ subsidia*, §. 78. seqq. *indicatos, arguere tantum*, quid à DEO præstari possit, non quid expectandum sit etiamnum: Non contemnenda enim argumenta prostant, quibus, sin attendere placuerit, docebimur, velle *etiam eos restituendi modos, DEum, nec solum* iis efficiendis, potentiâ sua, esse parem.

§. 86.

Magni momenti est, quod Gentium Doctor affirmat, *gentes honestatis turpitudinisque naturalis scientia imbutas, non solùm, spreta priori, posteriorem ultro secutas, verùm etiam calculum suum iis adjecisse, quos similia factitantes animadverterint.* Rom. 1. v. 32. *Propterea omnem omnino hominem ἀναπολόγητον exsistere, nec quidquam invenire, quô sua palliare peccata possit.* c. 2. v. 1. Ex quo oraculo argumentum capitale deduci potest: Qui suis dotibus male utentes nihil prætexere possunt, quo malitiam suam culpa vacuam ostendant, iidem, si recte donis usi fuissent, viam iniissent, quâ isthanc DEI exprobrationem potuissent declinare,

clinare, ideoque favori divino, licet immerito, non obstitissent. Nam si eadem infelicitas maneat cùm male utentem, tum bene; nulla profecto caussa est, quare DEUS perversum usum, præ dextra administratione, tantopere reprehendat.

§. 87.

Forte occurrit tritum illud: *Malum est ex quolibet defectu, bonum ex integra caussa: Nec sequitur: qui malis operibus iram DEI incurrat, eundem præclare susceptis conciliaturum DEI favorem; Pluris enim est gratiam comparare divinam, quàm indignationem ejus provocare.* Sed non intelligis vim ratiocinii §. 86. propositi. Primo enim nec bene, nec male facta, rigorose loquendo, vel salutem, vel perniciem maturant sempiternam, sed fides, quæ non resistendo *allabenti animum efficaciæ concipitur*; nulla nostra collatâ vel tantilla operâ, sed fidei vacuitas, *quæ divinis viribus, mentem occupaturis*, obicem ponendo, *conservatur, augeturque.* Cum igitur gentes nullis luminibus obluctari possint, nisi naturalibus, & omnis fidei vacuitas ad morosam ejusmodi malitiam referatur; perspicuum est, ubi notitia naturalis, datâ operâ, non negligatur, supprimaturque, spem affulgere, ut DEUS fidem, notitiam naturalem non conculcantibus, sit perbenigno affectu præbiturus.

§. 88.

Quidquid DEUS agit, sapienter agit, & juste, i. e. ut SUUM cuique tribuat. Itaque in fidei penuria non relinquit, nisi eos, ad quos, tanquam

SUA

SUA ejusmodi egestas deploranda pertinet. Cum autem illam fidei penuriam de quibusdam tollat, de aliis non item; oportet rationem dari, quare habeatur delectus. Illa non potest esse mera DEI εὐδοκία à justitia separabilis : quare in eo sita ratio erit, quod quilibet accipiat, justo DEI judicio, quod SUUM est, alter fidem, alter fidei vacuitatem. Sed à peccatis in se consideratis non oritur, id quod SUUM cujusque, i. e. conveniens judicamus : Aliter omnes ex æquo fide carerent, quod omnes ex æquo violarunt legem : Itaque convenientia, quâ ad alterum fidei egestas, tanquam SUA, ad alterum ejusdem facultas, ceu SUA, pertinet, ponitur in certo peccandi statu, quo destinata gratia repellitur. Nulla vero Ethnicorum opportunitas est, quam Luminis naturæ, quodsi igitur huic non repugnant, in fidei oblatæ spem venire intelliguntur. Per τὸ SUUM non intelligitur ratio meriti, aut caussæ, aut conditionis sine qua non, &c. Sed nuda qualiscunque convenientia, ut ex verbis Hulsemanni patet, §. 78. quo significatu hæc accepta volumus.

§. 89.

Ex Pelagianismo, inquis, *hæc sententia si non multum, certe tamen nonnihil trahit.* Quid Pelagius docuerit? *ex quæstionibus* facti est, quibus ego, ob instituti rationem, immisceri nolim. Si tamen vera ejus ad nos pervenit sententia, quam nonnisi ex Adversariorum testimonio cognitam habemus, tum in revocando ad frugem divinam homine, vel omnia, vel multum, vel certe aliquan-

aliquantum *tribuit viribus Naturæ* : Sed nos Ethnicis fide ornandis, eorumque luminibus insitis, nec omnia, nec multum, nec parum, immo nec tantillum *adscribimus*, non relictâ, nisi mera quadam convenientiâ, quæ in recto donorum usu ponitur, & se, si exemplis uti liceat, fidei ad eventum habet, ut v. g. Adami somnus ad Evam condendam se habuit olim.

§. 90.

Novi eos, qui Naturæ lumen ad impetrandam salutem æternam valere contendunt, meo argumento, uti, quod §. 86. propositum est; Sed cum id faciant longe alio, ac egomet, consilio; cum & vim ejus nimis extendant, & illi dubio, de quo §. 87. dictum, expositi sint: arbitror, meam causam, ab eorum lite suspecta, esse multo distinctissimam. Non sequitur: *in lumine naturali vim salutis æternam inesse, si eo recte adhibitô, DEUS ex suis viribus, hominem bene animatum. cœlesti fide exornat*: Id potius consequitur, *lumen naturæ non suffecturum, aliter DEI fidem operantis auxilio non opus foret.* Ut nulla propositionum connexio harum est: *Homo adtente verbum audiens fidem concipiet : Ergo audiendo ad fidem quid contulit; cùm audientiam in sua potestate habeat* : Sic & sequentium propositionum nexus hiat: *Homo extra Ecclesiæ limites constitutus, interno conscientiæ à natura ingenerata præconi aures præbet, nec quidquam admittit, quod à ratione alienum esse novit, venit igitur in spem recipiendi, per immensam DEI gratiam, fidem : Ergo suis viribus ad tantum opus perficiendum idoneus exstitit.*

§. 91.

§. 91.

Semet ex errorum laqueis extricatum ire, difficultatis plurimum habere, nec tamen prorsus impossibile, hactenus, non Christianorum duntaxat, sed Ethnicorum quoque exemplo, demonstratum est, quô ipsô effeci, ut intelligeretur eâdem operâ, quæ caussæ homines in suis erroribus obfirment? Unum superest adhuc, quod, antequam ad sequentia proferamus pedem, breviter exponendum est.

§. 92.

Suis homines erroribus maxime alligantur ob arduum lites, quæ Ecclesias dirimunt integras, penitus examinandi, sive impedimentum, sive summam difficultatem. Nulla potest controversia intelligendo velut exhauriri, maxime si graviores de rebus divinis quæstiones attigerit, nisi Metaphysicæ adminiculo, non barbaræ illius, *tot vocum*, nihil, vel obscure *significantium monstris* hirsutæ, sed accuratæ, *summa omnium scientiarum principia tradentis*, nisi linguarum cognitione, quibus scriptus sacer codex, nisi librorum in utramque partem prostantium copiâ & fide, *nisi temporis, perturbatione vacantis*, opportunitate sis instructus: Atqui hæc ne in millesimam quidem quamque Auditorum partem vel cadunt, vel cadere possunt: mirum igitur non est, detineri in suo quemvis cœtu, non commotum alterius Ecclesiæ argumentorum ponderibus. Sed cum tamen nulla tam subtilis, præsertim de gratia & electione, contentio oborta sit unquam, quin curatius de rebus divinis meditanti, vel

mediocris perſpicaciæ, homini occurrat, eundemque ſolicitum, anxiumque & ancipitem tenere poſſit: exiſtimo quidem, niſi fiducia in Chriſtum minuatur, poſſe Chriſtianum deciſione litis vera tantiſper, ſalva æternorum gaudiorum explorata ſpe, ſuperſedere; *beatos tamen illos Auditores prædico, qui in talem Doctrinam Eccleſiæ ſuæ inciderunt, cui ex omni latere à gravibus eſt erroribus cautum*, ut nihil vel initio, vel progreſſu fidei ex doctrina publica occurrat, quod remoram injicere, & pietatis curſum turbare poſſit.

§. 93.

Nec omnes Eruditi tales ſunt, ut examinandis litibus ſufficiant, qui vel ſibi præcipuis quibusdam impedimentis obliquantur, §. 52. vel communi labe, (*m*) quâ omnes homines plus, minus, infirmantur, retardati, ad rem diſputationi obnoxiam, accuratius expendendam, langueſcunt.

(*m*) Labem illam verbis admirandi Scriptoris malo deſcribere, quam meis: *Nos omnes*, inquit, *quodammodo pueri ſumus, qui ſæpe audita credunt, atque inſtar pſittaci imitantur; Ita nos ſæpe aut fortiter cogitata. Nihil facilius, quam demonſtrationum ſuarummet obliviſci. Qui decreverunt peccare, ſurgentem conſcientiam præſcientes, aliorſum verſa cogitatione, deprimunt, dum adhuc dubitant, verentes, ne calculus ſubductus aliud ipſis perſuadeat. Prorſus ut malus Paterfamilias, qui horret ſuas ipſe rationes ſubducere, ne intelligat, quantum debeat, ac quietem ſibi præſentem turbet.*

Hinc adparet eſſe aliquam in nobis artem affectuum regendorum, à nullo tamen mortalium traditam. Nam aliud eſt dicere affectus regendos eſſe, aliud præſcribere normas rationi. Seu demonſtrationes juſti atque utilis dare; aliud regulas quasdam phyſicas præſcribere,

scribere, quibus in nostros, & , quod perinde est, aliorum affectus, possimus, quod volumus, uti aliud tradere scientiam musicam, aliud digitos instrumento affecefacere. Ad banc igitur artem obtinendam, opus erit, ne nimis forti & parva, aut inepta imaginatione judicio noceamus; Sed ita nos componamus, ut possimus omittere cogitationem aliquam, quando volumus. Possumus autem omnium priorum oblivisci, dum sæpe rejicimus.

§. 94.


Si sæpe ex aliis audita, quæ & eorum exemplis confirmantur, vividissimis tandem ideis repræsentamus, & non advertentes sensim ea imitandi assuetudinem contrahimus. §. 93. not. * facile exputari potest, quomodo etiam eruditi, qui erroribus nonnullis, de divinis rebus, à teneris unguiculis imbuti sunt, certissimis contrariæ veritatis rationibus parum commoveantur, quarum quippe in animo excitati motus debiliores sunt, quam ut diu radicatæ consuetudini derogare queant. Sed illam tamen quantamcunque in errores propensionem, cùm in nobis simulacrum reperiatur artis regendorum affectuum: §. 93. not. * *non quidem coram hominibus*, quibus propter infinitam propensionum varietatem judicium competere nequit, *nisi adsint rationes palpabiles*; *sed coram DEO* voluntariam *judicari, supra dictum est.* §. 92.

§. 95.

Præclare nobiscum agitur, si omnes animi anfractuosus recessus perreptamus, inquisituri, quibus modis ad aliquid credendum adducti simus; si dissentientium rationes non minori studio expendamus, ac nostras ipsorum; Si denique,

 adhi-

adhibitis perpetuo precibus flagrantissimis, quæ omni negotio præstruendæ sunt nihil temere adprobemus, nihil damnemus, nihil negligamus, nihil justô impensius amemus, nisi habeamus rationes, claras, evidentes, certas, &, ubi fuerit opus, & aliis explicabiles.



Cap. II.

Primum argumentum pro rationibus, in divina Electione Objectivis.

§. 96.

CUm argumentum, nisi me omnia fallunt, insuperabile ex primis omnium scientiarum veritatibus derivari possit; præmittenda judicavi ea, quæ superiori capite exposita sunt, spe lactatus, fore, ut Viri Doctissimi, quorum sententiam examinandam suscipio, meditationes has qualescunque, illustris Eruditi sententiam illustrantes, non obiter, non desultorie sint expensuri, sed ad singula adversuri animum, ne, ut in hoc ipso negotio factum est, quod in sequentibus, si DEO placebit, commonstrabitur, quod præcipuum pondus habet, tanquam res minoris momenti, sicco transeatur pede.

§. 97.

Quæ de divina sive reprobatione, sive electione, æternis retro spatiis, agitata dici possunt, talia videntur, ut pro tractandi methodo, quam quisque adhibet, jam magnopere facilia sint, jam vero longe difficillima. Felicem judico, qui nodum

dum in ſcirpo non quærit, nec rem expeditam, cum manifeſtiſſimis veritatibus conſentientem, impeditô argutiarum cumulô, intricat.

§. 98.

Facilem, ſi mens non læva ſit, hanc judicavit doctrinam Vir celebris, cujus verba dabo gallica: *Je crois aiſement, que le bon Cardinal Sfrondrati n' étoit pas aſſez meditatif pour ſoudre* Nodum prædeſtinationis. *A mon avis ce noeud eſt autant que reſolu, & ſi les hommes ſe donnent la gêne làdeſſus, c' eſt qu' ils manquent de bonnes definitions, & que par conſequent ils ne remarquent point, en quoy conſiſte la veritable difference entre le neceſſaire & le contingent. Je voudrois qu' il fut auſſi aiſé de delivrer les hommes de la fievre maligne, ou de quelque autre grande maladie, qu'il eſt aiſé de les delivrer des difficultés, qu'ils ſe forgent ſur la prédeſtination.*

§. 99.

At vero diverſe ſenſit alius quispiam non minoris famæ Scriptor: O profondeur des richeſſes & de la Sapience, & de la connoiſſance de Dieu, *s' écrie St. Paul Rom. 11. Tous les Chrêtiens doivent trouver là un arrêt definitif prononcé en dernier reſſort & ſans apel, touchant les diſputes de la Grace; ou plutôt, ils doivent apprendre par cette couduite de Saint Paul ne jamais diſputer ſur la prédeſtination, & à oppoſer du premier coup cette barriere à toutes les ſubtilités de l' eſprit humain, ſoit qu' elles s' offrent d' elles-mêmes pendant qu'on medite ce grand ſujet, ſoit qu'un autre homme nous les propoſe. Le plus court*

& le meilleur est d'opposer d'abord cette forte digue aux inondations des raisonnemens, & de considerer cette sentence definitive de S. Paul, comme ces rochers inebranables au milieu des ondes, contre lesquels les vagues les plus enflées ont beau s'elancer; elles écument, elles batent inutiliment, elles ne font, que se rompre. Tous les traits, qu'on decochera contre un tel bouclier, auront le sort de ceux de Priam:

Sic fatus Senior, telumque imbelle sine ictu
Conjecit: rauco quod protinus ære repulsum
Et summo clypei nequicquam umbone pependit.

§. 100.

C'est donc ainsi que l'on doit agir dans cette dispute, quand elle se passe de Chrêtien à Chretien. Que si l'on trouve à propós de donner quelque occupation à l'Esprit, on doit pour le moins sonner la retraite un peu de bonne heure & se remettre derriere la digue dont je parle. Si Arminius avoit fait cela toutes les fois que sa raison lui suggeroit des difficultés contre la predestination, ou toutes les fois qu'il se voioit appellé à repondre à des Disputans, il auroit tenu une conduite parfaitement sage & apostolique, & il auroit emploié comme il faloit les lumieres de son Esprit. S'il trouvoit des duretés dans la doctrine ordinaire, s'il se trouvoit soulagé en adoptant une methode moins rigide, il pouvoit se mettre au large pour son usage particulier; Mais il devoit jouir de cette commodité en silence, je veux dire, sans attaquer les droits de la possession, puis qu'il ne les pouvoit attaquer sans que des tempêtes perilleuses s'excitassent dans l'Eglise. Son silence lui eut épargné à lui même bien de maux; Il eut très bien fait, de se souvenir d'un vieux Apologue.

Sed

Sed tacitus paſci ſi poſſet corvus, haberet
Plus dapis, & rixæ multo minus, invidiæque.

§. 101.

Auctoris, quæ heic vides, verba fucatæ modeſtiæ *ſuſpicionem habentia docent*, quam non conſultum ſit, *in materia præſenti*, nimium affectare ignorantiam, *eâdemque Empactis occaſionem præbere, eandem tecum cantilenam modulandi, ſed mente diverſiſſimâ pariter, ac ad ludibrium totius ſpectante Religionis.* Quo ſenſu equidem in Electione βάθος credam, ſuſpiciam, venerer, ſuo loco dicetur; ſed non puto id ita extendendum, ut, ſub modeſtiæ pallio, nobis abſurda, repugnantia, & maxime diſſentanea obtrudantur. Tacebo, Paulum ad Romanos capite undecimo de longe diversá doctrina diſſerere, ac ei quidem à celebri auctore affingitur, quod oſtendere, nondum hujus loci eſt.

§. 102.

Facimus igitur cum illo Auctore, quem §. 98. loquentem facimus, ejusdem conſilium ſecuti, in explicanda tam vexata quæſtione, fecundas accuratasque præmittemus definitiones, nullum difficilius vocabulum adhibituri, cui non determinatum, quoad fieri poteſt & debet, alligaverimus ſignificatum. Ita, ſperamus, futurum eſt, ut noſtræ ſententiæ veritas ſole clariores ſit ſparſura radios. Qui nos ab æterno Filio ſuo inſerendos per fidem ſciebat, DEus, largiatur ad id inſtitutum ſui Spiritus potentem gratiam, ut nihil, niſi quod cum veritate, in qua potiſſimum DEI gloria ponitur, conjunctum eſt, calamo mandemus.

§. 103.

Cùm Electio, decretorum DEI, de quibus generatim Theologia præcipit naturalis, peculiarem classem constituat, conditionibus ex Theologia Christiana singularibus demum determinandam; ut, *quod Christi in eligendo habeatur ratio, quod efficacia Spiritus S. destinata exsequutioni det, quod fides in Servatorem concepta intercurrat;* quæ, & ejusmodi sola, ac omnia ex sacris demum litteris deciduntur, reliquis interim, quæ ad decreta generatim spectanda pertinent, ex naturali lumine, per S. Codicem tamen post augendo, pervestigandis: Quæstio *de objectivis decretorum DEI rationibus* ad naturalem Theologiam referri poterit, ideoque, sin accuratius solvenda sit, combinari, cum primis, uti dictum §. 96. veritatibus.

§. 104.

Faciemus ejus rei initium. Contradictio obversatur, *quoties de eodem subjecto, uno tempore, eodemque respectu, idem prædicatum & affirmatur, & negatur.* Possibile hinc dicitur, (n) definitione, quam vocant, nominali, id omne, quod deâ, contradictioni haud obnoxiâ, potest intelligi.

(n) Celebris Auctoris verba in hanc rem ita habent: *Universalis eruditorum omnium hic consensus est, accuratâ locutione, illud omne, & solum, esse & dici possibile, quod nullam in sese repugnantiam* (contradictionem) *in volvit; cujus prædicata essentialia sibi mutuo non contradicunt; in cujus ideam non ingrediuntur duo aut plura, quorum alterum ait, negat alterum eôdem modo. Ridiculus forem, si Auctores allegare susciperem, nemo est Methaphysicus, quin ita possibilitatem definiat. Neque refragor ego definiti-*

oni

oni tanquam nominali, quæ criterium exhibeat possibilitatis, proprium illud, & perpetuum, reciprocum & infallibile.

§. 105.

Quoniam vero præterea possibile, quod præstari à quoquam, aut exhiberi haud posset, nullum esse intelligitur; prima enim ejus notio tanquam rei possibilis, complecteretur quod præstari possit, nec tamen non eodem tempore, quod non præstari possit: Sequitur, non dari quidquam possibile, cui non respondeant vires, quibus præstari possit. Definitione igitur genetica *illud possibile vocatur, cui exhibendo vires alicujus caussæ exsistentis sufficiunt.* (o)

(o) Ita porro citatus Auctor. *Si realem hoc sensu definitionem arbitreris, ut originem possibilitatis animo exhibeat, fateor, aliam mihi definitionem arridere. Ita enim possibile illud voco, cui præstando vires alicujus caussæ exsistentis sufficiunt. - - - - Arbitror hanc semitam esse, qua medius ire inter duo extrema possim. Transeo Scholasticos ex uno, Cartesium ex altero latere. Illi quidem cum ad solam prædicatorum non repugnantiam attenderent, facile animadverterunt, concipi eam posse, etiamsi nihil præsupponas: Adeoque & ipsum illud, quod in possibilibus concipimus tanquam non repugnans ab alio omni independens rati sunt: Cartesius vero cum & essentiis necessariam sui rationem aliquam esse perspiceret, DEO illas rectissime subjecit, nisi quod voluntatem miscuit intellectui, potentiæ & essentiæ, &c.* In eo Cartesius errasse videtur, quod omne possibile ab æquipollenti divino derivavit arbitrio. Nam Part. I. Epist. 104. ita disserit. *In DEO unum idemque est velle & cognoscere; ita ut hoc ipso, quod aliquid velit, ideo cognoscat, & ideo tantum talis res est vera.* Non sunt hæ, nimia subtilitate in auras abiturâ, notandæ Philosophorum speculationes;

nes; Sed, uti in progreſſu commemorabitur, in has ſubtilitates, primo obtutu contemnendas, reſolvuntur errores circa electionem palpabiles, qui nunquam funditus extirpabuntur; niſi cum primis veritatibus purior doctrina connexa ſit.

§. 106.

Voluntas generatim, in quam & electio, h. l. expendenda, cadit, eſt *promtitudo applicandi vires ad præſtandum bonum pro menſura bonitatis illi adjudicatæ.* Qua definitione præmiſſa facilis eſt. Voluntatis divinæ notio & explicatior. *Nimirum Voluntas divina eſt* perfectiſſima *promtitudo applicandi vires ad præſtandum bonum* omne, *pro menſura bonitatis, quæ in illo* vera nec adparens *eſt.* (p)

(p) Sequor h. l. definitiones Viri celebris: *Si conatûs vocabulum*, inquit, *diſplicet, dic promtitudinem adplicandi activitatem ſuam ad producendum bonum pro menſura bonitatis illi adjudicatæ. Ita habes definitionem generalem. Vis Specialem Voluntatis divinæ? Dic perfectiſſimam promtitudinem; dic bonum omne; dic pro menſura bonitatis in illo veræ. Ita diſtingues voluntatem DEI à cæteris, diſtingues autem perfectionibus. Ita decet; adeoque licet. Licet; adeoque oportet.*

§. 107.

Ex hac definitione ſingulæ voluntatis DEI perfectiones diſtinctius poſſunt, cum Viris doctis, (q) evolvi. *Perfectio eſt conſenſus poſſibilium*, de quibus §. 104. Cognitio v. g. ſolidior decet intellectum cujusvis; itaque cum eo conſentit; eſt ergo ob hanc cauſſam perfectionis digna titulo. Quæ ſunt igitur voluntatis divinæ perfectiones? perfectiſſimam enim promtitudinem agnoſcimus ex §. 106. Perfectio eſt, ut haud quidquam velimus,

mus, nisi quod cum digniorum bonorum repræsentatione consentiat: Deus proin perfectissima ornatus voluntate nihil adprobat, nisi quod immensa vis intellectus conveniens judicat. Perfectio est μετριοπάθεια, ut pro caussæ merito amorem temperemus, nec nimis ardenter, nec justo frigidius in bonum feramur ullum: consentit igitur voluntas DEI cum gradu bonorum, quæ deligit, omnium, servat proportionem, ut ita loquar, amandi.

(*q*) Quæ heic dicimus ex doctissimorum Virorum scriptis, non operosé allegandis, desumta sunt.

§. 108.

Nova Voluntatis cujusvis perfectio occurrit, quæ in eo vertitur, ut decretum decreto consentiat: Gaudet igitur DEUS perfectissima voluntate, ut nunquam quidquam destinet, aut destinare possit, cujus ipsum posthæc pœniteat. Hæc est invicta divinæ Voluntatis constantia, quæ tantum abest, ut rationibus eligendi objectivis, quod Adversarii putant, inimica sit, ut potius sine iis consistere nequeat. Si DEUS vellet unquam, cujus ipsum pœnitere posset, tum caussæ, quam nunc rejiceret, adprobasset vero olim, merita antehac incognita fuissent, quod cum immensa DEI perspicacia consentire non potest, ideoque infirmitatem à DEO removendam prodit.

§. 109.

In definitione Voluntatis divinæ mentio quoque facta est §. 106. promtitudinis ad OMNE bonum connitentis, quæ sequentibus fecunda ideis est: Nullum excogitari bonum potest, in quod DEI non voluntas feratur, quod contra fit

in

in Spiritibus conditis, quorum nemo bona quævis vel intelligit, vel adpetere poteſt. Quod ſi omnia ſimul præſtari non poſſunt, (ſæpe enim unô exhibitô, alterum hîc & nunc excluditur, ut ſi æſtatem nobis indulget, hyemem Antipodibus relinqui, neceſſe eſt) ex omnibus tantum facit, quantum fieri hîc & nunc, rerum concurſus permittit.

§. 110.

Si DEI porro voluntas in omne bonum tendit, uno conatu in id exporrigitur. Si repetitis actionibus propenderet in bonum, tum non conſequeretur omne. In actionibus enim adpetendi ſingulis boni quid præteriretur, finitæ igitur eſſent. Atqui quantælibet finitæ actiones non efficiunt vim proprie infinitam. Patet id ex definitionibus finiti, & infiniti, *quorum illud determinari poteſt, hoc nullo pacto poteſt.* Confer in unum res finitas, quot, & quantas volueris, emerget multitudo plurium, quarum ſingulæ determinari poſſunt, ideoque etiam multitudo univerſa; non autem emerget res una, quæ determinari nequeat, i. e. infinita. Itaque DEUS uno conatu omnia vult, non eſt in ipſo decretorum, aliorum aliis ſuccedentium multitudo, nullus ordo, qui ſeries eſt ſuccedentium, tempus adpetendi nullum, quod ſucceſſionem arguit, ſed unô, æternis abhinc ſpatiis, decretô, deſtinata omnia, quæ determinari nequeunt.

§. 111.

Denique definitione §. 106. cautum eſt, ne quis alia, quam vera bona, DEUM adpetere poſſe, credat.

credat. In eo radicatur divina ſanctitas. Sanctitas voluntatis eſt, quâ DEus bonum non ſolum OMNE, ſed & SOLUM adpetit. Itaque quod non eſt bonum, non adprobat. Sed malum bono maxime oppoſitum eſt, igitur id improbat. Finge, id à DEO non fieri, tum ejus voluntas non tendet in omne bonum VERUM, non præsto foret maximus divinæ voluntatis cum bono omni conſenſus, id quod argueret, DEUM infirmitate quâdam laborantem, i. e. NON DEUM, contra §. 104. eſſe.

§. 112.

Audivimus quid ſit, & adpelletur poſſibile? §. 9. 10. Diximus, quæ & qualis ſit divina voluntas, nunc, quid de objecto hujus ſentiendum, intelligitur facile. *Bonum eſt, quod parit perfectionem, perfectionem diximus* poſſibilium conſenſionem; §. 107. Eo igitur ex fonte bonum ſcaturit quodvis, ex quo manat, quidquid poſſibile eſt. Atqui poſſibile propterea eſt, quod ei præſtando vires exſiſtunt, eædemque divinæ. §. 105. & not. * Cave igitur credas, quidquam bonum aliunde eſſe, quàm ob cauſſam eandem.

§. 113.

DEUS neceſſario exſiſtit, nec exſiſtere non poteſt, quod tanquam aliunde certum ac indubium, hîc probare nolo, ſufficit præſtruere. Quæ veritas, ſi ita ſeſe habet, conſequitur, etiam DEI vires tales eſſe, ut quidquid præſtare poſſint, neceſſario POSSINT; non dico, PRÆSTENT. Cum igitur poſſibilia ea ipſa ſint, quibus exhibendis

bendis divinæ vires idoneæ sunt? cognoscitur, quæcunque possibilia sint, necessario talia esse.

§. 114.

Voluntatis divinæ est conditio, seu indoles diversa. Tendit ea quidem in bonum omne; §. 107. Sed, quia sæpe bonum alterum ab altero excluditur, §. 109. ut simul omne exhiberi nequeat, libero nisu majus anteponit minori. Potentiam *si spectas, etiam minus eligi potuisset*, Sapientiam *vero si consideres, non quidem DEus non* POTEST, *sed non* VULT *eligere, nisi, quod est maius. In eo sita est divina Libertas.* Quæ igitur à libera DEI voluntate pendent, ejusmodi sunt, ut alio rerum coorto concursu, & NON ESSE potuissent.

§. 115.

Possibilia quævis, cùm sint *necessario talia*; per §. 113. contrà, quidquid divina voluntas ex possibilibus eligit, certo sensu, & *non eligi potuisset*: §. 114. Manifesta veritas est, non esse quidquam possibile, quia DEUS vult, sed vicissim, hanc ob caussam velle quidpiam DEUM, quod possibile sit. (r) Nam illa sunt necessaria; quæ vero DEUS vult, adpeti contigit.

(r) Sic brevissime profligatur Cartesii & Poireti sententia, quâ, ut infra patebit, gravissimi errores circa divinam electionem nituntur. Cartesii verba in Epist. Tom. II. 104. p. 341. hæc sunt: *Metaphysicas tamen quæstiones in mea physica attingam, præsertim verò hanc, veritates nempe mathematicas, quas æternas appellas, fuisse à DEO stabilitas, non secus, ac reliquas creaturas. Revera de*

de DEO loquuntur tanquam de Jove aut Saturno aliquo, illum que Stygi & fato subjiciunt, qui dicunt has veritates ab illo independentes (sed aliud est ab arbitrio DEI mero pendere, aliud prorsus à DEO non pendere, prius de veritatibus æternis falsum est, non posterius) - - - *Objicietur forsan tibi, quod si hæ veritates à DEO positæ essent, tum DEus posset*, ut & Rex, *leges suas mutare; ad quod respondendum est, ita esse, si quidem voluntas ejus mutari possit. At voluntas ejus, inquis, libera est; Ita sane. Sed potentia ejus est incomprehensibilis; & generatim licet asserere, DEum posse omnia illa facere quæ comprehendere possumus; male enim quis putaret imaginationem nostram juxta cum ejus potentia extendi.* Nescio, quam vim posteriora habeant verba, ad solvendum dubium, à libera DEI voluntate mutandi veritates, desumtum. Respondere ea videntur, quæ aliena sunt, nec quidquam ad rhombum faciunt. Nam in eo robur est: *Si veritates æternæ à libera Dei voluntate pendent, tum eâdem libertate, qua sunt stabilitæ, revocari, & contrariæ substitui possunt.* Huic argumento Poiret occursurus ait: Cogitat. Rat. L. III. c. 10. §. 5. edit. Anno 1575. *DEus horum omnium respectu concipiendus est, ut, postquam veritates illæ ideales, &c. ad tempus usque præsens duraverunt, potuerint deinceps immutari, aliæque vel nullæ prorsus statui, adeo, ut quæ jam sunt veritates, non sint ex se immutabiles, sed ex placito DEI: Nec enim habemus caussam suspicandi DEum illas statuentem, ad tempus eas statuisse, siquidem placeat ipsi suum ipsius placitum.* - - - Pergit paulo inferius: *Veritates, de quibus agitur, & relative ad Deum & relative ad se ipsas considerari possunt. Hoc respectu nihil sunt, nihil etiam habent, quô sint, id quod sint, quô ab aliis distinguantur, quo durent magis vel minus &c. At quando considerantur in respectu ad DEum, ex hypothesi nempe, quod placuit DEO statuere, esse aliquas veritates, vel res, quæ ipsum aliæ minus, aliæ magis, aliæ maxime repræsentarent: Tunc*

realitatis,

realitatis, immutabilitatis, constantis & semper continuatura durationis fundamentum in DEO habent (Respondet his argutiis Vir celeberrimus: *Primum Poireti Argumentum non videtur stringere. Si enim beneplacitum ab initio fuit de constitutione essentiarum temporaria, elapsâ epochâ, possunt desinere aut destrui, ut beneplacitum unum non adversetur alteri. Distingue enim tempora & concordabunt beneplacita. Ita cultum DEus Leviticum statuit. Secundum stringit, sed supposito, DEum non agere, nisi ex rationibus sapiente dignis. Viderit itaque Vir doctus, annon, ubi absurda suæ sententiæ imputabilia declinare satagit, tacite in nostra transeat castra, qui tuemur indifferentiam aliquam DEI respectu creaturarum, sed sapientem, & nunquam sine ratione statuentem.*

§: 116.

Nisi gravissimum divinæ electionis dogma purius cum subtili hac, de origine possibilium, disputatione, instituto accuratiori examine, connexum inveniretur, quod obiter rem intuenti non potest non videri magnopere mirandum, certe nunquam egomet animum ad has remotas à sensibus decertationes appulissem. Sed quum res ita sese habeat, veniam me consecuturum spero, ubi aliud adhuc argumentum præstruxero.

§. 117.

Possibilia, si à DEI quidem mero pendent arbitrio, aut ad certum definitumque statuta tempus intelligi debent, aut per sempiterna antrorsum retrorsumque durandi spatia. Sin illud placeat; quod hodie verum est, quod hodie fieri potest, aliquando erit falsum, aliquando impossibile: Sin istud videatur; quæro, unde cognoscatur, non mutatum iri, quæ possibilia sunt? Si

rationem

rationem à sapientia DEI petitam, stabilem, falli nesciam, allegaveris, tum eam non referes ad merum DEI arbitrium, ne eadem quæstio infinitis recurrat vicibus: Itaque ratio illa in sapientissimo DEI consilio, & immensa potentia radicabitur; id quod nos contendimus. Sin autem nullam sempiternæ durationis, quâ possibile afficiendum putas, rationem attuleris, non es utique sine argumento audiendus.

§. 117.

Quam possibilia originem in DEI potentia §. 106. quasi venerantur, eandem & bonitas, omnis, quæ tandem cunque cogitari potest, agnoscit. ex §. 113. Quemadmodum igitur haud quidquam possibile est, quoniam DEus vult; Sed contra possibile præstruitur, in quod voluntas DEI tendit: ita similis erit bonitatis ratio, ut ea à Voluntate DEI non demum oriatur, sed potentiæ potius divinæ, quatenus perfectiones distribuendas curat, i. e. æterno amori, eidemque necessario, per §. 114. nativitatem debeat suam.

§. 119.

DEUS igitur volendo non facit bonum, sed ab alia necessaria DEI virtute jamjam præstructum, invenit. *Quidquid* vult, *quoniam* bonum est, *vult*; nec ullum bonum ideo exsistit, quod in ipsum DEI voluntas fertur. Eligit DEUS rem, quod à potentia ejus perfectio exhiberi potest; neque præstatur cujusquam rei perfectio, propterea solùm, quod DEUS eligit. Qualis, quæso, esset *ille delectus, cui non subjiceretur multitudo possibilium deligendorum?* Qualis voluntas, quæ non versaretur circa bonum?

Sed qui volendo bonitatem demum efficit, is eligenda non habuit, quæ eligeret, cum ea demum eligendo faceret. Qua sententiâ, nescio, an quidquam stultius, vel ineptius, vel certe magis præposterum excogitari possit.

§. 120.

Qui volendo demum bonum facit, non objectum invenit, is intellectu, ad discernenda bonorum momenta, præclarô modô, supersedere potest. Intellectus voluntati prælucet. Cur? ut, quæ proposita sunt delecturæ voluntati caussarum momenta, bene distinguantur, &, omnibus probe ponderatis, voluntas habeat, in quod præ cæteris, cùm omnia simul haberi non possint, §. 110. sese inclinet. Finge, voluntatem suo delectu bona efficere; quid opus est intellectu? Nam ante quidem, quam voluntas eligit, nihil esse boni putas, postea vero, quam delectus institutus est; quomodo potest intellectus prælucere? Non præire intellectus lumen potest voluntatem deligentem, si ante eam nihil est, quod bonitatis titulum mereatur. Sequetur tum intellectus, non prælucebit.

§. 121.

Falsissima igitur sententia est doctissimi Angli, qui in contraria omnia hinc abiit. (s) Verba hæc sunt: *Certum est, Voluntatem divinam tam bonitatem, quam sapientiam suam hîc, ut in omnibus, comites habuisse, ab ipsa vero immediate est, quod res placent DEO*, i. e. BONÆ SUNT. *Multa enim bonitati ejus & sapientiæ congrua non sunt, quia* NOLUIT, *& dum nollet aliquid, bonum esse non potest.* item: *Tota creaturarum bonitas voluntati divinæ debetur, & ab ea pendet: in se enim nec bonæ, nec malæ concipi poterant,*

cum

cum nihil ante actum voluntatis divinæ fuissent, nec minus quoad DEum ipsum à bonitate alienæ, donec volendo, ut exsisterent, actu eo electivo & bonas sibi constituisset, & inter se congruere veritate voluntatis fuisset.

(s) Kingius de origine mali pag. 156. edit. Brehmens.

§. 122.

Dum negat Auctor, utor verbis alienis, *DEum quidquam in rebus creandis vidisse, quod ei persuaderet, ut ita, & non aliter conderet, si id de conceptu divino ante creationem intelligat, nihil aliud dicere putandus est, quàm DEum non debuisse naturæ suæ, h.e. sapientiæ, justitiæ, & bonitati convenienter agere, à qua sententia Virum hunc alienissimum esse, certo sum persuasus. Quod autem monet, solam voluntatem DEI, caussam esse bonitatis, quæ in creatis appareat; id quidem verissimum est, si de causa communicata hujus bonitatis ipsi sermo sit, quia tum idem dicit, quod præter Doctores Ecclesiæ primitivæ Theologi Saniores cum nostratibus affirmant, Supremum Numen ex libera voluntate Universum hoc condidisse.*

§. 123.

Meam facio hanc responsionem, si à prima ejus parte discesseris. Voluntatem caussam omnium bonorum esse, *quæ* & *quatenus* exsistunt, tam verum est, quàm quod verissimum. Sed quod ab ea pendeat, ut res esse POSSINT; quòd ante ejus decretum nihil boni prævisum fuerit, cujus, ceu adhuc possibilis, ideâ, voluntas inducta potuerit esse ad eligendum, id quidem est, quod etiam atque etiam negamus. Cæterum priora non videntur prosternere sententiam Angli. Affirmat Censor, *si DEus in rebus condendis nihil viderit, quod ei persuaderet, ut ita potius, quam aliter crearet; quum hoc de conceptu divino ante creationem intelligatur, sensum fore hunc,*

DEum non debuisse naturæ suæ agere conformiter. At facile hunc ictum declinabit Anglus. Conceptum de rebus divinum, ante mundi primordia formatum repræsentare res ut indifferentes, hinc si vel maxime DEUS aliter ageret, tum vel ipsam voluntatem eligendo res bonas & sapientes redditturam (*t*)

(*t*) Expendantur Verba Kingii p. 142. *Intellectus*, inquit, *seu ratio repræsentat id, quod in rebus est, nec fingit, quod in iis non invenit: Cum igitur res ante determinationem hujus potentiæ, respectu ejus indifferenter se habere ponuntur, nec aliud præ alio juvare, aut lædere, si intellectus rite officio fungatur, indifferentiam hanc repræsentabit, nec aliud præ alio amplectendum esse pronunciabit.*

§. 124.

Sed si, inquis, *neque, quod possibile est, neque ulla ejus bonitas à DEI arbitrio pendet, dabitur aliquid, quod originem in DEO nullam agnoscat, quod sit DEO æquale, quod sit nulla ratione Numini velut obnoxium.* Verum enim vero, si ita calculos subducis tuos, non advertisti animum, ad ea, quæ superioribus paginis dixi. Quidquid est, vel cogitari potest; suam ad DEUM refert originem. Itaque & bonitas, quæ possibilis est, universa. Sed aliud est à mero DEI arbitrio eam derivare, aliud à potentia, & benignitate. Prius confutatum est, §. 122. seq. posterius demonstramus ipsi. §. 119. Non igitur quæstio est: *An rerum bonitas à DEO pendeat*; id quod largimur omnes: *Sed à* quânam virture *pendeat*, potentiâne *ejus*, an ab æquipollenti arbitrio?

§. 125.

Stabilita igitur sub initium veritate: *DEum volendo res bonas non efficere, sed potius easdem velle, quod bonas cognoscat*, §. 120. seqq. nunc electionis

divinæ

divinæ naturam propius conſideraturis porrodicendum eſt, *quales, & quantæ res illæ bonæ ſint, quas deſtinandas poſſit ſuſcipere*? Nimirum antea omninò, quàm DEus quidquam, voluntatis petenti nutu, ex poſſibilium numero in exſiſtentium Theatrum juberet prodire, non poterat ullum ei negotium futurum aliter obverſari, quàm eô modô, quo tum poſſibile erat; i. e. eo modo, quö æterna ipſius potentia id præſtare, cum nondum exſiſteret, potuit.

§. 126.

Sed & id omni caret dubitatione, quòd, ſicuti, quidquid poſſibile eſt, neceſſario eſt, per §. 115. ita neceſſario quoque, antè Mundi initia, res non potuerint non eâ DEO facie, eò habitu, adparere, quô erant tum poſſibiles. Haud igitur pependit à mero DEI decreto, quâ illæ naturâ, quâ indole intellectui ſiſterentur, & per potentiæ vim præſtabiles eſſent.

§. 127.

Quod, cum ita eſſe, *primis*, iisdemque evidentiſſimis *veritatibus*, §. 116. edoceamur, rem ultra cogitantibus occurrit, duabus *potiſſimum* rationibus *res ab æterno fuiſſe, generatim loquendo*, poſſibiles, *ideoque* tanquam tales, *DEO*, quum nondum quidquam condiderat, *diſtinctiſſime obverſatas*, Vel enim res ut ſingulæ *conſiderari*, ideoque pro perfectionis modulo adprobari potuerunt; Vel ut ſe invicem certo reſpiciunt nexu, *prout adcertum ordinem, ad harmoniam, ſeriem, concentum admirandum*, quum nondum è nihilo emicuerint, fuerunt revocabiles.

§. 128.

Eæ considerationes sunt ejusmodi, ut locum habere debeant, si ab omni adhuc decreto DEI mentis cogitationem tuæ averteris longissimè. Idque per §. 120. Sunt, & erant igitur res & singulæ *possibiles*, extra nexum cum aliis ullum, extra dispositionem aliarum cum aliis spectatæ, & redactæ in certas classes, *ordines*, quibus fit, ut, quare res una sic potius, nec aliter, affecta præstari per divinam potentiam potuerit, subinde ratio inveniatur in altera. Neque adhuc DEI voluntas, res talis, vel talis exhiberi ut potuerit, *quidquam tum contulisse censenda est*. §. 127.

§. 129.

CùmDEus nunquam non sua feratur voluntate in omne bonum, quodcunque cogitari potest, §. 107. sequitur, eum singula quoque, extra nexum cum cæteris spectata, adprobare, juxta proportionem, qua unumquod que vel majus intelligitur esse, vel minus. Recte enim Vir celebris: *Placet DEO NB. non sub conditione, sed simpliciter, quidquid bonum est: placet autem proportionate, prout unumquodque* majus est, aut minus. *Hæc prima voluntatis consideratio est, ex ipsa bonitatis idea pendens, quæ nullum excludit bonum à divina adprobatione; quæ unumquodque bonum in se ipso, singulatim, & seorsum spectat, ut* bonum est; *quæ NB.* solum malum, *à beneplacito DEI exulare jubet.*

§. 130.

Quando eadem divina voluntas, (non enim est, nec esse potest multiplex, ex §. 111.) Sapientiâ comite, ferri intelligitur in res, in *bona*, quæ præstari â divinis Viribus possunt, certo ordine, har-

moniâ,

moniâ, ornatû §. 128. *digesta*; facile cognoscimus, alia ab aliis excludi, *cum in certo rerum ordine quodlibet cuilibet adaptari nequeat.* Multa igitur bona in Systemate præstari nequeunt, quæ exhiberi possunt, extra illud, ut in se, & seorsum respiciuntur. Fieri potest, ut à corporibus corpora in cœlo *attrahantur*, quæ celebris Angli sententia fuit, affluentibus nimirum perpetuo extraordinariæ divinæ potentiæ viribus, supplentibusque naturæ cursum hiantem: In hoc autem systemate, si salva quidem rerum omnium ordinatio consistere debuit, exhiberi id non potuit, quoniam pulsu potius, quam tractu, natura, ciendos motus esse, dictitat. *Potuisse in hac etiam rerum serie, quà Nero Cæsar ex Cæsaribus oriundus, summo fuit potitus imperio, & voluptatum facultate exquisitissimarum auctus, donis tamen suis rectius uti, & auctoritatis suæ longe optimos fructus longe lateque expansos ire, ita mihi persuasum est, quàm quod maxime ex* §. 78. C. I. Sed nonnisi in alio systemate præstari à DEO potuisset, ut, quod Tyrannus in nostro POTUIT, id etiam VELIT, *si forte ex aliis fuisset procreatus parentibus, Christiana amplexis sacra; si Cæsar cum tanta agendi quavis licentia non esset creatus; si forte perpetuo Apostolum habuisset monitorem; si alia tandem omnia concurrissent, quæ* NOLENTIS *etiam obsequium poterant elicere.* Quæ si exstitissent, systema præsens *variatum*, i. e. non amplius HOC mansisset.

§. 131.

Quidquid boni possibile est, id præstare possunt divinæ vires, §. 113. sed quævis tamen, i. e.

omnia & singula unà exhiberi, quod se mutuo excludunt, §. 131. in Systemate nequeunt. Eadem igitur *divina voluntas, prout spectatur tanquam adprobans, juxta suam quodvis proportionem*, §. 130. *omnia & singula bona seorsum*, dicitur ANTECEDENS; Sed quoties illa ipsa *spectatur, ceu talis, quæ, cum singula sæpe bona semet excludant*: §. 131. *tantum ex iis omnibus & singulis decernat, quantum in systemate decerni potest, quantum ordo possibilium bonorum maximus, præstantissimusque permittit, vocatur* CONSEQUENS.

§. 132.

Sensum hic habes vexatæ distinctionis, de qua scripta in utramque partem librorum volumina nos fere opprimunt. Si tamen hæc tibi distinctio infesta videatur, & inimica, quæso, expendas, & accurate tecum constituas, prius, quam condemnantem tuleris sententiam, *an contineat nonnihil, quod divinis perfectionibus indignum sit, nec ne?* Primo observabis, *non affingi à nobis DEO* voluntatem, aliam aliis contrariam; quâ igitur es animi æquitate, ab hac exprobratione posthæc, si placuerit, abstinebis. Dixi primo Eandem voluntatem duplici modo spectari: §. 131. Sed IDEM quod est, ne à se quidem DISTINCTUM, ne dicam, sibi OPPOSITUM est. Ut huic tuo dubio ex omni parte satis fiat, quantum per ea, de quibus §. 35. seqq. C. I. dixi, potest, adverte animum, si lubet, ad sequentia.

§. 133.

Aut DEUS ea bona, quæ ob rationem systematis, quo excluduntur, decerni nequeunt, adprobat,

bat, aut non adprobat. Si prius, fundatus est duplex ille ejusdem divinæ voluntatis respectus, §. 131. ideoque distinctio illa haudquaquam damnanda. §. cit. Quodsi vero, ea non adprobari à DEO dixeris: *tum primo DEI voluntas non est perfectissima, qua non tendit* in OMNE *bonum*; contra §. 110. præterea DEus suammet ipsius potentiam, quatenus perfectiones exhibere potest, improbavit. Cur? quæcunque bona possibilia sunt, bona & possibilia sunt propter divinam potentiam, uti supra forte, his nondum visis, concessisti. §. 113. Quodsi DEUS igitur ea bona, quæ decerni nequeunt, haud approbat, tum suam ipsius potentiam *quatenus hæc præstare potest*, non adprobat, quod absurdum tolerari non debet.

§. 134.

Ponderentur, velim, porro sequentia: Voluntas antecedens se ad consequentem *habet, ut* caussa ad effectum. *An, quod eô nexu copulata, contraria sibi mutuo esse potuit?* DEUS tantum decernit boni, quantum maximus, præstantissimusque bonorum possibilium ordo permittit, ideo, quod omnia & singula, extra nexum adhuc spectata, adprobat. *Nisi* voluntate antecedente *tenderet in bona* omnia, & singula, *non ex voluntaluntate consequenti provisum esset, ut tantum ex iis eligeretur, quantum eorum pugna permitteret.* Voluntas igitur consequens intelligitur propter antecedentem esse, nec illi locus posset esse, nisi præparatus ab HAC (*u*)

(*u*) Pertinent huc verba Scriptoris eruditi: *Præcipuus antecedentis voluntatis effectus est, ipsa consequens volun-*

voluntas, quæ nihil aliud eſt, quam decretum generale & finale, ex omnibus antecedentibus inclinationibus ſingularibus, & particularibus reſultans. Id extra dubium eſt mihi, ſi potuiſſet major, ſine abſurditate aliunde naſcitura, effectus obtineri, quam in voluntate conſequente decernitur, voluntatem antecedentem, quoad partem, ſine urgente incommodo neglectam, non futuram fuiſſe ſeriam Ille meâ ſententià vult ſerio, qui facit non impeditus, non ille, qui, non impeditus licet, non facit tamen,

§. 135.

In hac igitur diſtinctione recte intelligenda, etiam atque etiam rogo, ut revocetur ad animum, CONSEQUENTEM VOLUNTATEM ORIRI EX ANTECEDENTE. Cur *voluntate* DEUS *conſequente* hanc bonorum ſeriem, multitudinemque, nec pauciora diſtinavit? quia voluntate antecedenti adprobat omnia & ſingula, ideoque, quum in ordinem redacta nonnulla excluduntur, §. 131. ſaltim tot ſunt, & tanta electa, quot & quanta potuerunt combinari, *non igitur* pauciora decerni, *voluntas illa antecedens, ad omnia, & extra nexum locata, tendens, permiſit.* Sed cur non plura decreta? quia, ut ſæpe dixi, alia aliis excluduntur; §.131. quod, ſi ita ſe non haberet, una *voluntate antecedente* deſtinarentur omnia, nec in ſubſidium veluti vocanda *conſequens* foret.

§. 136.

Oro Viros eruditiſſimos, aliter ſentientes, immo *obſecro*, & obteſtor, ut hæc conſiderent, perinde ac ſi, omnium adhuc litium ignari, ex machina quadam proſiliiſſent, tum vero conſtituant, *num quid-*

quidquam in his sit, quod cum DEI virtutibus conciliari nequeat? Annon omnia ejusmodi sint, ut, *sine ulla cum perfectionibus divinis pugna, possint consistere?* Scio, quæ hic eruditissimis viris, quò minus idem videatur, obstent. *Si*, inquiunt, (*x*) *quæ non futura erunt ex decreto, voluntas DEI adprobat, ideoque præstari, cæteris paribus, cupit, fine DEus suo, quem propositum habet, excidit, ac Sapientissimus* sciens & volens, *appetit, quæ non secutura multo ante certissime cognovit: quo quid potest esse absurdius?*

(*x*) Vid. Windelinus Theol. Christ. L.I. c. 19. fol. 313. Molinæi Anatom. c. 5. th. 3. p. 23.

§. 137.

Sapientissimus sæpe nonnulla serio vult, quæ tamen non eventura certissime præsentit, si scil. per se solum non steterit, ut adprobata eveniant; sed potius eorum complementa, ex certo ordine, *prudenter non mutando*, pendeant. Si mirum id videtur, de Christi exemplo cogita, qui, calicem propinandum declinari, humillime voluit; Matth. 26. v. 42. tametsi eô se potandum ipse exploratissime prædixisset. Luc. 18. v. 31. seqq. His & aliis responsionibus, quæso, diutius, quam forte adhuc factum, meditando insiste, nullus dubito, fore, ut tibi nostra tandem doctrina verior adparitura sit. Nam Christum voluntate tantum, nescio qua, externæ significationis, non seriâ animi sententia, ut Calix transiret, rogasse Patrem, ipse, spero, temere non dixeris. (*x*)

(*x*) Refero huc verba ex Jurisprud. Theol. p. 207. §. 72. *An sapiens in finem tendit, quo se privatum iri certissime novit? Quid est finem intendere?*

dere? Bonum, quod ames, tantum curare promovendum, quantum PER TE *fieri potest. Si igitur per te solum istud non steterit, sæpe intendis, quô excidis, finem. Et sapientissimus multa fieri optat, quæ non eveniunt, sufficit, eum facere ad ea consequenda, quantum in se est. Distingue igitur inter fines. Finis qui per te solum impetrabilis est, non intenditur, cum à te sapiente non futurus certissime prævidetur: at vero qui per te solum obtineri non debet, sed aliorum quoque officio injunctus est, eum tu sapientissime intendere, nec tamen non amittere potes.*

§. 138.

Eam ipsam ob caussam, pergis, *quod quædam Sapientissimus, ob certum ordinem, prudenter non mutandum, haud congrue præstanda præsagit*, non tendet in ea volendo, *ne minus ordinato adpetitu videatur adprobasse dissentanea*, Si de ultima ac decretoria propensione, quam nos vocamus voluntatem consequentem, tibi sermo sit, affirmo omnia, quæ dicis, sed salva manente mea caussa. Sed *cum decretoria hac propensio sapientissimi non aliunde, quàm ex antecedentibus* inclinationibus in bona singula, ac separata, *cooriatur*; id quod demonstravi: §. 134. 135. non est, cur putes, bona, quæ ob ordinem prætermitti debuerunt, prorsus nullo unquam respectu fuisse DEO cordi. *Nisi enim* separata cordi fuissent omnia, & singula, immo non futura; non essent omnino tot & tanta *præstita*, quanta per systematis rationem exhiberi potuerunt, per §. 136. quantaque revera evenisse cognovimus.

§. 139.

Finge tantisper, ea quæ nec olim evenerunt, nec evenient unquam, haud quaquam se adprobasse DEO, i. e. bonorum non futurorum, eorundemque

que duntaxat possibilium, nec ex eo numero proditurorum tempore ullo, nullam fuisse habitam à Deo rationem: Sane nulla poterit allegari ratio determinata, quare ea bona, quæ ex possibilium numero exsistere jussit DEUS, *nec plura sint, nec pauciora?* §. 136. Si dixeris: *Nostrum non esse has rimari DEI vias, satis esse, credi, quod ita placuerit Numini*: Urgeo: Certe quidem id consequitur: *Si bona nunquam futura DEO non sunt cordi ullo respecto; Potuit sine gloriæ detrimento exhibere pauciora*; cum subinde ea, quæ non fiunt, ex tua mente æstimanda non sint, *nullumque veluti jus habeant, à divina benignitate exigendi*, ut in rerum conditarum Theatro sistantur. Atqui dubium non est quin, si pauciora fuissent exhibita, imminutis divinæ benignitatis speciminibus, etiam groriæ detrimentum fuisset faciendum.

§. 140.

Si eorum, quæ nunquam exstitura, Voluntas DEI rationem non habet, tum nec bona erunt, ideoque sola DEI destinatio, quâ quædam exsistere jubentur, bonitatis rationem iis addet. Ita res bona erit, quia DEUS vult, non vicissim rem ille volet, quia bonam cognoscit. Quod est contra §. 120, 123. Si vero tamen ea, quæ nullo sunt futura tempore, bonitate quadam exornata dixerit, profecto jus veluti quoddam habebunt, exigendi, ut à voluntate DEI amentur; ne caussa sit, suspicandi, non in omne possibile bonum *divinam voluntatem ferri, contra* §. 107. Ne dicas quæso: *Nemini quidquam competit in DEum juris, ipsius arbitrio metienda jura omnia: Non enim, si DEus bona omnia adprobat,*

amat,

amat, alium neminem *amat, adprobatque, nisi* seipsum met i.e. suam ipsus potentiam, ex § 113. propter quam solam bonum est, quidquid omnino est. Non alieno juri satisfacit; Sed illi, quô sibimetipsi obstringitur.

§. 141.

Voluntas, inquis, *antecedens* est *dissentiens à consequenti, eidemque opposita, iniqua & infesta*, destruit *hæc, quod illa adstruxit, negat hæc facienda, quæ illa vehementer fieri optat.* Mölinæus l. c. n. 8. Advertas velim ad definitiones §. 134. propositas. Eandem dixi voluntatem DEI, diverso considerata tam respectu, jam omnia bona adprobare; tùm, quia omnia per systematis rationem præstari nequeant, decernere, quantum ex OMNIBUS adprobatis exhiberi queat. An id est contraria DEO affingere desideria, annon alterum altero patitur? §. 135. an ea opposita & semet destruentia dicis, quorum ex alio aliud gignitur? Apage igitur istas objurgationes. An, electos iræ obnoxios per naturam esse, credis, ex Ephes. 2. v. 3. Atqui idem posset Paulo opponi, quod huic Tu sententiæ opposuisti, *odisse DEum homines, ut iræ filios, & non odisse, ut electos; alterutrum igitur falsum esse, vel quod natura sint legis violatores, vel quod sint electi, pugnantia ea esse, nec de DEO posse affirmari.* Si responderis: *Iræ olim filios, dignosque odio, alio nunc fatorum, i. e. gratiæ præstantis ordine collocatos, damnari non amplius; Eandem rem, (Electum) ut extra gratiæ Systema & œconomiam spectetur*, odio, *ut in ea positam*, amore *dignam*, diverso respectu, *non variam evadere:* idem tibi responsum esto. Eadem

res,

res, si extra systema spectetur, DEO probata esse potest, in formando autem systemate, cui adaptari nequit, quid obstat, quo minus prætermittatur?

§. 142.

Sed antecedens, regeris, *voluntas minus est determinata, incerta, suspensa à conditionibus, & mutabilis in peremtoriam, &c. Atqui tendit in bona possibilia* omnia, sive futura, sive non exstitura unquam. Si anceps hæreret in optione, si secum constituere non posset, utrum sit adprobandum, tum quidem, consilii inops, minus determinata foret. Sed aliter rem semet habere dixi. §. 134. Quid? quod vel ideo etiam quam maxime determinata exsistat, quod ex se gignat conatum, præstantissimum pariter ac maximum, bonorum, quæ combinari possunt, ordinem exhibendi, §. 138. qui ita determinatus est, ut quidquam aliud maxime. An, quod certum quid discupit, determinato modo non discupit? *Incerta*, inquis: *isthæc voluntas est*. Quonam in negotio? *Numquid in amando?* Atqui adprobat certissime omnia bona, etiam præstanda nunquam. per. §. 134. 135. *Forte in effectu, quoniam, in quæ fertur, futura non sunt.* Atqui effectus est, consequens voluntas, quæ elicienda certissime. Vide, si placet §. 135. 136. *Sed in iis tamen*, ut videtur, *incerta est antecedens voluntas*, si quæ appetuntur, non futura sunt. Itaque denuo velim observes, *voluntatem DEI certissime ferri*, in unumquodque, etiam non futurum, *bonum*; *Sed*, uti dictum §. 107. pro mensura illius bonitatis, quâ resplendet. *Cum igitur* non futura *proportione bonitatis* minora

sunt

sunt futuris, *à quibus excluduntur* : aliter ipsa excludentia forent non exclusa: ideo tendit in ea nunquam exstitutura, juxta mensuram bonitatis, ita, *ut ea* certissime *adprobet*, quà bona, quà excludenda *autem*, *prætermittat*. Amat igitur omnia certissime, sed amore, qui pretio respondet.

§. 143.

Beatus non est, qui desideriorum non exsistit compos; Infelix est, qui votis excidit: At voluntas antecedens in ea tendit, quæ nunquam consequitur. Atqui voluntas antecedens effectu potitur longe maximo, qui impetrari potest, ut oriatur voluntas consequens, quà fit, ut obtineatur, IN GRATIAM ANTECEDENTIS, quidquid ex omnibus possibilibus impetrari poterat. *An id infelicis argumentum est?* vid. §.135. *Ratio tamen*, instas, *systematis multa fieri prohibet, quæ DEus optat: Est igitur illorum ratione infelix. Non est* illorum ratione *infelix*; *nam etsi* non futura *sint*, *compensantur tamen* per futura præstantiora: Etsi voluntas ea appetat, quæ *non futura*, *tamen non, quà sunt haud futura, appetit*, eatenus enim sunt *bona minora*, ideoque ex ratione systematis *præstantiorum*, *his* postponenda. *Qui igitur amore ducitur boni*; tanquam futuri, quod non futurum est, is infelix habetur, non, qui unumquodque vult, secundum bonitatis mensuram, adeoque etiam, qui bonum non futurum, i. e. minus §. 142. quidem adprobat, sed non qua est minus, qua futurorum numero exemtum. Ita distincte ratio voluntatis intelligitur antecedentis, quæ sine imprudentia tendere potest in *non exstitura.* Nimirum, *quæ futurorum numero eximuntur*,

tur, comparata cum eventuris, ad hæc se habent, ut minora bona, *collisa* cum majoribus. Nullus cogitari Spiritus poteſt, id quod propria imbuti conſcientia ſentiemus, quin, propoſitis duobus bonis, altero minori, altero majori, ſed alterutro tantum impetrabili hîc & nunc, utrumque ſit adprobaturus, &, ſi extra hanc mutuæ pugnæ ſchesin forent, electurus ambo. Sed, ſi id fieri non poteſt, decernit certe quidem majus. Quod igitur decretô neglexit, id æſtimavit, id adprobavit tamen, ſcil. qua bonum, contrà qua minus, qua ſequius, poſtpoſuit. quà bonum minus eſt, eatenus eſt *limitatum*. *Limes* eſt abſentia ulterioris in bonitate gradûs; iſt hæc abſentia eſt NIHIL: *mirum igitur esse non debet, bonum, quà* nihilo *circumſcribitur, non appeti*. Interim id non obſtat, quò minus ſecundum reliqua, quibus vere bonum eſt, nobis adprobetur, & ſi rerum concurſus permittat, eligatur absque omni dubio. DEUS eſt Spiritus idemque ſummus. *Bona* non futura minora ſunt, reſpectu futurorum, quæ majora. §.141. *Quemadmodum igitur* ultra limites, *quibus ex nihilo bonum quodque circumſcribitur, amare non poteſt*, antepónendo minus majori, non exſtiturum futuro: *Sic* nec non amare *poteſt, quæ ſunt* intra limites, *vere bona*, præſtantia, licet melioribus ceſſura, quod fieret, ſin eorum plane nullus, nec menſuram quidem pretii, quod habent, æquans, foveretur amor. Itaque ſingula, *ſive futura, ſive non futura bona*, pro ſuo quodvis modulo, DEO placent, i. e. *datur omnino voluntas DEI antecedens.* (y)

(y) Quæ generatim heic ex evidentissimis Philosophiæ placitis afferuntur, ad omnes casus specialiores facillime possunt adplicari. Salus v. g. hominis in æternas incursuri plagas, bonum est, sed *non futurum*; quô autem respectu *non futurum* intelligitur, eodem cogitatur *ut minus*, quod majori colliso, & excluso postponitur scil. *gratiæ ordini ad finem salutis per stratam viam ducenti, propter pereuntem, qui viam negligit, non temere, vel toties mutando. Satius enim est*, i. e. *minus malum*, perire aliquos, tramitis ad cœlestia ferentis contemtores, quam eos beari nullo ordine, per saltum, intermittendo ea, quæ inter se ac supremum scopum emetienda erant, quæ res exiguæ DEI sapientiæ, ad finem per media connitentis, documentum esset. Servari reprobum *privatim* interest; Teneri ordinem ad salutem perveniendi, interest *publice*. Bonum privatum, si concurrat, publico cedit, tanquam *majori minus*, Per rationem igitur Systematis, uti generatim monebam, §. 130. bonum reprobi privatum non impetratur, sed intenditur tamen, ut ex §. 133. 134. 139. 140. seq. luculenter cognoscitur. Quod nisi ita esset, nullus ordo publice fuisset constitutus ad salutem perveniendi. Iniqua igitur in hanc doctrinam, utinam nec in DEUM, acerrimi Scriptoris verba sunt: *Misericordiam proprie dictam* (misericordia hoc intellecta sensu nobis est amor miserorum proprie dictus) *nemo DEO tribuit, nisi quem illius DEI pudeat* παρ ω ουκ ενι παραλλαγη η τροπης αποσκιασμα Jacob. I. v 17. *Anilem* (absit blasphemia dicto) *ejusmodi querulamque misericordiam, qua tanquam carioso quodam fulcro ægram labantemque suam fidem Adversarii infeliciter sustentant, nemo divina sapientia, immutabilitate, potentia, beatitudine non indignissimam existimat, nisi cui nullus sit divinitatis sensus.* Doleo eo usque esse perventum, ut alteri alterorum publicam doctrinam horrendis criminationibus lacessant, quæ res cum offensione alterorum gravi non potest non esse conjuncta.

§. 144.

Expeditis, quæ nostræ distinctioni §. 131. opponi solent, dubiis, reliquum est, ut ad ea progrediamur, circa quæ Voluntas ab æterno occupata fuit, quæque illi velut substrata intelliguntur. Nimirum antequam voluntatis, vel præviæ, vel consequentis §. 131. nutu, quidquam DEUS adprobare cognoscitur, jam præsto fuisse quædam cogitanda sunt, *bona quidem, sed possibilia adhuc*, in quæ beneplacitum Numinis ferretur. Neque enim possibilia à voluntatis decreto pendent, sed aliunde suum derivare ortum, ex §. 115. constat. Eorum porro, quæ à DEI potentia præstari poterant, i. e. quæ possibilia jam tum erant, §. 105. duplex institui consideratio potest, §. 127. vel, ut spectentur tanquam singula, *extra nexum, vel ut in* certos digesta ordines *obversentur.*

§. 145.

In certos digesta ordines systematis rationem possibilia nanciscuntur. Possibile igitur fuit, ut, si vel maxime voluntatis destinatio non intervenisset, certis seriebus, & secundum durationem, *quò res rebus succederent*, & secundum spatia, *quò aliæ juxta alias cum ratione sufficienti collocarentur*, antequam nonnihil exsistebat, complura exhiberentur. Systema vero rerum, sive jam præstitarum, sive præstandarum adhuc, sive possibilium, sive existentium, ita definiri solet: Systema *est multitudo rerum inter se connexarum ita, ut subinde alteram altera determinet, i. e. rationem in se contineat, quare altera tali præcise modo sit affecta, nec alio potius quocunque.* Ita respublica quælibet vocari systema potest, quod singulorum civium, qua talium, acti-

ones determinantur per mutuam omnium utilitatem publicam, sæpe etiam singulorum ob singulos, in *præstandis civium officiis, in rebus contrahendis, emendo, locando, vendendo, in observandis legibus, &c. Machina* hæc *mundi corporea*, quam DEI benignitate incolimus, admiramur, *Systema* recte vocatur, *quod in ea caussarum* efficientium, effectuumque, *perpetuam cernimus ordinationem, quâ fit, ut ratio motuum corporis unius peti subinde ab altero possit.* Suda cœli frigidiorque aura, spiranti ex septentrione vento: ventus, colliquefactis forte (plures enim caussæ esse possunt) nivibus in ea ora, aëris hîc & illic æquilibrium tollentibus; colliquefactæ nives, temperatiori auræ; aura temperatior, adpropinquanti Phœbo; Solis accessus, legibus motuum per innumeras caussas, judice Keplero, exsequutioni dandis, suam debet originem. (z)

(z) Celebris Auctor Systema h. m. definit: *Systema dicimus multitudinem rerum inter sese connexarum, h. e. quarum altera determinationes suas nanciscitur ex determinationibus alterius, ita ut secundum communem aliquam legem, (formulam vel canonem) natura earum rerum convenientem ratio unius reddi possit ex altera. - - Rationem unius ex altero dari tum agnosco, quando ex priori intelligi potest, quare hoc vel illud in posteriori deprehendatur. Hic sensus est, cum à Philosopho poscimus, nihil sine ratione dicat; volumus enim, ut ea alleget rerum phænomena, quantitatem, vires, ordinem, successiones, ex quibus intelligi possit dicti cum natura rerum consonantia, & quare hoc, tale, tantum asserat, explicari. Ita rationem expensorum & residui Numularius reddit, si facta percenseat, ex quibus intelligi possit, quomodo venerit, ut tantundem præcise, neque pauciora, neque plura supersint! Hinc musicam systema dicimus, ubi plura canendi*

nendi instrumenta, vel plures ejusdem instrumenti cantus, & eorum partes ita mutuo contemperata sunt, ut antecedentes consequentesque soni secundum certum aliquem canonem, (qui stylum, thema, tonum principalem &c. complectitur) mutuo sibi respondeant. Quo illæ determinationes consentiunt in varietate exquisitius, singulorumque inter se tonorum disharmoniam quoque felicius ad consonantiam combinatione artificiosa reducunt, eo plus systematis agnosci videas. Si *cessent ista, confusum quidem clamorem, murmura, susurros puerorum crepitacula, aut stridorem; Systema vero, harmoniam, aut consonantiam nos interpretamur.*

§. 140.

Id porro extra dubium esse debet, per immensas DEI vites, infinitis retro intervallis, stetisse etiam, non UNUM possibilium rerum ordinem, non unam seriem præstari, sed complures, sed innumerabiles. Docet id combinationum regula in Arithmeticis. Licet numerorum dispositiones ex mero combinantis arbitrio pendeant, nec in altera monade rationem cernere liceat, quare alteram sic combinemus; tametsi hujus v. g. corporeæ mundi machinæ saltim octo vel decem globos Planeticos consideraveris, intelliges, salvo manente, rerum, quæ in iis fiunt, ordine, si non omni, tamen secundum maximam partem, innumeris fere modis eos disponi posse. *(a)* Ex quo intelligitur, plura posse rerum systemata exhiberi, quanquam altero alterum perfectius. Etenim, quum cogites variato situ Planetas locatos, ipsa hæc forte totalia corpora (sic enim vocant) nullo amplius nexu se respicient, quæque incomparabilis Kepplerus demonstravit, cessatura forsan essent; Sed in ipsis planetis tamen innumeri rerum ordines manerent integri;

Systema igitur prodiret, sed hôc, quod videmus stabilitum, paulo imperfectius.

(a) Vel Ludimagistris nota combinationis regula docet, *unius numeri monades tot modis combinari posse, quot emergere possunt, quando is per antecedentis numeri varietates combinandi multiplicatur.* Binarii monades bis variari sitû possunt: Ternarii igitur sexies; nam binario multiplicatus ternarius sex exhibet. Horrenda multitudo modorum combinandi lepidis passim inventis occasionem præbuit. v. g. Versus sequentes salvo & metro, & sensu 39916800. vicibus combinandos,

Lex, Rex Grex, res, spes, rus, thus, sal, sol, (bona) lux, laus.
Mars, mors, sors, Fraus, Fex, Styx, Nex, Crux, Pus (mala) vis, lis.

§. 147.

Omne possibilium rerum systema Voluntas divina adprobat, sed pro mensura bonitatis, quæ in unoquoque perspicitur. ex §. 106. Major mensura majorem adprobationem, minor minorem allicit, etiamsi adhuc nullus inter systemata à voluntate DEI delectus institutus sit. Pertinent huc verba Auctoris celebrati: *Il n'y a rien de si beau, ni de si satisfaisant, que d'avoir une veritable connoissance du Systeme de l'univers, non seulement à l'egard des corps, mais encore à l'egard des substances en general, & sur tout à l'egard de la nature divine, & celle de nôtre ame en general.* (b)

(b) Quorsum hæc cognitio valeat, alibi indicatur: *Qui DEum vult super omnia amare, cognoscat ejus pulchritudinem* (ex systemate operum ejus) *præ aliis rebus necesse est. Pulchritudo alicujus hominis, exempli gratia, ut cognoscatur, non sufficit contemplari ejus digitum, nec omnes ejus articulos ad poros usque & crines contemplari necesse est, sed ictu quasi oculi*

totus

totus obeundus est. Ita DEI opus aliquod contueri non sufficit, nec omnia ejus opera perlustrasse necesse aut possibile est; sed sufficit ideam quandam in universum sibi de eo solidam formasse, esse nimirum ens sapientissimum, &c.

§. 148.

Non posse vel extra systema ullum, vel in eo, *præter DEum, dari aliud infinitum, facile sequenti ratiocinio evincitur.* Res infinita est, quæ exornatur omnibus perfectionibus, quæ cogitari possunt. Finge, duas infinitas, pluresve, esse possibiles: Adpella, si placet, alteram A. B. vero alteram. Aut omnia, quæ in B. invenire licet, sunt in A. & vicissim; tum B. & A. distincta non erunt; *quoniam ea demum judicamus differre, in quorum uno est, quod alterum non habet*: A. igitur & B. res una erit, his diversis tantum literis signata: Aut vero in A. invenietur, quô B. caret; & vicissim quæro: num quod in A. reperiatur, perfectio sit, an imperfectio ideoque an illa, aut hæc à B. absit. Si in A. perfectio est, quæ desideratur in B. tum hoc non erit infinitum, per definitionem: Contra si in A. imperfectio cernatur, qua B. non sit contaminatum, tum A. non erit infinitum, quippe quod perfectiones omnes, nullamque imperfectionem habet.

§. 149.

Itaque duo infinita possibilia non sunt. Cumque solus DEUS eo honore fulgeat, perspicuum est, *præter DEum, quæcunque* possibilia sint, esse tantum finita, esse certis cancellis perfectionum præstabilia, *nec per ipsam DEI potentiam ultra naturam finitam evehi posse*, quantum abest, ut DEUM DEUS creet. §. 148. Possibilia igitur

extra DEUM ex duplici velut situ intueri possumus: Vel ut sunt possibilia, quæ DEI potentia certis donare perfectionibus potest, si vel maxime nullus decernendi voluntatis divinæ nutus accederet: vel ut sunt necessario limitata, i. e. quibusdam tantum, non omnibus, per §.148. perfectionibus adhibenda à DEO. Si hæc justo subtiliora, petitaque longius videantur, memento, his veritatibus primis, sed simul sumtis, niti dogma purius de divina electione, quas sin hanc materiam expositiuri neglexerimus; semper relinquemus Adversariis rimulas elabendi.(c)

(c) Paradoxum est, quod prodidit Vir celebris. *Sentio omnem scientiam, quanto magis est speculativa, tanto magis esse practicam; Id est, tanto quemque ad praxin esse aptiorem, quanto rem, quæ ipsi tractanda est, melius, & profundius consideravit. Idem etiam de Juridicis censeo.*

§. 150.

Impossibilibus igitur, præter DEUM, *alterum est* res, *alterum* rei defectus, §.149. Si quæras: cur hæc res sit possibilis, *ratio petitur à Dei potentia*; §.105. Si porro roges: cur in re sit defectus? i. e. cur perfectionibus non omnibus donari queat? §.148. *ratio desumitur non à Dei potentia*, sed *ex ipsa rei natura*, quà est finita. Itaque priori respectu res pendent â DEo, non posteriori. Originem habet id quod est, non id, quod deficit. Atqui rerum limites, quid sunt, quam ulteriorum perfectionum defectus. *Defectum res habet, quoniam Deus esse nequit*, §.149. *non quia à Deo est.* Nam, ut monui, à DEO est, quod revera est, non, quod non est.

§. 151.

§. 151.

Habes igitur caussam generatim, *cur, quæ præter DEum possibilia*, finita *esse debeant*? §.149.150. Nondum vero illud sufficit, oportet quoque rationem adesse, quamobrem, cum res quibusdam solum perfectionibus, si non sit DEUS, exornata esse possit, HIS, *determinato modo, perfectionibus translucere queat, nec* vero paucioribus, pluribusve? Ad hoc curate animus appellendus. Non arbitror hîc recurrendum ad merum *Dei arbitrium, à sapienti ratione in objecto disjunctum.* Meâ igitur sententiâ determinata ratio, quare HI *determinati rerum limites* coориantur, nec plures, nec pauciores, pendet ex nexu systematum, quibus res cogitati possunt infertæ. Mens Pauli Apostoli finita fuit; id habuit ex se, si ab omni systemate considerando discesseris. §.150. *Sed cur paulo amplioribus* profanæ notitiæ *finibus*, quàm cæteri quidem Apostoli, *conspicua fuit*? Non dubitamus, quin respondendum sit: *quia Gamalielis disciplina, ac præceptis imbuta*, in Scholis Pharisæorum studiose ad litteras formata, & in fatorum serie tali collocata *fuerit*, quæ mentis finitæ capacitatem ampliaverit, finesque protulerit ultra.

§. 152.

Similis est responsio, si quando de fide in Christum concepta quæreretur. *Cur eo delatus est Paulus, ut mentis suæ veluti fimbrias auro fidei distinctas dilataverit*, cum innumeri Ethnici potuissent *quidem recto rationis lumine, tanquam pædagogo, ad gratiam duci*, §.173. G. I. non autem voluerint? Respondet Servator: Matth. 12. v. 21. *Mala tibi*,

inquiens *pestis, Chorazin! imminet, mala, Bethsaida! Quodsi tot illustribus factis Tyrus & Sydon illuminatæ fuissent, in cinere & cilicio resipuissent.* Nimirum in ea casuum serie positus erat Paulus, qua erat futurum, quod factum est, vel potius, quâ non restiturus erat, cum in alia rerum fatorumque ordinatione, in mera sorte bene ratione utendi potentia substitisset. Multi quidem in felicissimo fatorum concursu, quæ ad eliciendam, imo inferendam resipiscentiam sufficiunt, non obtemperant, quod exemplo Bethsaidæ constat; *Nemo tamen, qui obsecundat, non est in gratiæ tali ordine constitutus, quin ingenerandæ pietati idoneus sit.*

§. 153.

Cæterorum omnium, quibus res coarctantur, determinatorum limitum, non dispar est judicium. *Corporum quorumvis movendi vires mutua eorum in se* actione, *&, prout vocant,* reactione, *nunc expandi, nunc limitari apud Matheseos, ac Physices gnaros hodie pervulgatum est.* In Societatibus iterum decrementa & augmenta opum pendere vel ab aliorum sapientia, vel imprudentia, sive æquitate, sive opportunitate, sive importunitate temporum, sive malitiæ illecebris, fomentisque, sive earum antidoto, Philosophiæ practicæ præceptis, prudenter instillatis, Politicorum nemo est, qui nesciat. QUICQUID IGITUR RERUM DETERMINATOS FINES HABET, ILLOS IN SYSTEMATE A REBUS CONNEXIS HABET.

§. 154.

Iterum monendum judico, quæcunque heic *de rebus præter DEum possibilibus tradam, de eorum limitibus,* queis circumscriptas perfectiones habent,

de

de mutua eorum determinatione, &c. ea omnia esse *ejusmodi*, ut à Decreto DEI plane non pendeant, sed se hôc habituta modo forent, si vel maxime DEO placuisset, condendi consilium dimittere, & in æternitate profundo silentio involutâ manere occultum. *Neque* enim *possibilia à DEI voluntate* oriuntur, per §. 115. *nec eorum* limitatio generalis, ex §. 149. nec individua, quippe à Systematis ratione profecta, id quod ex §. 152. 153. cognoscitur.

§. 155.

Cum nonnisi ejusmodi res possibiles sint, i. e. per DEI potentiam præstari queant, *quæ limitibus*, quia finitæ, §. 149. *quæque* determinatis *limitibus*, quia Systemati insertæ cogitantur, §. 151. clausæ sunt; sequitur, eô momentô, quô æternis abhinc spatiis, nihil adhuc à voluntate decretum concipitur, potuisse ea, quæ DEUS præstare poterat, universa & singula, tanquam limitibus, quos habent, perpetuo variantia exhiberi, i. e. res ita possibiles fuisse, *ut vel* ampliores, vel contractiores limites *referrent*, jam hos jam alios suarum perfectionum cancellos, jam pauciores, jam plures defectus. Illa limitum variatio, vel variabilitas, modus est, ipsum vero illud, quod secundum limites variabile, est res, cui modus inest.

§. 156.

Actio rerum, sive possibiles sint, sive exsistant, si à DEO solo, qui limitibus caret, discesseris, *est successio seu vicissitudo limitum aliorum alios sequentium*. Duplex actionum genus constituitur; *Alterum* cogi-

cogitationis, *alterum* motûs. Illa rerum, quas Spirituum voce adpellamus, hic earum, quæ vocantur corpora. *Utraque autem in* ſucceſſione limitum aliorum alios excipientium *ponitur.* *Motus* v. g. exiſtit, *quum vires agendi adhuc per alia corpora, quæ retardabant, carceribus velut ſolutæ,* nunc liberantur & effervefcunt, *quo ipſo adhuc* contracti limites nunc dilatati utique *variantur.* Vim enim motricem, i. e. niſum & conatum agendi perpetuum à natura corpori tributum, ex Dynamices rudimentis, hodie compertum eſt. Ille niſus movendi ejusmodi eſt, ut ſubinde vim ſuam exſerere nitatur, niſi æquales ab altero reſiſtendo vires opponantur. (*d*)

(*d*) Or de toutes les notions differentes de l'étendue & de ſes modifications, je trouve celle de la force la plus intelligible, & la plus propre à l'éxpliquer la nature du corps. Il ſemble que la ſubſtance corporelle a deux forces, ſçavoir la force paſſive, c'eſt à dire, la reſiſtence à l'égard de ſa matiere, qui eſt commune à tous (car l'impenetrabilité n'eſt autre choſe que la reſiſtence generale de la matiere) & puis la force active à l'égard de la forme ſpecifique, qui eſt variable ſelon les eſpeces. *Car il faut ſçavoir, quæ tout Corps fait effort d'agir au dehors; & agiroit notablement, ſi les efforts contraires des ambians ne l'en empechoient.* C'eſt ce, que nos Modernes n'ont pas aſſez connu. Ils s'imaginent qu'un corps pourroit être dans un parfait repos ſans aucun effort, faute d'avoir entendu ce que c'eſt que la ſubſtance corporelle; Car à mon avis (au moins naturellement) la ſubſtance ne ſçauroit étre ſans actions, ce qui detruit encor l'inaction, que les Sociniens attribuent aux ames ſepareez.

C'est par ce moyen qu'on connoit la distinction de la substance du corps d'avec son étendûe; & *que rien n'empêche que la substance d'un même corps ne puisse être appliquée â plusieurs lieux.* Mais si la substance du corps n'etoit autre chose que l'étendue avec ses modifications ou figures, il semble qu'il auroit autant de corps qu'il y a de lieux on d'étendues, qu'il occuppe. Cependant je n'ay garde d'accuser Messieurs les Cartesiens d'être contraires à ce qui est de foy, & je loue les efforts, qu'ils ont pour se sauver de cette difficulté; mais comme on y trouve beaucoup de peine, j'aime mieux me tenir à la voye la plus seure, d'autant que je la trouve la plus raisonnable d'ailleurs. Je crois aussi que plusieurs habiles Modernes ont quitté les principes de leur predecesseurs, par ce que la, personne ne les a expliqué d'une maniere assez intelligible selon leur portée, & que ceux qui ont combattu pour la verité ordinairement ont mal defenduë, en niant ce qu'ils ne devoient pas nier, sçavoir que tout se fait mechaniquement, car par là ils s'exposent au mepris, comme ils vouloient rendre raisons des particularitez de la Nature par des formes, qualités, facultez, sympathies, &c.

§. 157.

Cogitationum, quibus Spiritum quemvis affectum, domestica cognovimus experientia, ea pariter ratio est, ut in variatione limitum, quibus capacitas mentis circumscribitur, sita sit. Quum in nobis cogitationes aliæ aliis succedunt, & ex abysso §. 26. C. I. animi prodeunt, id perinde est, ac si fax lucida jam in has oras suos exporrigeret radios, jam aliorsum gestata, in alias. Sed illa vicissitudo sine limitum luminis mutatione intelligi nequit. Quod si de Supremo Numine DEI verbum meditatus cogitas, aliarum rerum memoria cum sensu afficiens non potest simul animum subire tuum: Est igitur his

ter-

terminis, notionum, quarum conſcientiâ tangeris, ſeries clauſa, nec adhuc aliis; Cum primùm vero mens cogitando aliorſum vertitur, priſtina idearum ſeries finitur, relinquens ſucceſſuram. Itáque & cogitationes in varia determinatione capacitatis animi poſitæ ſunt, quæ eſt limitum viciſſitudo.

§. 158.

Uti in rebus; §. 149. Sic & in earum actionibus duo adtendenti obverſabuntur. *Primò* quidem *occurrit vis agendi ipſa*, non cogitando adhuc, *an*, & *quibus* limitibus definita ſit: *Tum ſe objiciunt limites, cancelli, modi*, quibus actiones afficiuntur, reſtringuntur, determinantur. Vis agendi eſt illa præſtantia, quæ aliquid in rerum natura ponit, quæ divinæ potentiæ, cui originem debet eſt documentum, quæque eſt dos divinitus conceſſa. Diſpar eſt ratio modorum, qui actiones determinant, & quibus efficitur, ut actio tantum conſequatur, non plus, non magis, ut huc exporrigatur, non illuc.

§. 159.

Explorata Veritas eſt, vires agendi, queis res pollent, non futuras poſſibiles, niſi exſiſteret potentia DEI, §. 105. quare dubium eſſe nequit ACTIONES RERUM OMNIUM PENDERE A DEO. At vero cùm rerum limites, potentiæ DEI originem non debeant? §. 145. etiam hoc perſpectum eſſe debet, modos, cancellos, fines, quibus actiones concluduntur, determinari in ſyſtemate per ipſam rerum mutuam connexionem §. 151. ſeq. non per efficaciam DEI.

§. 160.

§. 160.

Non eſt, cur id mirum videatur, nam *quod in rebus* finitum eſt, abſentia *perfectionis* ulterioris *eſt*, nec à DEO proficiſcitur, *ſed* ex nihilo *quod res finita in ſinu geſtat, relictum fuit.* Dabo, graviſſimam veritatem illuſtraturus, petitum ex naturæ curſu ſimile. Navis ponderoſa, onerata mercibus, vaſtæ molis, craſſa, iners, flumine fertur magno, ita ut omnis motûs vires à ſola aqua proficiſcantur, nec iners illa moles vel tantillum ad ſe promovendam conferre poſſit. Itaque ingentis machinæ motus ſoli fluvio *acceptus referri debet.* Sed ut motus tamen ſit determinato modo hic nec alius, *tardus, lentus, nec velocior, expeditiorque, id non* ab aqua, ſed ipſius navis inertia *profectum eſt.* Si alterius materiæ, ſi levior exſiſteret, motûs etiam majorem celeritatem foret conſecutura. Vires igitur motûs, quo machina fertur, à flumine ſunt, determinatio autem motûs, eſt ab ipſa machinæ conſtructa fabrica.

§. 161.

Vires agendi ſic omnes, ſi poſſibiles ſunt, per *ſolam DEI efficaciam ſunt, ſi determinatæ,* tales vel tales ſunt, id ex eo habent, *quòd circumſcribuntur* nihilo, i. e. ex ſe ipſis. In DEO omnes vivimus, movemur, & ſumus, non minus ac flumine navigia vehuntur. Unum diſcrimen interjacet, quod ad propoſitum tamen infirmandum haud quidquam facit. Ipſius aquæ actiones finitæ, variabiles, inconſtantes ſunt, hinc vis undarum: hinc navium pericula, ut verè dici poſſit, *non omnes quidem, ſed aliquas tamen motuum navis determinationes ab aqua*

eſſe,

esse. At si concipiatur tranquilla, si non exundans, sin æquali motu labens, quidquid in machinæ, *secundo flumine vecta*, motibus, determinabitur, *id omne*, non ab aqua, *sed ab* ipsa navi *erit.* Sed cum DEI actio UNA sit potentissimo nutu efficiens omnia, §. 110. haud metuendum est, ne, sicuti finitæ res à finitis, sic nos à DEO determinemur. Vide, si placet, §. 150. 151.

§. 161.

At enim, inquis, *virium agendi mensura etiam quà finita, quà determinata à DEO est, qui rebus, quas potentiâ præstat possibiles, jam hæc dona, jam alia, jam pauciores, jam plures erogare perfectiones potest.* Sed si DEUS aliam rebus perfectionum mensuram largitur, in alio istam systemate largitur, in quo ipsæ res, qua finitæ, ad hanc mensuram se mutuo restringunt. Nam & fieri potest, ut navis velociori motu à flumine rapiatur, si levetur, queis onusta est, mercibus, si nova ratione fabricetur, prætermissis, quæ plumbeo ac inerti pondere, impedimentum attulerint navigationi. Sed eo casu non amplius sunt eædem rerum combinationes, idem ordo. Itaque alios rerum fines, *qua tales*, DEI potentia, non positivo, liceat ita loqui, virium affluxu, efficit, quàm potius, novum systema decernendo, admittit. Quæ ratio est unius rerum possibilium ordinis, ea etiam cæterarum serierum omnium. In nullo systemate rerum modi, aut fines sunt, quia à DEO sunt, sed quia res finitæ sunt, & nihilo circumscribuntur. §. 150. Permittuntur igitur definiti rerum termini, non à DEO rebus inferuntur.

§. 163.

§. 163.

His ita disputatis, intelligitur, *rerum actiones pendere* non alio sensu *à DEO* posse, quam *secundum vires agendi*, quæ aliquid in rerum natura ponunt, non verò secundum limites, qui ulteriores facultates negant. Determinatio actionis, quâ fit, ut huc valeat, nec illuc, ut tantum efficiat, nec majus, ut hoc finito tempore suscipiatur, nec perpetuo, &c. est actionum limes, quem non ex DEI potentia, sed ex nihilo res habet, quo circumscribitur, §. 150. itaque DEUS actiones rerum non determinat. §. 159.

§. 164.

Hinc intelligitur primo, quomodo possibile, sempiternis abhinc spatiis, fuerit, *ut ad rerum*, quæ exhiberi poterant, *actiones DEus potuerit concurrere, & ad illas nunc revera conditas sua se virtute adplicuerit*? Nimirum summus rerum omnium Arbiter ad vires agendi in rebus concurrit, non ad earum limites; ad ipsum agendi nisum, non, quà hôc potius, quàm alio quovis termino velut coarctatus est. Vim agendi DEUS sustentat, non restringit aut determinat; concurrit ad individuam actionem, in omni enim individua vires agendi semet exserunt, cum actio sine viribus sit nulla, at non concurrit ad eam quà limitatam, i. e. huc potius, quam aliorsum exporrectam. Id enim à Systemate rerum finitarum pendet, quo in combinatione plurium alterum alteri terminos figit. Vid. §. 151.

H §. 165.

§. 165.

Quantæ difficultates, his observatis, superentur, mox in progressu discursûs patebit. Antequam vero eò perveniatur, sunt quædam è medio auferenda dubia, iis forte concurrentia, qui alio παιδείας τρόπῳ, paulo intricatiori, ab incunabulis innutriti sunt. *Prima caussa est*, inquiunt, *primum movens in omni actione; ideo secunda non potest movere, nisi moveatur* (à prima) *nec agere, nisi acta ab eadem; alioqui erit principium sui motus, & sic non amplius esset caussa secunda.* Vera omnino loqueris. *Opera DEI agere non possunt,* nisi animata, i. e. viribus agendi prædita à DEO, aliter essent à Numine supremo non pendentia; Sed actiones determinare non est agere; verùm illud ab agendo differt, ut à corpore figura. *Actio, qua vim significat, à DEO est,* determinatio, seu *directio actionis,* non *est* actio, sed ejus finis, *quô ita figitur, ut ultra non possit.* Etsi aqua prima motûs, quô navis agitatur, caussa sit, tamen gradus celeritatis in motu nonnisi à Machinæ inertia pendet, à qua actio omnis limitatur. Tribus potissimum modis res determinantur. Virium gradu, *ut majora non possint, quam ordinatio ambientium permittit.* §. 151. Tempore, *ut non diutius agere, quam duratione succedentia finunt:* loco, *ut non latius exporrigi queant, quam circumstantia cedunt.* Ad locum pertinet virium directio, quæ tendit versus locum minoris *resistentiæ*, (qua voce vulgo utuntur.) Quidquid autem horum est, non viribus agendi, sed limitibus earum adscribendum est. Itaque hæc DEUS non determinat. §. 150 163.

§. 166.

Ubi datur concursus simultaneus, dissentientes instant, *ibi DEus operatur quidem cum creatura, sed non in ea; & caussa prima, & secunda sunt caussæ partiales, & sociæ ejusdem actionis, quomodo duo equi trahentes currum, & sic una quæque adhibet proprium & peculiarem influxum, quem habet à se ipsa, ità ut in influendo non dependeat ex influxu alterius caussæ, tanquam à caussa efficiente licet effectus dependeat ab utraque. Hoc verò non potest salvare dependentiam caussæ secundæ in agendo.*

§. 167.

Largitur DEUS agendi vires (*e*) solus, *easdemque* omnes, per 159. §. itaque etiam id quod in actione præstans, eximium, & verè est, operatur in rebus; solus, nec, quod absit! tantum cum illis. Duo equi, (hoc enim simile adhibitum est) diversis utuntur in trahendo curru agendi viribus, id quod de conditore, ac ejus, quod format, opere nequaquam dici potest; quidquid virium agendi est, à solo DEO est. Quod si igitur, *DEum unà cum suo opere concurrere*, eô significatu intelligatur, *perinde ac si alias in effectum vires DEus, alias in eundem res ab ipso condita conferret*; nullus dubito, quin DEus non concurrat solum, sed vires agendi omnes, prævio conatu, rebus tribuat. Quomodo enim res ad id, ut vires agendi sortiatur, conferre quidquam potest? Haberet enim sic vires, antequam haberet. At si phrasis illa, *DEum unà cum suo opere ad edendas concurrere actiones*, hanc potissimum interpretationem habeat: *Vires agendi* OMNES esse à SOLO *DEO, sed earum determinati-*

nem, pendere ab aliarum rerum, *in Systemate* plus, minus *agendi viribus donatarum nexu, quod in* actione bonum est *DEO ferri acceptum*, quod limes est, *rebus ipsis, ideoque non actionem, sed ejus determinationem à rebus conditis esse*; non video, quare quisquam rebus denegare audeat, quod ex finita natura, i. e. ex nihilo, non habere non possunt. §. 161. 165. seqq.

(e) Quid per vim agendi intelligam §. 158. pluribus exposui. Ne vero vis agendi pro mera operandi facultate, *quæ in nuda conditione ponitur, ut & quod in quiete concipitur, agere possit*, habeatur; profiteor facere me cum verbis in Actis Eruditor. Ao. 1694. p. 112. *Vis activa inter facultatem agendi actionemque ipsam media est, & conatum involvit, atque ita per se ipsam in operationem fertur*, (quod affirmari de facultate nuda nequit) *nec auxiliis eget, sed sola sublatione impedimenti. Quod exemplis corporis gravis suspensi funem sustinentem intendentis, aut arcus tensi illustrari potest; Etsi enim gravitas, & vis elastica mechanice explicari possint, debeantque ex ætheris motu; ultima tamen ratio motus in materia, est* VIS IN CREATIONE IMPRESSA, *quæ in unoquoque corpore inest, sed ipso conflictu corporum, varie in natura limitatur, & coercetur Et hanc agendi virtutem omni substantiæ inesse ajo, semperque aliquam ex ea actionem nasci; adeoque nec ipsam substantiam corpoream (non minus quam spiritualem) ab agendo cessare unquam. Quod illi non satis percepisse videntur, qui essentiam ejus in sola extensione, vel etiam impenetrabilitate collocaverant, & corpus omnimodo quiescens concipere sibi sunt visi:* Durandus solam agendi facultatem à DEO rebus concessam affirmavit, quâ ipsæ post, non conferente *DEO* quidquam, actiones edent suas. *Quæ sententia falsissima est.* Primo enim non mera facultas rebus, sed & agendi vis, conatus & nisus datus est, tum vero in omni actione

actione individua DEUS, continuâ condendi actione, vires illas rebus conservat, ut nec hic nec illic agant sine DEO, licet res ipsæ actionibus suis modos ponant, limites figant, ac determinent. §. 165.

§. 168.

Quod ex se indifferens ad plures actus, ad agendum & non agendum, necesse est ut ad agendum ab alio determinetur; quia, quod est in potentia, non potest reduci in actum nisi ab aliquo, quod sit in actu; Sed omnis caussa secunda, & præcipue voluntas hominis est talis. E. necesse est ut ab aliquo alio principio & externo determinetur ad agendum, quod non potest aliud esse, quam ipse DEus. Sunt verba dissentientium. Dixi jam aliquoties, determinari, i. e. limitibus, modisque ratione graduum, temporis, & locorum *circumscribi*, §. 165. *rerum actiones*, ob conditionem Systematis, cui intelliguntur insertæ, ex se ipsis. §. 159. NB. Determinatio non est actio, sed actionis limitatio, §. 165. quæ, quà talis est, à DEO non est. §. 150. Eorum quæ libertate prædita agunt, quæ conditio sit, à quo, & quomodo determinentur in agendo? paulo inferius exponendum erit. (*f*)

(*f*) Huc pertinent verba Scriptoris famâ florentis: *Non immorabor concursui; concursus enim ad actiones præsupponit antecedaneam voluntatis determinationem. Ipsa autem determinatio quidquid sit de sono vocabuli, formaliter spectata non est actio, sed materialiter saltim, ut est appetitus. Adeoque N. de determinatione ipsa objectio non est formidabilis.*

§. 169.

Videntur his opponi posse, quæ famosus Scriptor aliis in simili fere caussa opposuit. Les Missionaires ne tireroient pas beaucoup de profit de leur doctrine touchant la necessité du concours de Dieu, car les Philosophes qu'ils tacheroient de convértir, leur repondroinet que ce concours est inutile, pour vuque chaque corps aiant un principe de legereté ou de pesanteur, se place de lui même dans le lieu qui lui convient, & que les autres vertus interieures de la matiere font produire sufisanmant à chaque portion du Monde ce de quoi elle est capable. - - Car s' il n'y avoit aucun partie du monde, qui fût contre sa nature, mais chacune fût au lieu & en la qualité ou elle doit être selon la nature, sans avoir besoin d' aucun changement ni d' aucune transposition, & sans avoir eu afaire des le commencement, je ne sai quel, ni en quoi est l'ouvrage de la providence, ou de quoi c'est que Dieu à été Pere, ni Createur, ni Ouvrier: Car en un Camp il ne seroit point de besoin d'homme, qui entendit bien l'art de dresser & ordonner les batailles; si chaque soudard de lui même savoit & entendoit son rang, & son lieu & sa place, - - Sans que je vous en avertisse, vous apercevrez trés bien, que les Philosophes Chinois peuvent faire usage de ces idées de Plutarque pour embarasser les Missionaires. A quoi bon cette Intelligence, leur peuvent ils dire, que vous faites concourir avec le feu pour bruler les bois, & pour s'eloigner de la terre ? La chaleur, la legereté du feu ne sufisent elles pas à ceux deux effets ? N'est ce pas le propre de corps legers, de monter, & des corps pesans de descendre. Si vous voules qu'ils aient besoin d'

une

une cause externe pour tendre actuellement ou vers la circonference, ou vers le centre par les lignes droites, otez leur la legereté & la pesanteur interieure & naturelle, que vous leur donnez.

§. 170.

Sententiæ, quæ vires rebus à DEO inditas esse, easdemque tum naturales, docet, hæc & ejusmodi dubia obstare putat Auctor. Quodsi quis autem in Cartesianorum castra transire, & vim agendi omnem à DEO repetere velit, solâ impulsus recipiendi facultate rebus relictâ, ex altera parte, hanc opinionem his verbis arietat: S'il étoit possible qu'une matiere destituée de qualités existât, - - il le seroit encore plus, qu'elle existât avec diferenter: plus les êtres sont imparfaits, plus sont ils indignes, qu'on leur attribue l'existence. - Voions le jeu de cette nouvelle baterie. Cum Cartesio non sentimus, si de præsenti opinione quæstio sit, quare nec nobis respondendi officium injunctum esse videtur.

§. 171.

Ad eo vero, quæ §. 169. obversa sunt, facilis ex antecedentibus parata est responsio. Quæ sunt in rebus omnibus agendi vires, eas non habent ex se ipsis, sed ex DEO, §. 167. quæ uti perpetuo conservandæ; cum earum exsistendi secundum momentum, (*g*) non magis DEI operatione carere possit, quam primum: Ita etiam omnes rerum actiones, quà in rerum natura aliquid ponunt, à supremo Arbitro pendere intelliguntur. *Simile igitur ab Imperatore desumtum*, quô, si sua se sponte milites in acie disponerent, opus non foret ordinate *ab instituto alienum est.* Nam si eadem Imperatoris cujuspiam, quæ DEI præstantia foret; si non solum militibus agend

 vim

vim tribuisset, verùm quoque inter multas aciei possibiles dispositiònes, elegisset talem, quâ cognovisset, futurum ut viribus milites suis sic ordinentur; Quis tam potenti pariter ac sapienti Duci non imputaret, quidquid boni à militibus præstitum foret? Atqui cum tali Imperatore DEum contendendum, sæpenumero commonefeci.

(g) Res à DEo omni tempore pendere debet. *Continuanda quippe exsistentia*, (licet cum Philosophis loqui) *non minus DEI efficacia indiget, quam incoanda*. Aliter vel Deus *in continuanda* ea postmodum necessario ageret, ideoque actionem suam operi in futurum deberet; quod absurdum & libertati divinæ inimicum: Vel res *continuanda*, capto *initio* primum quidem *contingenti*, procedente tempore, sic necessaria evaderet, veluti duobus binionibus quaternionem effici necesse est, quippe quod nec à DEO mutari potest; Sed id nemo sanus dixerit. Omni igitur tempore res à DEO pendet, quæcunque pendet.

§. 172.

Sed occurritur heic nobis dubio speciosissimo, cujus difficultas videtur esse longe maxima: Vôtre Ame a été creée: Il faut donc qu'à chaque moment Dieu lui renouvelle l'existence; car la conservation des creatures est une creation continuelle. Qui vous a dit que ce matin Dieu n'a pas laissé retomber dans le neant l'ame qu'il avoit continué de créer, jusques alors depuis le premier moment de votre vie? Qui vous a dit qu'il n'y a point creé une autre ame modifiée comme étoit la votre. Cette nouvelle ame est celle, que vous avez presentement, &c. Reliqua prolixiora huc redeunt.

§. 173.

Deus opera sua conservans, singulis velut momen-

mentis, ea denuo condit, §. 171. not. *. *non uti nos formamus ideas rerum generales, parum determinatas, non consideratis individuis quibusdam conditionibus; Sed opera Numen sua cum omnibus quæ ea circumstant, quæque ab eis pendent omni temporis articulo efficit, creat, & exsistere jubet. Itaque quæcunque opera DEI faciunt, solus in eis DEUS facit. Nec plus illa præstare poterunt, quam illo momento potuerunt, quo primo ex numero possibilium emicabant. Atqui eo momentô omnes actiones rerum à DEO determinatæ fuerunt. Si porro, fatentibus Philosophis, expertes culpæ fuissent Angeli, si primo statim temporis ictu, quo conditi sunt, cum peccati adpetitu exstitissent; Sequitur,* cum conservare *idem sit*, ac perpetua efficacia rem eandem condere *non minus culpa vacuum esse, quidquid hodie labe infectum est, quoniam singulis momentis idem fit, quod factum est primô, quum exsistere inciperet. Itaque vel DEUS ad actiones non concurrit, vel qui agendo male agunt, culpa liberandi sunt. Si dicamus, condi primo divina opera, altero momento DEUM ad conditorum actiones una cum ipsis concurrere: Vanum id est.* Nam uno momento *opera DEI cum* omnibus actionibus condita debent intelligi, *quæcunque in illa στιγμῇ χρόνου patrari potuerint. Aliter illud primum condendi momentum res parum determinatas instar conceptuum logicorum, exhibuisset, quæ secundo demum momento determinatæ fuissent ex se ipsis.*

§. 174.

Has & similes argutias declinaturi præstruximus ea, quæ §. 150. & seqq. exposita sunt. *Ordine*

nisi temporis, certe tamen rationis, (*b*) *prius à DEO* res ipsæ *conduntur*, *quam illarum* modi. Modi enim sunt limites actionum; quis autem non videt, cogitari antea res debere, quam de limitibus idea animum subire possit? Cum primum res exsistere semel cœpit, altero momentô, eâ actione à DEO conservatur, quæ prioris momenti statui respondeat, postulantibus id sapientiæ legibus, ut res talis conservetur, qualem limites, quos ex se aut aliis in Systemate habet, §. 150. 151. quique divino operi modum ponunt, esse deposcunt. Ad omnes igitur argutias evitandas, id conducit, observasse, *determinationem, quà talem, non esse actionem*, *sed* actionis modum, quem à DEO pendere, ut affirmes, nec necessarium, nec DEO dignum est. *Determinatur res per hoc*, ut tot & tantas, *perfectiones habeat*, nec plures, ut tamdiu *agat*, *nec* diutius, ut hoc loco, nec alibi; §. 165. Sed id omne arguit imperfectionem. Quodsi enim res infinita foret, si omnibus, quæ cogitari possunt, perfectionibus exornaretur, si, *uno verbo* exsisteret DEUS; non eo modo ageret, i. e. nullos variaret perfectionum limites §. 156. non sic aut aliter, non hîc & nunc solùm, non certo virium gradu ageret, sed potius immenso nutu efficeret omnia. Sed id fieri non posse, sæpe declaratum.

(*b*) Dicam hîc breviter & evoluto conceptu, *quid ordo temporis* sit, *quid ordo rationis*. *Temporis ordo* veram successionem rerum, actionumve, semet invicem excipientium, refert; *Ordo rationis* vero *sche-*

schesis est eorum, quæ uno quidem temporis momento sunt, quorum tamen alterum alterius rationem continet, ut ex illo intelligatur, quare hoc sit? Sic mediocritas ingenii intelligi nequit absque idea ingenii ipsius, est igitur hoc prius ordine rationis. Similis debet esse virtutum DEI consideratio. *Ab æterno DEUS non minus omnia potuit, ac omnia decrevit; tamen possibilia*, quæ per DEI potentiam præstari queunt, *decreto anteriora sunt, non temporis, sed rationis ordine*, quia intelligi nequit, cur DEUS quiddam destinare potuerit, nisi præstruas, id fuisse bonum, & possibile §. 119. seqq.

§. 175.

Eâdem viâ innocentia divinæ ad mala concurrentis actionis intelligitur. Determinatio omnis modus est actionis, non actio ipsa. §. 165. seqq. *Malum vero, cujuscunque* generis est *determinatio actionis sive in violationem legis, sive quarundam rerum detrimenta.* Illud in genere morum, hoc in naturæ cursu. Itaque malum proprie non actio est, sed actionis vitium, ad quod ne tantillum DEUS sive confert, sive conferre potest. §. 173. Si, *cur hic rerum ordo, in quo se ad mala res determinatura certissime præsentiebantur*, delectum sui à DEO elicere potuerit? quæras: Primo velim scias, nos adhuc versari in meditatione rerum, prout æternis abhinc spatiis esse potuerunt, electionique DEI prævia fuerunt: *nondum vero de voluntatis agere decreto*, quod infra demum contemplabimur. Post generatim nosse sufficit, *eam illius rei caussam esse, quæ intelligi debet*, quum Princeps imperium justa hæreditate ad se pertinens, occupandum statuit, etsi, quosdam rebelles pœnam daturos,

ſagacitate falli neſcia, prævideat. Utilitas enim publica præfertur commodo privato, i. e. impunitati NB. libere rebellium.

§. 177.

Hactenus; quæ, æternis abhinc intervallis, per DEI potentiam præſtari potuerint, ideoque poſſibilia fuerint, declarantes, *quomodo non ſolum omnia & ſingula* ſeorſum conſiderata, *ſed etiam* in ordines *ſyſtematis* redacta exhiberi potuerint, *quomodo iſthæc* limitata eſſe oportuerit, itemque, quòd à potentia *DEI rerum* limites, *ſeu determinationes* qua tales, non pendeant, nec pendere poſſint, eamque ob rationem mala quidem permittantur, non inferantur ab eadem DEI efficacia: §. 175. nunc porro videndum eſt, *an*, ſi ab omni adhuc DEI diſceſſeris decreto, *per divinam potentiam potuerint præſtari* agentia libertate prædita?

§. 178.

In *Libertatis ratione* rectius extricanda quinque momentorum concurſus obverſantur. Primum eſt *immunitas à neceſſitate geometrica. Neceſſitas geometrica* vero ejusmodi eſt, *ut ſi rem aliter eſſe cogitaturus ſis, contradictione impediaris* Spatium tribus comprehenſum lineis Triangulum eſſe, adeo neceſſarium eſt, ut ſi rem aliter concipias, Triangulum non ſit amplius futurum, quod eſt. *Poſſe autem à potentia DEI res præſtari, jam hoc agentes jam illud, ita ut ſi aliter agerent, aut agere, cogitentur, nulla contradictione intriceris*, extra omne dubium eſt, quidquid ſpinozæ deliritum regerat.

§. 179.

§. 179.

Altera *necessitas est* mechanica, *quâ res non agunt, sed aguntur, ut rotæ horologii, (i) ut Planetæ vorticum gyro, ut maris æstus pendens à Luna.* Ejusmodi necessitas non potest variata cogitari nisi DEum ἀπὸ μηχανῆς arcessas, & actionem naturâ superiorem ab illo immissam statuas. Uti etiam in artificiis horologiorum opificis manus desideratur, si rotarum mutui pulsus, aliunde non impediri, variari debeant. Potuisse DEUM ab æterno præstare, ut res sint, *quæ ex se ipsis*, non aliunde perpetuo actæ, *agerent*, nemo negat, nisi qui DEum ipsum negat.

(i) Ipsa tamen materia, cujus partes mechanismo agi cognovimus, viribus agendi pollet, *sed qua illæ impelluntur*, hæ carceribus velut clausæ, & majoribus obsessæ sunt. *Les mecaniques mêmes supposent la consideration de la force. Et il se trouvera que rien n'est plus propre, que la force dans les phenomenes des corps à donner de l'ouverture pour la consideration des causes Spirituelles. Les forces naturelles des corps sont toutes soumises aux loix, & les forces naturelles des Esprits sont toutes soumises aux loix morales. Les premieres suivent l'ordre des causes efficientes; & les secondes suivent l'ordre de causes finales.*

§. 180.

Tertia *necessitas* moralis est, *quum res, quæ quidem agit, neque agitur per innumeros & inexplicabiles motus*, §. 10. ex suo ipsius fundo elicitos *ita in aliquid fertur, ut aliorsum ferri nequeat.* Sic bruta ruunt fame stimulata in pabulum, sic affectuum mancipia vident meliora, probantque, sed deteriora sequuntur. Posse iterum per potentiam DEI (*nondum enim de voluntate DEI, aut præscientia falli nescia*

nescia sermo est, de quibus infra dicetur, solam intuemur Numinis efficaciam) præstari res, quæ suas ipsarum actiones moderari, impetus inexplicabiles cohibere, & affectuum regimine uti queant, quis inficiari audeat? Neque enim audiendus foret, nisi commonstraret, contradictionem involvi, *dicam clarius*, meo more, potentiam DEI sibi ipsi contrariam fore, si quod ejusmodi agens posset repræsentare. Nam ideo fieri nequit, ut idem, eodem tempore & respectu sit ac non sit; quod eo modo potentia DEI efficere quid posset, nec tamen non id simul destruere, inque contrarium moliri partem.

§. 181.

Præter immunitatem ab hac triplici necessitate, *libertatis ideâ comprehenditur* facultas judicandi. Bruta enim libertate propterea arbitramur destituta, quod illa quidem prærogativa carent. Cum in nobismet ipsis, *dari talem facultatem*, sentiamus, profecto etiam possibilis cognoscitur, i. e. per potentiam DEI præstabilis. *Quidquid autem DEus in tempore potuit, ab æterno potuit. Accedit* denique quinto *ad Libertatem*, ut is, *qui libere agit, sui conscientia imbuatur.* Ea enim, quæ in somno perpetrantur, tametsi tum facultas judicandi non cessaverit: libere tamen facta, cæteris paribus, nisi diurnis actionibus præbita sit occasio, non creduntur.

§. 182.

His libertatis idea omnino continetur. Nam ut, *qui libere agit*, sine consilio, sine scopo, absque caussa *agere dicatur, non est magnopere po-*

stulandum: Cùm, si vel maxime ejusmodi casus existere posset, *tamen exploratissimum sit*, multa *judicari* libere, imo præclarissima libertate acta, *quæ circumspecte, quæ consulto, quà non sine deliberatâ caussa, suscepta sunt.* Itaque plus libertatis notione non comprehenditur, quam quintuplex illud momentum.

§. 182.

Cum igitur, *qui agendi libertate pollerent*, æternis abhinc spatiis, possibiles fuisse *cognoscantur*, absque ullius divinæ voluntatis arbitrio, nutu, aut destinatione, intelligitur porro, plures potuisse à DEO fatorum series effici, in quarum altera liberi agentes facultate sua hoc ratione, in altera vero aliter, erant usuri, §. 130. *in omnibus tamen Systematis* potentiam agendi & non agendi, de qua dictum. §. 179. *retenturi.* v. g. Erat eventuum ordo possibilis ab æterno, quem A. vocabo, in quo Titius DEO obsequia detrectaturus erat: Sed & præstari poterat alia rerum dispositio, quam vocabo B. in qua IDEM, (laxiori sensu) quæ Numini debetur, obedientiam erat præstiturus. NON *quod in* A. *obsecundare* non potuerit, *aut quod in* B. *obtemperare* coactus *fuerit*, *vel*, si mavis, *necessitate tertii generis* §. 179. *inductus*; Sed quod in A. potuerit quidem, non autem voluerit, In B. contra voluerit pariter potueritque obsequi.

§. 183.

An ejusmodi res per DEI efficaciam præstari ab æterno potuerint, non est cuiquam dubitandum. Quod si impossibiles fuissent, ideo fuissent, quod in ejusmodi exhibendis, de quibus §. 182. DEUS cum

DEO

DEO, i.e. secum ipso fuisset collisus, uti §. 179. exposui. Atqui nemo sane unquam demonstraverit, ob talem caussam, fieri ejusmodi quid, cujus mentio §. 182. facta, haudquaquam potuisse. Nam de eo nondum quæritur, *utrum* præter Numinis efficaciam alia forte quæpiam virtus, sive *omniscientia, sive voluntas inter currat, quæ obstet, quo minus agens liberum, ab æterno, exhiberi potuerit.*

§. 184.

Si fieri potuit, ut in ordine fatorum A. Titius libertate abusurus, morem non gereret suo Conditori; tum in *eodem ordine* eventuum A. non solum possibile, *sed &* necessarium *fuit*, ut hanc liberam Titii malitiam, *sequeretur* pœna. Nam uti *series eventuum A. non imposuit Titio necessitatem* primi, secundi aut tertii generis, §. 177. 178. 179. ut obedientiæ limites migraret; sic DEO etiam, hoc Systema eligenti, nihil obstat, quo minus præstare possit pœnam.

§. 185.

Diversa tamen est *conditio Systematis* A. & *Systematis* B. ratione nexûs, ibi cum pœna, hic cum merito. Nam quemadmodum in Ordine A. Titius etiam obsequi potuisset, *nec DEUS debebat efficere eventuum sortem*, quâ etiam obsequi vellet; contra in Systemate B. & potentia obsequendi, quæ in omni serie à DEO esse intelligitur, §. 167. & favor systematis, *quo voluntas* quoque Titii *elicitur*, DEUM auctorem habet: ita manifestum est, pœnas merito infligi, præmia vero si quæ forte obveniunt, nullô meritô obsequentis *ordinari.* (k)

(k) Di-

(*k*) Dices: *Si Titius in A. crimen admittens ordini B. insertus fuisset, ejus obedientia non emansisset: itaque in A. vel pœnam non meretur, vel in B. meruisset præmium, sin ibi eum collocari contigisset.* *Pœnam meretur*, *qui facultatem habet non peccandi, sive à se, sive aliunde tributam, & ea male utitur: at non meretur præmium*, qui & *facultatem*, *& voluntatem obediendi illis addicit, quibus debet sua studia.* Navis v. g. de quo simili §. 160. dictum, si deviat, inertia culpam habet, non, quæ motum confert, aqua; Sed si in portum felix defertur, sola aquæ vis effecit, quidquid boni effectum est. Vis aliud simile, non à corporibus, sed Spiritibus petitum? accipe: Qui donata in bonos usus pecunia male utitur, pœna dignus est: non vero præmio, qui eadem utitur bene. Hisce fer sententiam, de Titio in A. male, in B. rectius donis, à DEO acceptis, usuro.

§. 186.

Potuit præterea, interventu divinæ potentiæ, ab æterno fieri, ut venia delictorum in uno alterove rerum possibilium Systemate offerretur iis, qui obedientiam in eo ipso Systemate detrectaturi erant, quam gerere poterant. Non est impossibile, aut contradictione impeditum, cogitare, *respui posse veniam in hoc eventuum ordine ab omnibus, posse vero quoque eandem acceptari, plus, minus, pro fatorum opportunitate*, ita ut, etsi nonnullis minores opportunitates Systema præbere possit, tamen tales præbeat, ut, suo modo, veniæ possint fieri compotes; id quod concedi debet ex §. 78. 79.

§. 187.

Dicam clarius: Fac, Systema A. ejusmodi esse, ut oblatam veniam §. 186. omnes respuant, *comitem* verò eandem habere divinam quandam vim *in hac Systematis ora* majorem, sive talem, quæ nec olim

nec nunc magnopere, ut spiraret, impedita sit, *in altera verò ora multum depulsa, ideoque per rationem Systematis* debilior. Fac porro, hâc divina vi effici posse, ut eorum, qui omnes in A. gratiam respuerunt, posthæc nonnulli eam repudiare nolint. Forma tibi præter hæc rei ideam talem, *ut &, qui* in Systematis A. parte a. respuunt divinam vim, adplicandæ veniæ caussa, afflantem, *in* sua tamen potestate habeant, *se viribus non subducere*. Uti v. g. penes te, ex natura est, vehementer sitientem, ore patulo, exortam pluviam excipere, vel non excipere. Quô simili Spiritus S. utitur, Psalm. 81. v. 11. Aut, si nec id propter Pelagianismi metum placet, cogita, *naturali impetu allabenti efficaciæ, pro venia adplicanda, non posse quidem non* morose resisti; Sed tamen etiam, naturæ motu, nuntium de venia, viribusque cœlestibus, *adtente audiri*, ponderari, ut efficacia in mente repræsentata, se, divino ibi instinctu, expandere possit, *quod facere non potest, nec* audita, nec meditata, Rom. 10. v. 17.

§. 188.

An id vel Deo impossibile vel indignum judicas? Nondum loquor de eo, an ita DEus decreverit? Equidem id nec alienum à DEI potentia, nec Sapientia arbitror; quarum illa, possibilia ut separata & singula præstare potest, *hæc*, nimirum sapientia, *possibilia*, quà redacta in ordinem, vel Systema. Non repugnat Potentiæ; *quod fieri per potentiam non potest, ideo fieri nequit, quoniam eadem divina potentia, idem simul agendo, & non agendo, sibiipsi opposita intelligitur.* §. 183. Sed, quæso, an quidquam §. 186. 187. dixi, quòd ejusmodi foret,

ut,

ut, si divina id potentia præstare posset, eo ipso etiam se destrueret? An quidquam proposui, quod ferrea contradictionis lege impediretur? Minime gentium. Itaque fieri possunt, potentiæ intuitu, quæ dixi. §. 186. 187.

§. 189.

Forte iis, §. 186. 187. *quo minus fiant, aut fieri concipique possint, sapientia obstat?* Sapientia DEi vias optimas sequitur ad summum scopum, qui in fulgidissima DEI gloria ponitur. *Forte gloriæ detrahitur, si quidquam in Systematis A membro esse intelligitur, cur adplicandæ veniæ efficacia ipsum penetraverit, aut non penetraverit? Atqui id, cur* alterum *Systematis membrum,* præ altero *oblatæ veniæ viribus commoveatur,* totum à DEO est. Si quid male actum, à Systematis membro, si quid præclare, ab ejusdem Arbitro, id profectum cognoscitur. Dixi hoc latius §. 185. & not. * An, quæ sitim extinxit, pluvialis aqua, & beneficium expletæ necessitatis, ex te est, aut esse potuit, quoniam tu os non cohibuisti? Quis ita ratiocinetur? An si fides ex auditu verbi adtento suspenditur, ejus efficacia tibi tribuenda? perinde ac si Terræ, solis lumen interdiu fulgens, acceptum deberet referri, ideo quod partem à sole noctu aversam, interdiu obvertit.

§. 190.

Sed determinatur tamen, inquis, *in ejusmodi systemate efficacia DEi, in applicandam veniam tendens, à Systematis membro, id, quod DEi gloria indignum. Licet per hanc explicationem* §. 168. non ipsa DEi efficacia *à Systematis membro* pendeat, pendet tamen effectus. In promtu est responsio. Pendet

effectus à Syſtematis incola, non qua eſt effectus, *ſed qua eſt* in hoc, nec alio *potius quovis. Non* pendet effectus ab eo, ſed limitatio hujus, quâ fit, ut hoc tempore, hoc loco, in hoc individuo applicatus fuerit, hos autem reſpectus ad limitationes rerum, non res ipſas pertinere dixi §. 165, DEO itaque non eſſe adſcribendos. ex §. 150. patet.

§. 191.

Dicam ingenue quid de tuo dubio ſentiam; Quemadmodum enim ultima Diſſentientium fundamenta in hoc repoſta ſunt: *Indignum gloriâ Numinis eſſe, DEi gratiam efficaciamque determinari ab aliis; ipſum potius DEum determinare, à quo omnis rerum actio pendeat:* Sic etiam atque etiam & precibus ardentibus DEum, & Viros Doctiſſimos, quorum eſt hic ſenſus, rogo, velint illius auxilio tandem adtendere ſequentibus. Non eſt indignum ut Syſtematis membra gratiam determinent, & efficaciam Numinis; ut DEus determinet, longe ipſo indigniſſimum foret. Quid eſt determinare, quæſo? actionem circumſcribere limitibus, graduum, durationis, loci. ex §. 165.

§. 192.

Obſecro nunc & obteſtor, ut expendas, conſtituasque: numquid ſatius ſit docere, *efficaciam DEi in ſe, antequam cum rebus communicata intelligitur, limitibus circumſcriptam*; an vero credere, *quod ea finibus coarctetur, quia res, quæ non poſſunt non eſſe finitæ*, §. 169. *& in Syſtema redigendæ*, finito modulo eam excipientes, in, & ex ſe *demum*

efficaciam

efficaciam DEi circumscribant ? Spero fore, ut posterius mecum cooptes. Atqui eo ipso concedis, determinati divinam, pro applicanda venia, efficaciam, vel à publico Systematis statu, vel à privatis membrorum moribus, vel, quod egomet, sentio, ab utroque.

§. 193.

Hæres nunc anceps inter utrumque; Lux enim subito illapsa admiratione nos dubios tenet, primo obtutu, ut ambiguum nobis sit, vera nobis obtingant, an somnia. Diutius igitur huic veritati insistendum est. Immensa DEI potentia, rebus, quæ cogitari possunt, omnibus præstandis, cumulatissime sufficit & idonea est. Id mecum non negas ex §. 105. Eadem est ratio voluntatis, quæ immensa promtitudine illam laudatam potentiam applicare connititur ad bonum OMNE, sed pro MENSURA bonitatis, quæ in illo VERA est, nec adparens. §. 106. *Qua nunc ex caussa fit, ut ab Actore* infinito *opus prodeat* finitum, i. e. determinatum, tale, vel tale, *modis* his affectum, *nec* aliis, *limitibus clausum* gradûs, durationis, loci ? §. 165. An *DEus suam ipsius efficaciam* determinavit, i. e. terminis circumsepsit, restrinxit, coarctavit? Cave id dicas. Itaque nulla ejus rei esse ratio potest, quàm quia res, quæ necessario finitæ sunt, & in systemate, finium amplitudinem, & angustiam mutuo sibi ponunt, finita capacitate vim DEI infinitam exceperunt. GRATIOSA IGITUR DEI EFFICACIA, NON A DEO, SED A REBUS, AD QUAS EMANAT, DETERMINATUR.

§. 194.

Duobus id porro argumentis evinco. *Quæ ratio est,* limitandæ ac determinandæ *DEi efficacaciæ, pro applicanda venia,* in membro *Systematis* privato, *ea etiam erit limitandæ ejusdem, in* statu *Systematis* publico: utrumque enim est finitum; à finito autem, nec ab infinito, illa limitatio proficiscitur per §. 193. Atqui privati membri conditio sæpe obstat, quo minus largior impertiatur mensura Ebr. 5. v. 12. Ergo. Si neges illud, si, vel hoc ipsum à DEO pependisse, acriter affirmes, nimirum ut majorem Hebræi cognitionem, qua potuissent Magistrorum similes esse, non consequerentur: Cogita hominem jam emendatæ per DEI efficaciam mentis. Quæ ratio est, *cur sæpe gratiæ limites in illo* dilatentur, *est ne penes DEum?* Atqui Christus ait: Habenti dabitur, non quia DEUS mere VULT, sed quia propter HABENTEM vult, est igitur ratio; cur HABEAT? IN DEO SOLO; Sed cur TANTUM, nec MINUS HABEAT, in habente. Id adeo verum est, ut aliter nulla Christi verbis veritas constet. Simile est judicium illius: NON HABENTI ADIMETUR. Limitatæ gratiæ, *quà limitata est*, ratio, ad ipsum non habentem refertur. Itaque haud dispar conditio est status *in Systemate* publici.

§. 195.

Si, *cur talia rerum Systemata ab æterno possibilia fuerint, ad quorum nonnullas oras, largiores, pro applicanda venia vires, aliquam post rerum successionem, non amplius penetrare possint?* quæras; Ratio non ex mera DEI εὐδοκίας peti potest; Aliter enim suam

DEus

DEus efficaciam limitaret ipſe, quod ipſo indigniſſimum: Sed à Syſtemate, à mutuo rerum inter ſe nexu, qui, pœnarum dignitate, gratiam circumſcribit, & ab hac ora arcet.

§. 196.

Numquid adhuc hæc diſplicent tibi? Progrediar ulterius. Dîc, quæſo, ſi placet, quomodo, *DEum eſſe infinitum*, probari poſſit? *An ex operibus immenſa ejus efficacia patet?* Rom. 1. Atqui opera ejus ſunt finita, quî poteſt finitum argumento eſſe infiniti? *Ex nihilo*, inquis, *condita DEI ſunt opera quævis, quod immenſæ potentiæ indicium eſt.* Eſt utique, ratione modi, quo exſiſtere juſſit, non ratione objecti; quod autem immenſum eſt, omni ratione eſt. Niſi opus igitur infinitum ſit, infinitæ potentiæ ſpecimine cares. *Non poteſt*, pergis, *infinitum opus condi*, DEus enim DEum efficeret contra, §. 148. *limitandum igitur opus eſt, manente infinita, quæ opus parit, efficaciâ.* Sed ſi Deus pauciora condidiſſet, quàm condita ſunt, an ex minori ſpecimine vires immenſas æque collegiſſes, atque ex majori? *Voluntas DEi mihi tum ſuffeciſſet;* Sed de eo jamjam non quæritur, verùm, an tu immenſas, ex minori ſpecimine divinorum operum, DEI vires conjicere potuiſſes, etiamſi habuiſſes perſpectum *majora à DEO præſtari poſſe*? Puto te eas conjicere non potuiſſe. Recte enim fuiſſes ratiocinatus: *Si ratio limitationis, qua opus afficitur, à DEO eſt, vel hic noluit majora, perfectioraque præſtare, vel non potuit. Illud arguit deeſſe ſibi ipſi, hoc indicat impotentiam.* Itaque nihil ſupereſt, quam decernere, *tanta à DEO opera præſtari, quanta per finitam eorum*

naturam, & Systematis conditionem, cui inserenda sunt, exhiberi queunt. Efficacia igitur DEI non limitatur ab ipso DEO, quà est ejus actio, sed ab operibus, quatenus in iis terminatur. Opera DEI his modis sunt affecta, *nec* ulterioribus, *non quia DEus mere voluit, sed quia illorum finita natura non aliter permisit; non* quasi *efficacia* Numinis *circumscripta* sit, *sed* quia *circumscripta capacitate à rebus* accipiatur.

§. 197.

Nulla igitur DEI efficacia, nec ea, quæ RES *ipsas* exhibere potest, *nec altera* quæ ad applicandam rebus delictorum veniam pertinet, *determinatur, nisi à rebus ipsis, & earum Systemate*, quo sunt ordinatæ. Cessat proin illud dubium, totius sententiæ adversæ basis & fundamentum, de quo §.190. Inde porro sequitur, & per DEI potentiam, & per sapientiam ab æterno fieri potuisse, ut ejusmodi rerum ordo, quem §.185. 186. 187. Signo A. notavi, præstaretur, ideoque membra Systematis, non mera DEi εὐδοκίᾳ, *sed vel ob* statum privatum, *in Systematis ora felici*, vel ob statum publicum, *in ora parùm felici*, efficaciam DEI, ex se ipsa non limitandam, *determinarent, minuerent, excluderent, non secundum vires ipsas*, quæ semper immensæ manent, *sed secundum earum expressa vestigia*; cum semper recipiens recipiat, non juxta conditionem imprimentis, sed modum capacitatis suæ,

§. 198.

Propius nunc ad institutum de rationibus electionis objectivis accedam. Dantur igitur ab æterno, si à divino decreto adhuc discesseris, *possibilia & separata*,

separata, & redacta in ordinem. §. 105. 145. *In illa fertur* voluntas antecedens, *in hac* consequens. §. 131. Ordines rerum pariter præstari possunt innumeri, A. B. C. D. &c. &c. Fac esse posse in Systemata A. duo membrorum ratione & libertate, quam etiam possibilem probavi, §. 177. seqq. *præditorum genera*, *quorum* utrumque aliquid ex naturæ ordinariis viribus possit, non quo efficaciam DEI admittat, nec quo obstacula ejus removeat, multo minus, quò eam attrahat, *sed ejusmodi quid*, quo positô, vires DEI pro applicanda delictorum venia, SIBI IPSIS ADITUM PARENT, v. g. *audire*, *& meditari nuntium* de illa efficacia, §. 187. *recte uti pædagogia luminis naturæ*. §. 79. C. I. Forma porro ideam Systematis A. talem, ut *alterum* membrorum genus, *quod* pro gratia *facere potest*, facere nolit, alterum vero velit, *quamquam si* alterius systematis B. C. D. &c. partes forent, *forte* & velint, & possent ambo *membrorum genera*. §. 182. In Systemate A. propter membrorum duplex genus, cogites porro velim, præmia & pœnas mereri posse, quamquam diverso utrumque nexu. §. 183. Tum, si id cogites, quis, quæso, ordo rationis, de quo §. 174. not. * erit inter mores, & remunerationem? An renumeratio propter mores erit, vel num mores erunt propter diversam remunerationem.

§. 199.

Si contingeret Systema A. eligi â sapiente, tale prout est in omni suorum possibilium ordine; nam si vel unum duarum duntaxat rerum possibilium ordinem

dinem inversum concipias, & variatum, ideoque v. g. mores malos bonosque, propterea à sapiente destinari fingas, quod consilium plectendi & benefaciendi foveat; non amplius idem Systema A. sed B, vel C. &c. cogitabis; nos autem ex hypothesi A. ratiocinamur. *Si contingat igitur, A. deligi à sapiente, & in exsistentium Theatro sisti*; an electionis rationes, tum quà totum Systema. tum quà remunerationem duplicis membrorum generis spectat, non à bonitate Systematis petentur, annon à malis bonisque membrorum moribus? Puto posterius à nemine mortalium negatum iri.

§. 200.

Considerantibus naturam DEI, quæ omnes perfectiones complectitur, facilime patebit, *nullum à DEO Systema* A. B. C. &c. *eligi posse, in quo ex* innummeris *rebus, vel tantum* duarum *sit ordo præposterus*, i. e. talis, in quo, *quod prius* esse debet, *posterius sit, & vicissim.* Jam si concipias mores membrorum alicujus Systematis, signatos littera a. remunerationem vero littera b. Quæro, ab omni abhuc decreto DEI animum avertens, quippe quod ad rerum possibilium possibiles ordines formandos nihil pertinet: §. 115. Num præstantior est ordo a. & b. an vero inversus: b. & a? Existimo iterum priorem ab omnibus accommodatiorem judicatum iri, quia ex malis moribus intelligitur pœna, non ex pœna mali mores. *Mores sunt antecedens, pœna consequens.* Inter plura igitur Systemata A. B. C. D. &c. Sapientissimus illud certissime eligit, in quo est ordo a-b. non hæc series b - a.

§. 201.

§. 201.

Sit ita ſane, inquis, *eſto, id nobis videri minus ordinatum, poteſt interim aliarum rerum Syſtematis*, **A.** *in quo eſt b-a, harmonia, pulcritudo, & nobilitas compenſare, quod nobis videtur præpoſterum.* Neutiquam ſane. Si DEUS pœnam & præmium decernit ſine laude & vituperio, ſuam actionem limitat ipſe, contra ∫. 196. ideoque benignitatem pœnis reſtringit, & reſtringendam decernit, nondum id poſtulante finitarum rerum poſſibilium, & earum Syſtematis, capacitate & modulo, quod quam ſit DEO indignum, frequentius dixi. §. 192. 193. 194. 157. &c.

§. 202.

Quoniam igitur Syſtemati A. de quo præcipue §. 189. *nihil omnino*, nec potentia DEI, §. 187. nec ſapientia §. 188. ſeq. obſtat, quia nullum Syſtema decerni poteſt in quo ſit, b - a. Sed ſemper requiritur a - b. §. 200, 201. Cum porro Voluntas divina *res poſſibiles*, non faciat, ſed factas *inveniat*; §. 115. ac denique Syſtema nullum nec A. nec B. variari poſſit, niſi aliud C. aut D. evadat; contra hypotheſin, qua electum A. tantiſper ponimus; §. 199. quia duplex ejusmodi hominum genus exſiſtere ipſo uſu condocemur, quos A. continere docuimus: §. 198. Sequitur tandem eſſe electum A. pœnas & prœmia propter obſequium vel inobedientiam decreta, æternumque voluntatis conſilium, quod per potentiſſimum FIAT exſecutioni datum eſt, huc tetendiſſe.

§. 203

§. 203.

Hoc est Achilleum, & invictum, longa ratiociniorum nec hiante serie connexorum pro nostra sententia argumentum. Quod possibile est, quod præstari per DEum potest, *in id decretum* DEI, sapienti instituto delectu, tendit uti possibile est, nec quidquam mutat, aut mutare potest. Sed Liberos in Systemate homines, §. 177 187. 179. Sed pœnas NONNISI OB INOBEDIENTIAM, PRÆMIA OB FIDEM, §. 199. 200. demonstravi esse POSSIBILIA: ERGO DEUS ELIGIT OB FIDEM, REPROBAT OB INOBEDIENTIAM.

§. 204.

Quid quæso in longa hac demonstratione, vel DEO indignum, vel à ratione alienum, vel ulli divinæ perfectioni, ratione ulla infestum aut iniquum? Non facio plura decreta, NB. *ne ordine rationis quidem alia aliis anteriora*, §. 192. not. * *& posteriora*, Sed UNAM PERFECTISSIMAM DESTINATIONEM TENDENTEM IN OMNE POSSIBILE BONUM SYSTEMATIS A. SED PROUT POSSIBILE EST, QUO ORDINE EST. Quod igitur ab æterno possibile erat, id exsistere jussit in tempore, DEI Decretum, ideoque confirmavit; *qua porro ratione unum quodvis erat, ea ratione nutus DEI id prodire in lucem voluit.* Si unum non erat possibile nisi propter alterum, tum unum propter alterum condi voluit. Si in HOC *Systemate*, HAC *mensura*, HOC *modo*, HOC *limite possibile* fuit, accessit quoque divina voluntas, & hoc modo, hac mensura, voluit.

§. 205.

§. 205.

In nullo Systemate ab æterno per Sapientiam DEI possibilis erat SALTUS, i. e. *occupatio finium nonpermeatis interjacentibus viis.* Quod si is possibilis foret, Systema vel, quod est, esse desineret, vel certe quidem disjiceretur in partes. Id quod ex definitione Systematis §. 145. patet. *Atqui*, ut ad præmia aditus pateat sine obedientia & merito, (generali sensu) vel in pœnas incursus præbeatur sine malignitate, saltus est; cum boni & mali mores ad finem pœnarum, præmiorumque viam sternant: Sole igitur clarior veritas est: Hunc saltum in nullo fuisse Systemate, *æternis abhinc spatiis*, possibilem.

§. 206.

Cum vero Decretum Dei ex numero possibilium in existentium Theatra ut prodirent, destinare non possit, nisi possibilia; §. 204. *manifestissimum est, DEum non decernere nisi præmia propter obedientiam, pœnas ob delicta.* Quantæ adhibeantur machinæ, ut hæc veritas subruatur, non admodum nescio. Videamus, quomodo objectæ nubes ex demonstratis, dissipari queant?

§. 207.

Profecta est, inquis, *electio ex mera DEI εὐδοκίᾳ*: Recte! Sed respondes tibi vero ipsi, addendo: Sapienti. Si εὐδοκία sapiens est, *profecto cuique rerum* in Systemate possibilium *decernit*, quod suum est, i. e. quod ex ipsius natura fieri potest, non quod vult; aliter res essent possibiles, quia DEUS sic vellet, non vicissim: contra §. 115. Sed cum fieri non possit, ut ordo inter merita & præmia

tollatur,

tollatur, §. 205. Sapiens εὐδοκίᾳ eligit propter meritum.

§. 208.

Ipsa, pergis, *Systemata ab æterno possibilia geometrice necessaria sunt*, ex defin. *. 177. *Nam si aliter ea, vel impossibilia cogites, contradictione impedieris. Cumque nihil Decretum addat nisi complementum, magis ferrea electionis necessitas emerget, quam in impugnata his meditationibus sententia. Inde non saltem res finita, sed ipse etiam infinitus DEus irrevocabili fato Systematum tam necessariorum subjectus & obnoxius erit. Ita supralapsarius eris*, (hem barbaram vocem) in summo gradu.

§. 209.

Egregium scilicet ratiocinatorem! Quasi vero in ipsis Systematis, ab æterno per DEI potentiam præstabilibus, agentium non comprehenderetur libertas §. 117, 187. seq. Itaque nihil aliud tuo dubio significas, *quàm gemetrica necessitate necessarium fuisse, ut ab æterno potuerint esse homines liberi, facultate agendi & non agendi pollentes*. Auditum admissi risum tene tis, amici! Quis hoc unquam negare, prætente, ausit, qui, ex divino decreto in actiones liberas, & ex præscientia, fatum aliquod immigrare, arbitraris. Et quomodo potest DEus fato Systematum, quæ adpellasti, esse alligatus? *An, cui innumerarum est proposita rerum optio*, qualem esse DEum dixi §. 199. *non esse liber cognoscitur?* An is est fato adstrictus, cui necessario, plura eligenti proposita sunt? An ideo est necessitate inductus, quia necessarium est, ut multa possit, si placeat, destinare? Vides vocabulorum lusu te esse deceptum.

§. 219.

§. 216.

Intentio finis præcedere debet destinationem mediorum (verba tua sunt(*At salus est finis, Christus est medium. Ergo prius concipi debet destinari salus electis, quam Christus, plane, uti intentio sanandi ægrum præcedere debet Medici inquisitionem. Valet canon* de finibus tantum particularibus, de actionibus rerum finitarum, quem, ne in DEum transferas, cavendum est. Unum, *summum* DEUS finem intendit, amplissimum, maximum, qui est ejus GLORIA, ad quam *unâ* latissima *viâ* contendit, i. e. destinatione operum omnium, quotquot, salvâ sapientiâ, decerni possunt. Atqui in illis operibus, priorem ordine, agentium obedientiam esse, quàm adjudicandam salutem, imo hæc transponi non posse, §. 205. fuit commonstratum. Porrò expende responsionem sequentem. Finis destinatio, *quam anterior ratio determinata postulat*, utique cogitationem adminiculorum antecedit; non vero antecedit *quando nulla præsto est singularis ratio, quare hic potius, quam alius sit quicunque decernendus finis.* Cape veritatem ex tuo ipsius simili. Valetudinem recuperandam, nondum susceptâ de Medico cogitatione, decernis, quia eam ratio determinata, i. e. conservatio tui ipsius, lege injuncta, requirit. Sed si plures exsistant ægri, non destinas hujus aut illius duntaxat salutem, neglectà, sine singulari caussa, cæterorum, nisi sint vel remotiores, vel indigniores. Quare ubi nulla plane finis destinatio, ibi ea nec adminiculorum præcurrere potest cogitationem. Omnes peccatores ægri, itaque sine singulari caussa aut nullorum *salutem* DEUS efficit, aut omni-

um

um. Neutrum dici poteſt, *ideoque ratio quædam anterior deſideratur*, ex ægrorum *in Syſtemate* conditionibus petita, *quæ intentionem finis ad* hos *potius dirigat*, quàm ad al os *quosvis*.

§. 211.

Acriter hæc & alia nonnulli diſſentientium oppugnant, argumento à præſcientia DEI ducto, verba hîc allegamus, ſuo loco plura, in eam rem dicturi: *Ex adverſariorum fide conſequitur, DEUM creaſſe homines, ut haberet, quos æternum condemnaret. Nonne enim DEum ab æterno infallibiliter cognoviſſe tueris, tales homines, ſi producerentur, peccaturos? Nonne DEum credis immutabili quodam decreto hominum plurimos æternis pœnis prius addixiſſe, quam crearet? Ergo unum eſt idemque creare infallibiliter peccaturos, & immutabiliter puniendos, atque creare, ut habeas, quos æternum condemnes Quoties infallibiliter cognoſcis, quæ tuam actionem conſequutura ſunt, ut ſi maxime quidem inſanias,, alium finem actionibus tuis proponere per voluntatis immutabilem naturam potes, quam quem infallibiliter noſſe tibi videris tuas actiones conſequuturum. Ut adeo velle ea, quæ certiſſime nôris te non impetraturum, manifeſtiſſima contradictio ſit. Ergo proximus finis creantis & lapſum permittentis Dei eſſe ex illorum fide alius non poteſt, quam ut tales ſint, quales & infallibiliter præſcivit futuros; & immutabiliter damnavit.*

§. 212.

Fundamentum reſponſionis ad hæc jactum eſt §. 137. 138. ſeq. *Non eſt unum idemque:* creare certiſſime peccaturos, &, eventu falli neſcio, puniendos, atque illud: creare, ut habeas,

quos

quos æternum condemnes. Vehementer errat, ne quid gravius dicam, qui ita concludit. Ratio est in promtu. Magistratus humanus juste aliquando extremo supplicio afficit, ad ultimum vitæ halitum usque, resipiscentiæ vacuitatem, verbis factisque, manifeste prodentes, *quos itaque certissime æternum damnandos præsentit*; nec tamen sequitur, *ideo maleficos Magistratui pœnam dedisse, ut ille haberet, in quo rigorem justitiæ comprobaret.* Abrahamo innumerabilis posterorum multitudo promissa fuit, Gen. 15. v. 5. nec tam pius Vir ignorare potuit, sed certissima potius sagacitate præsagire, inter tot posteros fore etiam condemnandos: Quis autem inde colligat, ideo Abrahamum generasse Isaacum, ut haberet quosdam posteros, pœnis æternis addicendos? Dicis: *Patriarchæ posteri, forte reprobandi, pios ita propinquitate attingebant, ut Abrahamus, eorum pœnas impediturus, vel plane ab Isaaco generando abstinere, & sic nec eos generare debuisset, qui pii futuri erant; vel permittere debebat, generato Isaaco, ut & tales nascerentur, qui maligni exsisterent.* Sed idem tibi dictum, ac responsum esto. Impii sæpe ex piis procreantur & vicissim, ita, ut, si DEus vel unum ex genealogia tolleret, rupta esset descendentium linea, ideoque nec illi nasci possent, quos electio æterna statuit DEo conciliandos.

§. 213.

Æternam & infallibilem, uti rerum omnium, ita ipsius quoque mali præscientiam DEO recte Adversarii tribuunt. Sed si æterna sit, si infallibilis, nisi contradictoria simul vera esse possint, earum rerum sit oportet, quæ undecumque necessario futuræ sunt. Ex quo consequi-

ſequitur, ſi DEus ab æterno, & quidem infallibiliter noverat, primos v. g. parentes eſſe lapſuros, aut fallere DEum ſuam cognitionem potuiſſe, aut non potuiſſe non peccare primos parentes. Quanta enim futuri mali præſcientiæ divinæ infallibilitas & æternitas eſt: tantam quoque oportet eſſe futuri mali neceſſitatem. Illa itaque præſcientia aut nullum habet fundamentum: aut in certo quodam & neceſſario cauſſarum cum hoc effectu nexu omne præſcientiæ divinæ fundamentum ponendum. Si neges præſcientiæ divinæ certum exſtitiſſe fundamentum: cum fundamento præſcientiæ ipſam quoque præſcientiam non poteris non tollere. Uti enim ſcientia, præſcientia non eſt, niſi rerum ex ſuis cauſſis cognitio.

§. 214.

Dabo primùm Viri eruditiſſimi reſponſionem ad hæc verba: Actionum liberarum contingentiam tuemur in ſenſu diviſo, non compoſito, adeoque dicimus quidem, quod actiones libere poſſint peragi & non peragi, ut non hoc dicimus, quod, dum ſunt, etiam poſſint non eſſe, quæ vox utique non hominis ſed bovis foret. - - Judicet Vir acutiſſimus an ex infallibilitate hac hypothetica quidquam contra bonitatem, ſanctitatem &c. divinam poſſit proferri. - - Reſpondemus Deum abſolute eſſe omniſcium, adeoque etiam futura contingentia prænoſſe, cum Theologis Adverſarii contra Socinianos probamus 2. Omnes actiones dum ſunt, neceſſario eſſe, adeoque etiam hypothetice neceſſarias præſciri, ab infinito DEI intellectu, ſupra obſervavimus. Neque etiam 3. diffitemur, has ipſas actiones liberas ratione ſuæ exſiſtentiæ, & quà materiale ſuum ſpectatas, à divino decreto, ut futura omnia pendere. Uti autem, verba Adverſarii recito, rerum ex nihilo productio in rebus ipſis nihil mutat, quam quod, quales ante poſſibiles, deinde futuræ erant.

jam

jam actu existant; Ita decretum in rebus possibilibus, contingentibus, liberis, nihil mutat, quam quod, quales ante possibiles, contingentes, liberæ tantum erant, jam futuræ sint.

§. 215.

Denique, pergit, *posito non concesso, naturam caussarum secundarum, ut est adiaphoros, objici divino intellectui, nosque hîc speciale præscientiæ divinæ fundamentum allegare* non *posse, plus tamen* ex*inde non consequeretur, quam nos præscitæ hujus liberæ determinationis liberæ, ut talis, quam uti possibilem scientia simplicis intelligentiæ ceu ejus objectum, non autem visionis, qua cum simul est, priorem esse, licet ejus caussa non sit, non negamus, ætiologiam specialem dare non posse; adeoque quoad hoc punctum ad ἐποχὴν confugere, & finitos intellectus nostri limites imperfectionemque debere agnoscere.*

§. 216.

Respondebo etiam meo more. Necessitas hypothetica dicitur illa, qua eo ipso, dum res esse cogitantur, *aut futuræ concipiuntur*, non possunt non esse, *aut futurorum numero exemtæ*. Quum DEus igitur etiam libere futura præsentit, eo ipso cogitantur ex libertatis ἀδιαφορίᾳ prodiisse, & sic, nec aliter eventura, quod, *dum cogitamus factum, non potest simul cogitari non factum*. Hoc sensu est res *libere* futura, *necessaria* hypothetice. Interim hac necessitate non obstante, certum est, dum res libere futura cogitetur, potuisse tamen, *sensu diviso*, ut loqui amant, etiam non fieri, hanc ipsam ob caussam quod libere futura est. Hæc adeo plana sunt,

ut mirum ſit, potuiſſe unquam mortales nodum in ſcirpo quærere. Sed qui à juventute certis ideis imbuti ſunt, hypotheſi inſervientibus, non facile eas deponunt.

§. 217.

Nullam rebus ex æterno DEI, eodemque perfectiſſimo, omnium futurorum præſagio neceſſitatem immitere, ſimili adeo perſpicuo declarari poteſt, *ut*, qui affectibus non ſunt occupati, *diſſentire amplius nequeant.* Sunt aliquando Principum conclavia, ſpeculis quaquaverſum parieti adplicatis, ſic exornata, ut nihil in ipſis fieri poſſit, quin id ſpecula accuratiſſime repræſentent. Finge in illis locis illuſtres *perſonas ſaltando exerceri, ludere chartis, capere cibum vel, ſi placet, ſacris etiam meditandis operam dare, nihil tum agi poterit, quod ſpecula non depingant* Sed, an, *quia* certiſſime, *quoniam actione* falli neſcia, *quoniam* diſtinctiſſime *libere facta repræſentant*, hæc neceſſaria, hæc fato expoſita, hæc non mutanda *fuerunt?* Quis eam opinionem non pronuntiet falſam?

§. 218.

Atqui ſimilis eſt DEI præſcientia, eo maxime reſpectu, quô neceſſitatem rebus imponere dicitur. Specula, quæ in conclavi fiunt, repræſentant: Deus immensâ ſcientiâ, quæ agentur in Mundo, ſimiliter. Specula actiones patrandas in hypocauſto præſtruunt: DEI præſagium non minus arguit res prævias ſcitu poſſibiles. Si præſagium DEI rebus neceſſitatem ponit, imponent etiam ſpecula. Ob quam rationem, res in mundo neceſſarias evadere, contendis, nimirum, *quod ita certæ prævideantur, ut falli præſenſio nequeat:*

queat: Ob eandem rationem, quæ in Conclavi ſuſcipientur, fato ſubjecta erunt, neque enim aliter fieri poſſunt, quam repræſentanda ſunt. Aliter ſpecula non eſſent ſpecula.

§. 219.

Quidquid hîc diſcriminis potueris indicare, id omne à comparationis tertio, à quo ſolo vim declarandi ſumimus, alienum erit. Achilleum tibi videtur toties jam inculcatum illud: (*l*) *Si immenſa eſt rerum omnium divina præſenſio, res aliter evenire non poteſt, ac quidem præſentitur. Nam ſi aliter agi, ſi diverſo modo ſuſcipi, ſi libere patrari poſſet, DEI ſcientia poſſet falli, decipi, quo nihil unquam cogitari abſurdius, vel ſceleſtius poteſt.* Accipe reſponſionem. *Si*, quæ in conclavibus, ſpeculorum ſerie circumſplendentibus, fiunt, *aliter agi*, diverſo modo ſuſcipi, libere expediri *poſſent*, *tum ſpecula eſſent fallacia*, eo ipſo dum nos proba, dum præſtantia adeſſe fingimus, Specula igitur poſſent eſſe non ſpecula, ac dum repræſentant, non repræſentare: Quo quid poteſt eſſe abſurdius. Auditum admiſſi, riſum teneatis, Amici! O egregias ratiocinationes, quibus vel infantibus, dum vix ære lavantur, imponere non liceat. (*l*)

(*l*) Vide, quantô hoc dubium ſtudiô exaggeret famoſus Scriptor. La conſideration de la preſcience de Dieu nous fournit un argument, pour prouver, que l'homme eſt un Agent neceſſaire. La preſcience de Dieu ſuppoſe, que toutes les choſes futures exiſteront dans un tel tems, dans un tel ordre, & avec de telles circonſtances, & non pas autrement. Car ſi quelqu'une de choſes futures étoit contingente ou incertaine, ou dependoit de la liberté de l'homme; c'eſt à dire, pouvoit arriver ou n'arriver

ver pas; Dieu ne pourroit pas prévoir qu'elle existera certainement; puis qu'il implique contradiction qu'on puisse counoitre une chose comme certaine, lors qu'elle n'est pas certaine; & Dieu lui même pourroit seulement diviner l'existene de cette chose. Mais si la préscience divine suppose l'existence certaine de toutes choses futures, elle suppose aussi leur existence necessaire. Car Dieu ne peut prévoir leur existence certaine que de l'une ou de l'autre de ceux deux manieres: ou par ce que cette existence est l'effet de son decret, ou par ce qu'elle depend de ses propres causes. S'il prevoit leur existence, par ce qu'elle est l'effet de son decret, son decret rendra cette existence necessaire; puis qu'il implique contradiction qu'un Etre tout puissant decrette une chose & qu'elle n'arrive pas uecessairement. S'il prevoit cette existence, parce qu'elle depend de ses propres causes, elle n'est pas moins necessaire: par ce que les causes, & les effêts aïants une relation & une dependance necessaire entre elles, il n'implique pas moins contradiction, que les causes ne produisent pas leur effêts, qu'il implique qu'un evenement que Dieu a decretté, n'arrive pas. Cicero: quid est tandem quod casu fieri aut forte fortuna putemus? Nihil enim est tam contrarium rationi & constantiæ, quam fortuna; ut mihi ne in DEUM cadere videatur, ut sciat, quid casu & fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla est fortuna.

§. 220.

Non effugio locus: *Præsensionem DEI potenti decreto res futuras statuere, ideoque aliter non fieri posse, quàm statuta sint: id quod etiam urget Auctor notâ anteced. allegatus: Sed specula res aliunde jam certas, nec à se stabilitas, repræsentare.* Nam *decretum DEI in in res tendit*, condendas *non aliter*, AC *ante destinationem* (ordine rationis §. 174. §. not. *.) possi-

poſſibiles erant. §. 203. 204. Cum igitur demonſtraverim, §. 177. 187. ſeq. *ab omni divina diſtinatione mentem avertendo, poſſibiles fuiſſe*, qui liberrime eſſent acturi: profecto decretum nihil in iis rebus mutat, ſed addit tantùm aliquid, quod eos tanquam poſſibiles, & liberos in ſua natura confirmat, ſcilicet *complementum*, i. e. ut exſiſtant. Tantum proinde abeſt, ut Decretum rebus præſcitis, quarum libertas poſſibilis erat, novam legem neceſſitatis decernendo impoſuerit, quantum abeſt, ut ſpecula rebus libere factis, quas repræſentant, repræſentando derogare, & fatum ſubſtituere potuerint.

§. 221.

Forte animum ſubit illud: *Præſentire DEum futura quoque*, dum nondum exſiſtant, *à ſpeculis vero repræſentari* non niſi præſentia. *Illa, dum adhuc futura præſciantur certiſſime, determinari aliunde, antequam exſiſtant; aliter proin fieri non poſſe: à ſpeculis vero repræſentari res tantum* illo momento, quo exſtiterint, *adeoque quo ex ſe ipſis determinatæ ſint, antequam igitur ſe ipſas ita determinaverint* potuiſſe aliter exſiſtere. Atqui DEO etiam ab æterno omnia præſentia fuerunt, non minus ac ſpeculo ea, quæ in conclavi libere geruntur: atque etiam (ordine rationis §. 174. not. *) res antea liberæ, ac ex ἀδιαφορίᾳ libere prodeuntes intelligi debent quam quidem à DEO præſciri potuerunt. Scientia enim ſciendo objectum non facit, ſed factum invenit. Simillima ergo & præſenſionis, & repræſentantis ſpeculi, ſecundum ea, eſt conditio, in quibus rerum neceſſitas ſita eſſe putatur.

§. 222.

Una adhuc restat difficultas: *Si enim*, inquis, *tot rerum numini possibilia sunt obversata Systemata ab æterno*, quod nos supra docuimus, *cur tale ex iis jussit existere, cum quo una exstituri erant, & maligni, & miserrimi; Cur non aliud prodire in lucem voluit, in quo omnes erant, & probi, & felicissimi? Ex eo intelligitur, DEum non duci rationibus objectivis, sed voluisse tantum unum ex possibilibus rerum ordinem, quia voluerit, inque eo ipso nobis esse acquiescendum, etiamsi nonnullorum peccata in hoc Systemate, & una cum Systemate decreverit. Quidquid enim DEUS facit, justum est*, quoniam nihil cuiquam debet, quàm sibimetipsi.

§. 223.

Priora in hoc discursu nullo nexu logico cohærent, posteriora autem verba sunt ejusmodi, ut ambiguo significatu sint fecunda. Si ex eo, quod Systema rerum DEus elegerit, *in quo una futuri erant* & scelesti & infelices, *conjicere instituas, Decretum DEI non sequi conditiones eligendorum*, i. e. *non respicere rationes objectivas*, magnopere quidem falleris. Nam hoc Systema DEUS *non propterea elegit*, ut meræ suæ obsecundaret voluntati, omnibus rationibus, quæ à Systemate petuntur ipso, & ejus incolis, vel miseris, vel felicibus, *solutæ*; Sed, quoniam voluntate antecedente, omne bonum, etiam quod non exsistet, ideoque in alio tantum Systemate futurum erat, adprobat, § 132. 133. 134. seqq. quod cùm omne, non ob impotentiam DEI, sed rerum finitas naturas, se mutuo excludentes, §. 130. 192, 193. &c. impetrari nequeat, effi-

efficitur, ut saltim DEUS boni tantum præstandum decernat, quantum per finita admittitur. vid. omnino §. 196. *Ideoque DEus improbitatem & miseriam* nonnullorum *haud* vult, *sed potius tanquam Systemati adhærescens vitium* permittit, *haud improbaturus, si, ut libere factum est:* ita eodem modo non fuisset futurum, *magnopere adprobaturus, si evitato libere malo, Systema nostrum A. quod malum habet*, cæteris bonis omnibus retentis repræsentatum fuisset ut B, *tanquam tale, quod plane malo omni caruisset.* §. 224.

Sed, quoniam id à nobis libere non est factum, ut malum evitaremus, *præscientia Dei tale Systema*, quale B. esse diximus §, 223. *repræsentare non potuit*; cùm res non faciat, sed res factas tantum, uti sunt, intelligat. §. 221. Ut id evidentius ob oculos poni possit, cogitemus, Principem jure hæreditario occupare posse regnum ingens, sed tale in quo post, & propter hujus Principis occupationem sint quidem continuo insurrecturi invidi & rebelles, mortem & supplicia merituri. Cogitemus porro, Principem certissime præsentire, *quid circa rebelles futurum sit?* Fingamus, potuisse etiam exiguum terræ tractum sibi eodem jure vendicare, quô à se occupatô, tamen nulli rebelles ibi locorum, ideoque nulli supplicio digni fuissent exstituri; Formemus ideam porro facti talem, ut Princeps tractum exiguum vendicaturus, qui fratri secundum genito adjudicatus fuit, majus regnum cedere, vel, majori cooptatô, Fratri exiguam hæreditatis portionem, i. e, terræ illum tractum, in quo nulli rebelles exstituri sunt, relinquere deberet.

§. 225.

Quid hoc casu putamus futurum? An Princeps primùm genitus, ad quem majoris imperii hæreditas pertinet, ejus occupationem propterea dimittere debet, quod se exorto Rege, & malignos, & miseros fore intelligit? *An ob hanc caussam exiguo tractu obligatur acquiescere*? Minime gentium. Itaque nec culpa in ipsum potest transferri, *licet fecerit* aliquid, *ex quo peccata secutura, & pœnas, cognoverit certissime.* Non enim, occupato regno, maligni necessario & coacti seditionem excitant, turbasque movent, non propter malignorum immunitatem, commoditatemque privatam, Principi jus publicum amittendum esse, quisquam unquam dixerit. Sed & nemo de isthoc Principe ea suspicabitur, quæ de DEO conjicit dubium, ab Adversariis §. 222. allatum.

§. 226.

Annon in Principem rebelles injurii forent, si suspicarentur, *ideo hoc regnum amplius, nec potius exiguum illum Terræ tractum à Principe electum, ut ipsi essent maligni & miseri?* Annon male judicarent, si ita persuasi essent, *non respici à Principe bonum publicum*, i. e. *rationes objectivas, non decretam ab eo pœnam ob delictum, sed potius primum ejus consilium, nisi potestatem legibus omnibus humanis solutam, in perdendis his, cæteris vero conservandis, non aliud quidquam spectasse? Acquiescendum sibi in eo, quod ita voluerit Princeps, &, occupato hoc majori imperio, se, Rebelles comdemnare. Annon errarent, si hac mente essent, non* decerni à Principe præmia propter præclare facta, *nisi enim Princeps malum quoque vellet, non futurum fuisse*,

ut hoc imperium, in quo se rebelles utique futuros præsenserit, elegisset? Facilis est ad DEum applicatio levi vocabulorum DEi, & Principis *commutatione.*

§. 227.

Quidquid contra hoc simile, vel potius exemplum, Dissentientes regesserint, id erit omne à tertio comparationis alienum. Sed eo manifestissime ostenditur, *electionem a rationibus objectivis non esse solutam.* Posteriora §. 222. verba, quæ Adversarii de justitia pronuntiarunt, sequenti capite excutientur, si DEO fuerit visum. Interim de his plura vide in Jurisprud. Theolog. S. II. C. III. quæ hîc prolixe non repetenda sunt. Videamus quæ porro Antagonistæ objiciant.

§. 228.

Quodsi Deus mundum eum, in quo hunc malorum ordinem cum omnibus antecedentibus & consequentibus accuratissime ab æterno perspexit, tanquam optimum elegit, decrevit, produxit: nihil velle potest ab iis diversum, quæ ad hunc optimum mundum pertinent. Ergo nugæ sunt & febricitantium somnia, quæ Lutherani, plenis buccis, proflatisque naribus, de universali sua misericordia, redemtione, gratia, *inepte garriunt. Eo ipso enim, quo DEus hunc mundum optimum elegit, decrevit, produxit, solos illos salvos non potest non velle, qui soli in hoc mundo tanquam salutis in Christo per Spiritum S. participes repræsentabantur; neque eorum ullum velle potuit non damnatum, qui tanquam extra Christum propter peccata sua damnati non minimam hujus mundi optimi partem constituunt.*

§. 229.

§. 229.

Quanto laboret tam acris discursus consequentiæ hiatu, ex iis, quæ §. 223. 224. &c. dixi, luculenter constabit. Non sequitur omnino; *Quodsi Deus hunc mundum se dignissimum, & sua gloria, accuratissime ab æterno perspexit, decrevit, & suo tempore fabricavit: nihil velle eorum potest, quæ in hoc non fiunt.* Quæcunque de voluntate antecedenti §. 131, 132. 133. seqq. proposita sunt, posse eam quoque ferri, immo non posse non ferri, in ea, quæ futurorum numero exemta sunt, satis superque has Auctoris sententias confutant, & *velut æquant solo.* Patet etiam Principis, cujus §. 224. seq. mentionem feci, exemplo, sapientissimum & futurarum rerum callidissimum conjectorem ea magnopere velle, quæ nunquam futura sunt, §. 137. Constat Magistratûs, maleficum, ad mortis usque ultimum articulum in malitia persistentem, supplicio tamen afficientis exemplo, *optari etiam, quæ certissime tamen non futura videas*, imo, quæ ex tuo facto mala consequantur, non tamen tibi imputari.

§. 230.

Princeps, quem §. 224. regna occupantem sua feci, novit, se Rege exorto, futuros rebelles, & id ita exploratum habere cogitatur, quam quod exploratissimum. Sed an propterea, quæ non futura præsentit, i. e. rebellium obsequia, non voluisse censendus est, quia, non obstante sua præsensione, aliquid facit, ex quo seditio consequutura est; Haud quaquam sane! Non igitur rationi admodum consentanea, quæ in partem contrariam dicuntur.

§. 231.

§. 231.

Infinitam Lutherani Deo & bonitatem & Sanctitatem tribuunt. Quod infinitum vero sit, id non posse non tale esse in omni sua extensione, protensione, & intensione iidem monent. Ergo Lutherani impie læsæ divinæ, uti bonitatis, ita etiam sanctitatis rei sunt. Nam contra ea, quæ divinæ sanctitatis propria esse statuunt, tuentur, Deum neque omnia bona appetere, neque sola, neque summo studio mala adversari: cum non omnibus iis bonis homines mactet, quibus beatas mentes frui novimus. Cumque Deum malum permisisse largiantur, non potuit non velle, quod permisit, &c.

§. 232.

Etiam hæ elabendi rimulæ obstructæ sunt. *Infinitus DEus est*, sed secundum perfectiones omnes. *Quando benignitas omnibus bona* tribuenda *suadet*, tum sapienter *suadet*, sapientia vero non admittit *saltum*. §. 201. Itaque non sequitur, *Deum neque omnia bona appetere, neque sola, neque summo studio mala aversari: cum non omnibus bonis homines mactet, quibus beatas mentes frui novimus, & permittat malum.* Nam, quod ad primum attinet, æterna gaudia DEus destinare iis nondum potest, qui vias intermedias nondum vel sunt emensi, vel emetiri detrectârunt. §. 205. quia eo casu non esset sapientissime Benignissimus. Quod ad alterum spectat, dixi, quæ sit sapientissima permissi in hoc Systemate mali ratio? §. 225. 226. seq. Ex quo cognoscitur, *nefas esse, si quis existimet, Deum summo studio mala non aversari, quod malum permiserit.* Quum *enim permisit, ob rationem* publicam *permisit*, quam etiam Princeps secutus est, §. 225. quæque privatæ rationi, *hominis* privati ultro *contractam miseriam*

riam impediendi, *nec* poſtponi *ſapienter potuit*, *nec* etiam *debuit*, niſi deeſſe DEUS voluerit ſibi ipſi, tanquam Regi, tanquam ſummo Civitatis ſupremæ, quâ omnes Spiritus finiti continentur, Rectori.

§. 233.

Addam tantum adhuc pauca, quæ Adverſarius regerit, cætera ſuo loco examinaturus. *Quomodo Deus permittere poteſt, ut reprobi in æternum & Deum blasphement, & puniantur, niſi hæc reproborum mala velit? Sin vero, quomodo conſulere tuæ fidei poſſis? Si neſcis ex te ipſo, te edocebo. Adhibe ſolam illam diſtinctionem, quam de bonitate ſupra adhibuiſti, & ſalva erunt omnia: Scilicet & Deus mala ſancte velle poteſt, quoties reliquarum perfectionum intereſt, ea Deum velle, quoties ſine emergenti quodam abſurdo, ut tua illa abſurditate hîc abutar, DEO mala nolle non licet. Hinc longe rectius & accuratius quidem Adverſarii DEI Sanctitatem per ſui amorem explicant. Cum enim per naturalem ſui amorem DEus non poſſit non velle, quæ optima ſunt: Sanctiſſime hunc mundum voluit, quia optimus eſt; licet ad optimi hujus mundi naturam mala pertineant.*

§. 234.

DEum mala velle haud injuria poſſe, quoties aliarum perfectionum interſit, ut ea velit, falſiſſimum eſt, & in eorum ſententia, quos Auctor confutandos ſumit, & maxime, ſi ſolam rei veritatem ſpectes, Quid Voluntas divina ſit, §. 106. declaravi. Nec metuo, fore, qui iſtam definitionem cum ratione improbent. Voluntas tendit in omne *bonum, quia eſt perfectiſſima*, & in ſolum *bonum, quoniam eſt ſancta* §. 110. *Sed cur*, inquis, *mala fiunt, an ſine voluntate*

untate Dei quicquam evenire poteſt: Quoties ad hæc eſt reſponſum? Permittit DEus mala, non vult. Expende quæ dixi §. 220. Nam ſi divina perſpicacia, hoc, quod incolimus, malo infectum Syſtema, non amplius ut *A.* ſed ut B. cognoviſſet, in quo malum, quod libere factum, eadem libertate fuiſſet evitatum; non eſt dubitandum, quin elegiſſet B. *S*ed retentis reliquis τῆς *A.* perfectionibus. Itaque Deus proprie non vult, ſed permittit mala.

§. 235.

Forte exiſtimas, *perinde eſſe, ſive quis Deum mala voluiſſe, ſive permiſiſſe, dixerit; nam qui velit antecedens, velle etiam conſequens, jam vero permiſſionem divinam certiſſime mala ſequi.* Antecedens eſt, quô poſitô, non poteſt non ſuccedere conſequens. At poſita permiſſione divinâ, non tamen Potoplaſtus neceſſario legem violavit, potuiſſet, etiam non §. 225. violare. Quare permiſſio, & mali ortus, proprie loquendo, *antecedentis & conſequentis ordine non continentur.* Nunc argutari, more tuo, cœptas. *Si Deus ab æterno permittenda mala ſtatuit, mala quoque neceſſario ſequi debuerunt; permittere enim non dicimur, quæ ex ſe non eventura ſunt. Ubicunque eſt permiſſio, ibi res permittenda neceſſario præſtruitur.* Miſces denuo, ut frequens tibi eſt, ſenſum diviſum compoſitumque, Dum res utique permittenda cogitatur, eo ipſo futura cogitatur: Sed de eo haud quisquam quærit. *Hic quippe ſenſus compoſitus eſt* id potius inte eſt, *an id, quod permittendum erat, ita neceſſario evenerit, ut non evenire non potuerit, qui eſt ſenſus diviſus. Ordine rationis* §. 174. not. *. *prius*

debet

debet intelligi ex ἀδιαφορίᾳ Agentem liberum determinasse, *quod immensa DEI scientia viderit ab æterno*; quâm quidem accedere ulla potuit permissio. Itaque ordine rationis permissio sequitur, prævisum vero malum antecedit. Nec verum est, Permissionem antecetentis, mala autem consequentis Schesin induere.

§. 236.

Cæterum, qui Sanctitatem DEI per amorem sui interpretabantur (nam & hujus fecit Adversarius mentionem §. 233.) ambigue videntur esse locuti. Nam id vel sensum habet hunc, *posse DEum quidvis sancte facere, etiam offendendo unam perfectionem; dummodo alteris consulatur*; quem sensum Adversarius videtur innuisse: §. 233. Vel eo significatur, *Deum amare se, & id, quod per potentiam, sapientiamque præstari potest*, i.e. omne bonum possibile, *nec quidquam pater aliud*, i. e. *nullum malum*; tum quidem non dissentimus. Interim id ex sanctitate non consequitur, ut mala DEus sancte velit, adpetatque.

§. 237.

Feci aliquotios insuperiori discursu rationum objectivarum *mentionem*, non explicato accurate vocabulo, *sufficiebat tantisper* idea clara, i. e. *ex subiunctis haurienda exemplis*. Nunc antequam ad reliqua accedamus, propositâ definitione, ideo distinctior exhibenda est. Ratio decreti Divini *subiectiva* est, *quam quærunt in sola voluntatis εὐδοκίᾳ, ac libertate, ut si, cur hoc nec aliud potius destinatum sit, quæras, ratio afferri nulla possit, quàm hæc*: Quam ita placuit. *Ratio* autem *objectiva*

desu-

desumitur ab eo quod decernendum est, ut, si cur HOC *potius, quam* ALIUD *quodvis electum sit*, sciſciteris, ratio poſſit reddi, *si non semper à Te, certe tamen à sapientiſſimo*, talis, quod res decernenda hoc aut iſto modo affecta, hanc nec aliam deſtinationem per ſapientiam admittebat.

§. 238.

Ratio igitur ſubjectiva *mere* arbitraria eſt, poteſt Deus aliter decernendo facere ut aliter placeat, ecce rationem mutabilem! *Objectiva vero ratio semper est necessaria. Nam si* v. g. *res decernenda* bene affecta *possibilis* ſit, *efficere Deus nequit*, ut non poſſit eſſe *bene affecta*. §. 115. Cur? Res poſſibilis dicitur, quoniam DEUS eam præſtare poteſt potentiæ nutu, ſi impoſſibilem reddere quiret, ſane hac ipſa potentia potentiam enervare poſſet. Quod nemini ſano in mentem veniet.

§. 239.

Rationes porro, ut ex defin. §. 237. & 238. conſtat, cum *objectivæ* tum *subjectivæ* à DEO pendent, ſed illæ à potentia, ſapientia, ſanctitate, quibus Dei perfectionibus res, quæ præter DEum intelliguntur, poſſibiles, bonæ, & ſanctæ exhiberi queunt: hæ nimirum *subjectivæ* pendent ab UNA, & SOLA DEI *voluntate*. Ut primum huic ſapientiam, potentiam, ſanctitatem adjunxeris, vel imprudens, rationes objectivas, quas electioni prævias eſſe negas, concedes.

§. 240.

Sapientia, potentia, sanctitas DEI &c. ſunt radices rerum, quà ſanctarum, bonarum, poſſibilium. *Quod si igitur*, ordine rationis,

ſapientiam, potentiam electioni prævias ſtatueris, tum & eodem modo, *res* quà hoc aut illo modo poſſibiles, qua bonas, qua ſanctas, aut non ſanctas &c. DEI decretum præcurrere docebis, cum alterum ſine altero cogitari non poſſit. Et ſi res generatim *ordine rationis*, quà hâc aut illa conditione poſſibiles ſpectantur, electionem antecedunt; antecedunt etiam conditiones rerum ſpecialium, ut Petrum DEUS propter fidem, Judam propter ejus vacuitatem non minus eligat, ac totum rerum quarum vis Syſtema, *quà potentiæ, ſapientiæ, ſanctitatis ſpecimen*, electum eſt, nam hæc conditio *Syſtema* eligendum æque facit, ac fides Petrum.

§. 241.

Quodſi igitur DEUS *ſapienter, ſancte, & juſte* eligit; PROPTER RATIONES OBJECTIVAS ELIGIT, NON SOLUM GENERATIM RES UNIVERSAS, SED ET SPECIATIM SINGULAS, TANQUAM UNIVERSI PARTES, ADEOQUE PETRUM, PARTICULAM MUNDI, PROPTER RATIONEM, QUAM IN SE HABERE VISUS EST AB ÆTERNO.



Cap. III.

Secundum argumentum pro rationibus objectivis a DEi Sanctitate, Justitia, et Sapientia petitum.

§. 242.

QUoniam ex notionibus perfectionum DEI, quas vocant, practicarum, pro objectivis electioni substratis rationibus, argumentum ducturi sumus; methodus postulare videtur, illarum prius perfectionum exhibere ideas accuratiores.

§. 243.

Primo quidem facio cum verbis celebrati Scriptoris: *Genera & Species perfectionum licet intuitive cognoscere; Ita bonitatem, sapientiam, justitiam, sanctitatem videor mihi concipere intuitive, dum præsto mihi sunt ideæ, vocibus illis designatæ. Sed infinitudinem concipere ita non licet. Quando adpetitum boni dico, respondet vocabulis idea, animo præsens, quæ præcise illis significatur: Cum adpetitum dico boni omnis, non possum mihi præsentem sistere ideam* omnium, *quemadmodum id possum circa adpetitus & bonitatis ideam. Si quid igitur in cognitione nostra intuitive comprehenditur, pertinet illud ad species perfectionum, nequaquam vero extendi debet ad ipsam illarum infinitudinem, quam solus intuitive DEus cognoscit.*

§. 244.

Perexemia est hæc, nisi me omnia fallunt, observatio, quæ ad investigandas, ac dijudicandas perfectionum divinarum notiones valet, qua & ca-

vetur, ne vel ex uno, vel ex altero latere, à recto veritatis tramite aberremus. Qui *nullam* infinitæ *perfectionum divinarum* naturæ, quà talis, *rationem habent*, ii, quidquid DEUS agit, finito suo intellectu velut comprehendere gestiunt, & in Socinianorum placita circiter incurrunt. Contra, *qui* ne speciem *& naturam quidem divinarum* perfectionum nobis esse perspectam docent, umbratiles tantum, &, uti vocant, analogicos conceptus de justitia, & sanctitate &c. formantibus, illi *Socinianis nimium evehentibus rationem* è diametro *oppositi eandem nimis deprimunt*, immo sepeliunt, latam Scepticismo, vel non opinantes, aperturi portam.

§. 244.

Nimirum quidquid apud nos homines v.g. justum esse verè cognoscitur, id, si à solo limite justitiæ discesseris, *quô fit ut tantum in aliquibus justi simus, nec omnibus, nec omni tempore; nec omni loco*, DEO etiam rectissime non solùm potest, verum quoque debet tribui.

§. 245.

Quidquid præterea in nobis justum est HAC aut ILLA RATIONE, HOC ILLOVE MODO, id etiam in DEO justum esse intelligitur, EODEM MODO, RATIONE EADEM, dummodo prior cautio adhibeatur, ut ejus justitiæ in nobis observatæ notioni addamus ideam OMNITUDINIS, uti loquuntur, i. e. cogitemus, *justitiam DEI pertinere ad* omnia, maxima & minima, omni tempore, omni loco.

§. 146.

Hujus rei ratio est expedita & plana, Nam justitiæ,

ſtitiæ, quæ apud nos floret, igniculus, eſt pars immenſi ignis, qui in DEO ardet, licet ſit pars limitata, nec enim aliter pars eſſe poſſet. Ipſa juſtitia ſecundum ſpeciem §. 244. conſiderata, ſeu definitionem, non minus in DEum cadere debet, quam in nos, quanquam ſecundum infinitam naturam nec cadat, nec cadere poſſit. *Qua ratione nos juſti ſumus, ſi revera ſumus, ea ratione etiam DEus juſtus erit*, licet in DEO id addatur, ut, ſicuti nos in aliquibus, ita ille in omnibus juſtitiam comprobet ſuam.

§. 247.

Graviſſima eſt hæc obſervatio, & Adverſariorum *de electione, rationibus objectivis ſoluta, ſententiam*, ut mox patebit, prorſus æquat ſolo: itaque ſequentibus corroboranda eſt. Finge verum eſſe contrarium ſcil. *nos nullo modo ex nobis æſtimare, vel judicare debere divinam juſtitiam*, nec ſecundum ſpeciem, nec ſecundum naturam infinitam, fac, quod in nobis vere *ſecundum ſpeciem juſtum eſt*, in DEO, poſitis iis omnibus, quæ tum nos circumſtant, tamen juſtum non eſſe, cogita noſtras juſtitiæ ideas, etiam ſecundum ſpeciem, tantum analogicas, umbratiles, & velut depictas ſolum eſſe, ad DEI juſtitiam adplicentur, poſſe igitur nos etiam in æſtimanda juſtitiæ ſpecie falli: Profecto idem metus imminebit, in judicandis omnibus DEI perfectionibus.

§. 248.

Nimirum, ſi apud nos vere bonum, honeſtum ve eſt, *quod ſecundum eandem ſpeciem in DEO* nec bonum, nec honeſtum eſſe poteſt, (de

infinita natura, soli DEO tribuenda, non est quæstio, sed omnium consensus) tum etiam *apud nos*, certissime VERUM esse potest, quod, eâdem veritatis definitione ad DEum translatâ, falsum est, *ita tandem præsentissimum erit Scepticismi periculum universalis.* Nam si de rebus *justis*, *bonis*, *sanctis &c*, *quæ ad* voluntatem *pertinent*, cui tanquam materia substernuntur, non habemus, nisi Analogicas definitiones, ad DEUM non adplicandas, *secundum speciem*; tum & de rebus, circa quas intellectus occupatur, VERIS, *sapientibus*, alias, nisi umbratiles notiones, haud habebimus; FIERI IGITUR DEBET, UT NOBIS TANTUM VERUM VIDEATUR, QUOD PENES DEUM NON EST.

§. 249.

Itaque *bis duo forte* tantum *apud nos quaternarium constituunt* numerum, non apud DEum; forte, *DEum esse colendum*, umbratilis tantum veritas est, in DEI judicio longe aliter definienda. *At enim*, inquis, *sufficit nobis*, *habere exploratum*, *nostri esse officii*, *ut juxta hanc*, *licet analogicam justitiæ normam ac ideam actiones componamus nostras*, *& ipsum colamus Deum*, *si vel maxime olim multo aliter simus edocendi*, *etiam quoad perfectionum divinarum speciem.* Sed forte etiam hujus spei & tantum nobis concessa umbratilis notio. Nam DEI intellectus, si te audiam, non secundum infinitam naturam solùm, sed & ipsam speciem, diversus *à nostro est*, qui cum sit solus veritatum omnium theologicarum pariter atque Philosophicarum campus velut immensus, dubium profecto est, an inde veriores notiones in

angustissi-

angustissimas capacitatis nostræ areas migraverint. *nam non migrasse, umbratilis nostra veritas docet.* Ubi autem veritatis theoria umbratilis, ibi etiam praxis officiorum, inde fluens, incerta.

§. 250.

Aut notiones, quas de divina formamus justitia, sanctitate, &c. ita analogicæ dicuntur, *ut inter ipsam definitionem* ejus, qua nos, & alteram, quâ DEus agit, *aliquid intersit*; tum & diversa definitione continebitur divinus intellectus, & noster, nec sola discernetur uterque infinita natura, vera igitur erunt ea, quæ §. 249. dixi, *i. e. dubia erunt omnia*, ut in famosi Sceptici transeundum castra sit: Aut ideæ perfectionum DEI analogicæ nobis sunt hoc solum sensu, ut *nobis* minus *perspicacia, justitiæ competat, DEO autem* infinita; profecto habemus quod volumus. Quod in nostro foro vero justum ac à DEO injunctum est, *erit etiam* in actionibus DEI, nisi quod hæ infinitæ sint. Expendantur hæc verba, annon Scepticismum eidem fundamento superstruant, quo suam sententiam fulciunt, qui nos justiam DEI & secundum speciem cognoscere negant. Des Cartes nous fournit une autre raison de douter, lors qu'il dit dès entrée de ses meditations, & de ses Principes, que nous ne savons pas, si Dieu ne nous à point voulu créer de telle nature, que nous trompions toujours, même dans les choses qui nous paroissent les plus claires. Ce doute etoit digne d'un Philosophe, si celui, qui l'a proposé eut pris soin de le resoudre. - - Mais lors qu'il se porte pour le nouvel inventeur de la verité avant commencé le Systême de sa Philosophie par le

doute & ayant proposé les raisons de ce doute : neamoins incontinent aprés, comme si le chemin de la verité lui avoit eté montré du ciel, il cesse si absolument de douter, qu'il ne se met pas seulement à peine de resoudre les argumens, qui l'avoient obligé de douter. - - *Car si quelqu'un se persuade que* l'homme est un animal formé de telle sorte par la nature, que ce qui paroit vray (l'idée de la justice de Dieu) *soit faux, tout ce qu'on lui proposera contre cette opinion lui paroîtra faux au veritable; s'il lui paroit faux, il le rejettera avec justice; s'il lui paroit veritable,* se croyant de telle nature que ce qui lui paroit veritable est faux, il sera encore obligé de le rejetter comme faux. Ainsi il lui sera aisé de renverser toutes les raisons, qu'on pourra lui objecter contre son opinion; & l'on n'en pourra inventer aucune, qui ne tombe sous cette loi generale, que ce qui paroit le plus vrai à l'homme est le plus faux.

§. 251.

His ipsi armis, quibus nonnulli divina decreta rationibus objectivis solvere discupiunt, quæ in hoc posita sunt, ut affirment, non idem nobis & DEO, non eadem ratione & modo, justum esse, etiam secundum justitiæ speciem, his, inquam, armis celeberrimus Scepticus ad prosternendam omnem morum disciplinam usus est. Verba ita habent: Passons à la Morale, il est evident, qu'on doit empêcher le mal si on lepeut, & qu'on peche si on le permet, lors qu'on le peut empêcher. Cependant notre Theologie nous montre, que cela est faux: elle nous enseigne, que Dieu ne fait rien

qui

qui ne ſoit digne de ſes perfections, lors qu'il ſoufre tous les desordres qui ſont au monde, & qu'il lui étoit facile de prevenir. II. Il eſt evident qu'une creature qui n'exiſte point, ne ſauroit être complice d'une action mauvaiſe. III. Et qu'il eſt injuſte de la punir comme complice de cette action. Neanmoins nôtre doctrine du peché originel nous montre la fauſſeté de ces evidences. IV. Il eſt evident qu'il faut preferer l'honnête à l'utile, & que plus une cauſe eſt ſainte, moins elle a liberté de poſtpoſer l'honnêteté à l'utilité. Cependant nos Theologiens nous diſent que Dieu aiant à choiſir entre un monde parfaitement bien reglé, & orné de toute vertu, un monde tel, que celui-ci, où le peché & le desordre dominent, à préferé celui-ci à celuilà, par ce qu'il y trouve mieux les interêts de ſa gloire

§. 252.

Nunc rogo benev. Lectorem, velit adtendere ſequentibus. *Vous m'allez dire, qu'il ne faut point meſurer le devoir du Createur à l'un de nos devoirs* (Hoc ipſum affirmant decretorum ſine rationibus ab electo petitis formatorum Doctores) Mais ſi vous le faites, vous tomberez dans le filet de vos Adverſaires Sceptiques. C'eſt là où ils vous veulent. *Leur grand but eſt de prouver*, que la nature abſolüe des choſes nous eſt inconnue, & que nous n'en connoiſſons que certains rapports. Nous ne ſavons pas, diſent ils, ſi le ſucre eſt doux en lui même, nous ſavons ſeulement, qu'il nous paroit doux quand on l'applique ſur notre langue. Nous ne ſavons pas ſi cette action eſt honnête en elle même & par ſa nature, nous

croions ſeulement qu'à l'egard d'un tel, par rapport à certaines circonſtances elle a l'exterieur de l'honnêteté.

§. 253.

Voiez donc, *pergit* auctor, à quoi vous vous expoſer en leur diſant que les idées, *que nous avons de la juſtice, & de l'honnêteté ſouffrent exception, & ſont relatives.* Songes encore que plus vous eleverez les droits de Dieu au *privilege de n'agir pas ſelon nos idées* plus vous ruinerez le ſeul moien qui vous reſte de prouver, *qu'il y a de corps*: Ce moien eſt que Dieu ne nous trompe point, & qu'il le feroit, ſi le monde corporel n'exiſtoit pas. Montrer un ſpectacle à tout un peuple ſans qu'il ſe paſsât rien hors de l'Eſprit, ſeroit une tromperie: diſtinguo, vous repondrat on, ſi un Prince le faiſoit, *concedo*; Si Dieu le faiſoit, *nego.* Car les droits de Dieu ſont autres que ceux des Rois. Outre que ſi les exceptions que vous faites aux principes de morale ſont fondées ſur l'infinité incomprehenſible de Dieu, je ne pourrai jamais m'aſsûrer de rien. Car je ne pourrai jamais comprendre toute l'etendue des droits de Dieu. Je conclus en cette matiere, S'il y avoit une marque à laquelle on pût connoitre certainement la verité, ce ſeroit l'evidence: or l'evidence n'eſt pas une telle marque, puis qu'elle convient à des fauſſetez; donc.

§. 254.

Hinc intelligitur, quot, ſe ipſos oppugnandi, pariter & propemodum expugnandi, aditus, Scepticis illi præbeant, qui in Theologia naturali, vel unam duntaxat DEI perfectionem, e. g. juſtitiam, defi-

definitione & ſpecie, non minus, quàm infinitâ naturâ, captu noſtro ſuperiorem, pronuntiant. Nam ex eadem ratione, quæ ſemper ab immenſa DEI ſupra res cæteras eminentia deſumitur, & ad ipſius ſpeciei ignorantiam nimis extenditur, Scepticus omnem evertit Theologiam naturalem, nec quidquam in DEO tale cerni concedit, de quo liceat tuto ratiocinari, & aliquam ſaltim perveſtigare veritatem. *Si una DEI perfectio, v. g. juſtitiæ indoles ignota eſt, ignota etiam erit, intellectus, ſapientiæ &c. natura,* ſecundem ſpeciem, immo, ne corpora quidem extra nos exiſtere, exploratum habere poſſumus, ſi ignota dicatur, etiam ſecundum ſpeciem ſuam, DEI juſtitia. § . 253.

§. 255.

Quod igitur in nobis *juſtum* æquum eſt, ſi vere eſt, *cadit quoque* in DEum. Et *ea quidem ratione* cadit in DEum, *qua* & de nobis pronuntiari poteſt. Hinc axiomata ſequentia: *Juſti ſumus vera nec umbratili ratione, ſi pœnas propter delicta, nec præmia, niſi ob remunerandi capacitatem, ſeu ob virtutem ejus decernere nobis eſt* conſtitutum: itaque & DEUS eâ ratione juſta decernit, *ut non eligat niſi ob rationem præviam in eligendo,* nec reprobet, niſi ob ſcelera ad extremum usque continuanda, ideoque, quà talia, *prævíſa in reprobando homine.* Ne dicas: *plurimum intereſt inter juſtitiam DEI, quæ ſuprema rerum Domina, & inter noſtram:* nam id quidem *concedo,* ſi infinitum, quod eſt, ſpectemus in juſtitia; *nego autem,* quidquam intereſſe, ſi ipſam definitionem & ſpeciem conſideres. *Noſtra juſtitia,* qua juſtitia, *divinæ eſt ſimillima,* quâ finita, divi-

utique inæqualis. Pulvisculus corporis rationem non minus habet, quàm immensa cœli spatia, etiamsi ea adeo non æquet, ut infinite parvus velut evanescat. Quæcunque definitio corporis complectitur, pulvisculo æque tribuenda sunt, ac vastissimis cœli auris non obstante ulla magnitudine. Similis est justitiæ ratio. Unâ regulâ cum DEI, tum nostra *justitia æstimatur. Quæ DEI justitia* præcipua *habet,* illa non absorbent; quæ habet nostra, *sed modò* in infinitum augent & dilatant. Itaque si præmia decernimus ob virtutem, DEus ob eandem caussam idem faciet, sed additâ OMNITUDINE, ita loqui fas esto, ut præmia decernat OMNIBUS, OMNI LOCO, OMNI TEMPORE, *ob rationem eandem.*

§. 256.

Forsan in mentem venit, *justitiam DEi, non ex eo tantum, quod infinitum habet, sed & ex aliis differre à nostra, quoniam inter nos alii alios demereri possint, & merita inire perfecta, quæ justitiam alterius velut devinciant, non esse vero id divinæ justitiæ consentaneum, quam sibi obligare nemo unquam possit: Facere igitur DEum omnia posse juste, nec minus pro lubitu, pœnas irrogare, & præmia destinare, nemine vel injuriam subituro, vel postulaturo jus.* Facilis & solida suppetit responsio. Pendet ex ipsa justitiæ, *quà talis,* notione, *ut justus esse nequeat nec DEus nec homo, nisi mala & bona physica adjudicentur ob mores.* Sed id ex infinita natura est, *neminem* meritò *DEum posse devincire,* Non igitur alia est justitiæ notio in rebus divinis, alia in humanis, manet eadem secundum definitionem utrobique, sed *quidquid discriminis*

nis circa meritorum *naturam* DEI justitiam à nostra dividit, id oritur ex eo quod infinita est.

§. 257.

Probabo id verbis alienis, sed à Viro doctissimo profectis; *Hoc imperfectionis est, in justitia rectoria humana quod inter opus & præmium, inter merentem & remunerantem detur ejusmodi vinculum, ut ibi meritum proprie dictum, hîc jus postulandi remunerationem queat locum suum invenire. pendet id ex eo (1.) quod præstari ab homine homini possint, quæ non antea debebat perfecte, in æstimatione saltim civili; (2.) quod item vires agendi habeat, non illi debitas, à quo expectat remunerationem. Id igitur cum sit humanæ imperfectionis consectarium: non pertinet ad notionem justitiæ* in genere *quam ad DEum adplicare necessum est. Fons tamen illius, sed sine admixta imperfectione præsto est: Non ius postulandi à DEo remunerationem concedimus homini: Sed resultantem ex suo facto aptitudinem recipiendi majora.* Cum enim DEus unicuique tribuat pro gradu receptivitatis in illo obviæ: plura illi tribuere potest, qui concessis bene utitur, quàm qui male. *Adest igitur in convenientia prius memorata passiva quædam capacitas, quæ, si illi ex parte remunerantis, similiter aliquid passivi (obligatio præmiandi) respondeat, spectatur ut aliquid activi (jus postulandi præmia)* Passivum vero illud in præmiante non oritur ex idea justitiæ in genere, sed ex independentia, *ut sic loquar*, quadam agentis i. e. merentis; *meritum enim, quod ius generat, debet oriri ex facto non perfecte debito: supplet etiam defectum promtitudinis in præmiante. Neu-*

trum

trum de Deo valet. Igitur incommodum non est, si in ipsa justitiæ definitione illa etiam non involvantur. Hactenus verba Auctoris.

§. 258.

Excutiamus nunc varias justitiæ divinæ definitiones, à variis excogitatas, eo consilio, ut adpareat, *num decretum Dei justum esse, nec tamen non rationes objectivas electioni prævias excludere possit?* Acris Adversarius, magna victoriæ fiducia, sic pronunciat: *Tantum abest ut difficultatum nodos responsione sua expediverit Paulus, ut potius eos longe impeditiores reddiderit. Cum enim ad divinum figuli arbitrium confugerit, nescivisse censendus, in hoc ipso omnem difficultatis propositæ cardinem versari. Sed longe facilius & felicius, uno quasi spiritu, si DEo placet, illi has difficlutates disjiciunt: quando non ad figuli arbitrium, sed massæ tantum omnem mali caussam pertinere affirmant. - - - Neque vero justitia divinæ quidquam ex hac sententia decedit.* SIBI ENIM SOLI OMNIA DEBET. neque creaturis quidquam debet, *nisi quod sapientissimo quidem, sed nobis impervestigabili consilio, creaturis destinavit.*

§. 259.

Adversarius proinde DEI justitiam describit per promtitudinem tribuendi omnia, quæ, *non aliis*, sed sibi debet. Tolerabilem hæc definitio sensum habere potest, sed & monstra sententiarum ex ejusdem ambiguitate, recta viâ, possunt prodire. Id quod continuo ostendemus, dummodo, quæ hîc animum subierunt, celebris viri verba, prius recitaverim. *Mr. de Meaux dans son exposition fait voir que la doctrine du Concile de Trente peut avoir un sens tolerable.* Voila qui va bien, & il seroit à souhaiter,

haiter, que les autres Docteurs de son parti parlâssent toûjours comme luy: *mais tout ce qui est tolerable, n'est pas veritable; & tout ce qui est veritable, n'est pas toûjours necessaire.* Il ne s'en suit pour cela, qu'on soit obligé de suivre les doctrines, qu'on peut excuser. Hæc ille nervose, ac solide.

§. 260.

Tolerandus definitionis sensus est, si dicas, *Deum nemini quidquam debere, quàm sibi, i. e.* suæ sapientiæ, quæ nihil unquam facere, nisi cum ratione sufficienti, evitatoque saltu, §. 205. C. II. potest, suæ sanctitati, quæ à malis omnibus abhorret, quæ moralia sunt, suæ benignitati, quæ, pulso malo physico omni, bonum inferre connititur. Sed si hic sensus sit, Adversarius nihil pro sua opinione lucri facit. Nam, eo significatu admisso, id recurrit, quod est κρίνομενον. scil. *an DEus suæ sapientiæ debeat, decernere salutem individuo homini extra nexum; ideoque cum saltu, ita ut nulla ratio determinata, decretum præcurrrens, suaserit*, cur huic potius, quàm alii cuivis sit destinanda? In quo ipso summa difficultas est, quam adversarii hac definitione sepelire magis, quam resolvere conati sunt.

§. 261.

Quod si autem definitionis vis in eo ponatur, ut credas ejus ductu, *Deum ea etiam juste peragere posse*, quæ è diametro repugnant iis, quibus nos homines veram justitiam metimur; Si dicas, *posse dari etiam secundum speciem diversam*, §. 247. *à nostra, in Deo justitiam*, eandemque arcanam,

canam, & secundum speciem, & infinitam naturam, *impervestigabilem, sufficere nobis, quod* quidquid DEus agat, sibi debeat, adeoque justum sit, tametsi iis omnibus officiis contrarium sit, quæ nos non possumus non vere justa pronunciare, credere, & sequi *in omnibus humanis laudeque dignis negotiis:* Quodsi definitione datâ §. 258. hoc innuatur: Sententiarum monstra exinde prosilient.

§. 262.

Vide, quæ absurda debeas tuæ definitioni, §. 259. intellectæ sensu, quem indicavi §. 261. Nunc eò eris redactus, ut exploratum habere nequeas: SINTNE AD MORTEM USQUE IN FIDE PERSISTENTES ELECTI? Quæro ex te, ut haud gravatim probes, eos, *qui cum fide hinc migrant, electos fuisse, ac servatum iri.* Respondes forte: *Id quidem testatur scriptura.* Verum enim vero Scripturâ *voluntatem* duntaxat *signi*, *non arcanam beneplaciti traditam*, tu ipse crebro doces, inculcas, profiteris. Sacræ litteræ nos officii tantum commonefaciunt, utor tuis responsionibus, non absconditam DEI circa electos intentionem produnt.

§. 263.

Instas: *diserte Christus significat:* Matth. 28. v. 9. Quicunque credit, servabitur. Ego autem, hoc oraculo nihil probari, tuis distinctionibus ac hypothesibus evincam. Scil. *Quicumque* electus *credit, is servabitur. Omnis igitur electus credit*, id significat oraculum, sed inde nondum conficitur, *omnem ad finem usque credentem, esse electum.* Nunc parum

parum ab indignatione aberis conquesturus: *perverti data operâ, & destinato consilio sacram scripturam, quæ ubique locorum testetur, omnem in ultimo mortis articulo constitutum, eundemque fide præditum, in beatas illas evolare sedes.* Justas effundis querelas easque ut nobiscum effunderes, dedi operam consulto: *nam illa quidem ratio interpretandi scripturam, quam tantopere accusas*, non nostra, sed tua est, En facti specimen!

§. 264.

Propositio Petri: 2. Ep. 3 v. 9. *Deus non vult quemquam perire*, sono verborum, ex quo, si cætera paria sunt, genuinus sensus intelligitur, æque late patet, ac illa: *Quicunque credit. servabitur.* Potest enim æquipollentibus vocibus ita exprimi: *Nemo volente Deo perit.* Sed quemadmodum tui Doctores, hypothesi ut inserviant, posteriorem propositionem limitant, addendo vocem (ELECTUS.) Ita & eodem jure eadem vox inseri potest propositioni primæ: ut hic sint duæ propositiones. *Quicunque* electus *credit, servabitur*, &: *Nemo* electus, *volente DEO perit.* Quidquid contra priorem interpretationem afferri potest, pugnat quoque adversus posteriorem. Quicunque, ratione prioris propositionis, se nobis adversarium præbet, in nostra castra transibit ratione posterioris, eadem respondendo nobis, quæ nos grata accepturi mente, reponere illi possumus.

§. 265.

Esse autem adversarios nostros interpretationis hujus *sive genuinæ*, *sive spuriæ*, utcunque placet, auctores, vel ex sequentibus cognoscitur. *Cavendum est*, celebris Commentator in hunc locum, 2. Petr. 3. v. 9. inquit, * *ne his verbis abutamur ad op-*

pugnandam doctrinam in pluribus scripturæ locis traditam, de electione particulari, h. e. qua non omnes in universum homines, sed aliquos tantum, - - Etenim Petrus non loquitur hîc de omnibus in universum hominibus, sed TANTUM DE OMNIBUS ELECTIS. Nulla propositio amplius tam latet verborum sono, quam non addita limitatione liceat restringere, coarctare, & variis circumscribere modis. Quidquid moliaris, nunquam ex sacris litteris probari poterit, si tua interpretatio sequenda, omnes ad extremum vitæ credentes iri servatum. Nam unde nosti, *arcanam Dei justitiam circa nonnullos credentes non statuisse aliter, non habere sibi præfixa, quæ nec pervestigari, nec comprehendi debent aut possunt.*

* *P*iscator in h. l.

§. 266.

Testor Deum, me non rixandi, verùm difficultatis, quam maximam in Adversariorum hypothesi sentio, proponendæ consilio, motum, hæc talia tradere. Itaque reliqua etiam persequar. Dicent, *justitiam Dei non permittere, ut hominem sibi gratum, & fide Christo insertum, tanquam vitæ Arbori, Apoc. 22. æternis pœnis affligat, & in membro corporis Christi, ipsum Servatorem offendat, hæc esse dictu blasphemà, à Dei consilio, justitia, & sanctitate alienissima.* Addent verba longe gravissima, quibus rei indignitatem depingant ulterius. *Omnia quidem rectissime dicent, sed in* nostra quidem, non ipsorum *sententia.* Primo enim præstuunt, tanquam indubium, cujus examen demum instituimus: *Hominem in morte Christo insertum, ador bari Deo.* Unde hoc conjiciunt, aut augurati possu ° cilli, qui *voluntatem ciraca*

circa electos arcanam esse, & nobis ignotam, ipsi dictitant? An ex scriptura cognoscere id possunt, quæ voluntatem tantum signi revelat, §. 261. & secundum ipsa oracula, pro voluntate beneplaciti pugnare visa, particulari significatu circumscribi potest? §. 264. 265.

§. 267.

Quod vero argumentum à justitia desumunt; *quâ fieri non possit, ut Christo per fidem inserti, dum fato cedunt, perire possint*, id aut nostrum, aut plane nullum est. *Nam si justitia Dei ea est*, quâ nemini quidquam debet, quàm sibi, *si ab arbitrio divini figuli, non autem massæ subjacentis conditione pendet salutis vel perniciei æternæ origo*; §. 256. *cur Deus non posset fide præditum sempiternis afficere plagis*; an massæ est figulo propterea dicam scribere? Rom. 9. v. 21. *An propter* fidem *Homini DEUS quidquam debet?* atqui justum est, ut nemini quidquam debeat, cum & ipsa fides donum sit; quod æternæ salutis debitum constituere non potest. Annon est Twissi sententia, *posse etiam innocentem hominem æternis discruciari doloribus à DEO, & sine ullius injustitiæ macula?* Quidquid enim Deus facit sibi debet; ideoque justum est.

§. 268.

A labyrintho infinitarum dubitationum proxime absumus; quod tandem filum prensabimus, inde evadendi? Dices: *licet salus ad finem credenti non adjudicetur ex merito, nec justitiâ proprie dictâ suadente; tamen libera DEI ordinatio efficit, ut cuivis credenti destinetur salus* Atqui libera DEI circa electos ordinatio arcana est, quomodo tu scire potes

ex te ipso, electionem pertinere ad omnes credentes? *Non creditis,* Servator respondet, Joh. 10. v. 26. *Nam non estis meæ oves: Ergo quicunque credunt oves sunt.* Perinde ac si quis ratiocinaretur: *Non es aulicus, quia non es civis, ergo quicunque civis est, aulicus est.* Latius quippe fides patere potest, quam electio.

§. 269.

Si in formando DEus decreto *objectum non respicit, si à se solo pendet, ne alieno videatur obnoxius, si nemini quidquam debet,* quam sibi soli: *tum & Deus manebit idem, manebit non variatus,* in decreto exsequendo, *non respiciet objectum fidei, ne à re creata determinetur,* quod semper Adversarii statuere nefas ducunt, *non erit obnoxius fidei, non debebit fidei quidquam, quàm sibi hoc, ut fidem non respiciat,* nec *in exequendo decreto* magis obnoxius videatur, *quam in formando.* Quidquid contra rationes objectivas, in formando decreto, attuleris, id omne valebit quoque contra easdem in exsequendo. Cur DEus *magis penderet in uno quàm in altero?* Cur objectum respiceret in uno, nec in altero? *Ipsa,* inquis, *voluntas, in exsequendo, objectorum naturam libere sequitur, ob ordinem, qui viæ rationem habet, ad consequendum scopum destinatæ salutis.* Atqui DEus, si te audiam, nemini quidquam debet, quam sibi ipsi: *An igitur exsequutionem finis,* i, e. *salutis, gratia* adminiculis, v.g. fidei *debere potest?* Annon justum foret, *si & sine fide servaret,* ne fidei debere videatur consilii sui æterni expeditionem, quod non minus indignum DEO foret, ac si ipsum æternum consilium rationi

objectivæ deberetur? Caussaris forte, *alia indoles est* voluntatis divinæ, *quæ sui caussam decreti habere nequit: alia vero* rei volitæ (i. e. salutis) *quæ non potest non contineri certâ causâ*, i.e. (fide) Miror, te potentiam DEI, quæ res volitas, ita enim loqueris, exsequitur, *magis alligare rationibus objectivis, quam* ipsam Numinis voluntatem, quæ circa destinandum versatur. An dignius DEO est, *ipsius* potentiam *ab objectis & caussis pendere, quàm* voluntatem? *Ipsa potentia*, inquis, *non pendet à caussa, sed objectum, quod per illam efficitur.* Sed potentia tamen effectum non attingit, nisi moliatur per caussas, *an id non sordidum DEO?* potentia non potest effectum sistere, nisi *sistat caussas:* at voluntas si Te audiam: *effectum velle, nec tamen vel prius caussam.* Si DEO posterius inglorium, multo magis prius. Regem per arma regni occupationem intendere, i. e, per caussas, non tam vile & abjectum, quam per arma (caussas) debere occupationem efficere. Gloriosius utique foret, rem volitam, tuis utor verbis, non minus absque caussarum molimine sisti, atque voluntas sine illis decernit.

§. 270.

Forte tibi succurrit illud: *DEus in exsequendo consilio* LIBERE *vult gratiæ adminiculis, i. e. fidei debere salutem:* Sed id si affirmas, concedere videris, *DEum suâ justitiâ, quâ sibi* SOLI *omnia debet, posse semet* LIBERE *abdicare.* Si respondeas: *id ipsum sibi debere DEum, ut per certa objecta, v. g. fidem, electionem exsequatur*, cecidisti in casses meos: justitia igitur DEI hæc erit, *ut*, eo ipso, dum objectum quodvis pro ipsius convenientia tra-

ctat, adeoque fidem, prout congruum ipsi est, æternis gaudiis auget, faciat, quod sibi debet, & ea omnia referet ad suam ipsius gloriam.

§. 271.

Itaque justitia DEI hocce ipsum sibi debet, *ut unumquodque pro convenientia tractet*, *ut* SUUM CUIQUE TRIBUAT. Non justum tantum est, conformitatem objectorum (fidei & salutis) respicere in exsequendo, sed æquum quoque erit eam sectari in decernendo, ne, si Deus in destinando nexum illum objectorum, (i. e. fidei & salutis) omittat, etiam in expeditione, consilii præterire possit, adeoque sibi ipsi desit; nam hoc agendi modo sibi DEum defuturum, paragrapho antecedenti concedebas.

§. 272.

His ita disputatis apparet, quomodo perfectiones divinæ, justitia, sanctitas &c. investigari debeant! Nimirum intuendo id, quod apud *nos homines*, intellectûs, justitiæ, & sanctitatis &c. *titulo ornatur*, *intelligitur*, *quid in DEO sanctum, justum & intellectui consentaneum*, *i. e. verum sit*? Sin istum processum esse legitimum neges, fundamentum Theologiæ naturalis totum evertitur. Nam unde novimus, *quæ penes nos ἀσύστατα sunt, contradictioni obnoxia etiam in rebus divinis esse*, (*) nisi ex nobismet ipsis, quoniam fieri non posse sentimus, quantâ libet adhibita animi contentione, ut ideam formemus Circuli quadrati, Montis sine valle, lineæ sine longitudine? Contra, si dicas, ex nobis ipsis, *quid in Deo sit*, non æstimandum esse,

posse

posse apud DEUM justum, verum esse, quod in nobis non sit; tum & contradictioni obnoxia in Deo vera esse possunt, quod forsan nobis tantum ita videntur; quâ spongiâ omnis rerum scientia ex animis hominum delebitur, jussâ succedere perpetuâ dubitandi de omnibus proclivitate. Qua re nihil potest esse pestilentius.

(*) Hinc viri doctissimi rectissime contendebant singularibus disputationibus: *Contradictoria*, proprie loquendo, *non posse credi.* *Neque*, inquit nonnemo eorum, *hîc res divinæ excipiendæ sunt: Etenim quacunque tandem de re agetur, sive magna sive parva; sive perfecta sive imperfecta; sive finita, sive infinita; sive divina, sive humana; perinde certum ac indubitatum est, ea, quæ se mutuo evertunt, simul stare non posse. Neque juvaret ad divinam omnipotentiam confugere. Nam quæ se mutuo evertunt, ut circulus quadratus &c. sunt meræ voces sensu vacuæ, mera absurditas, merum nihil, adeoque divinæ omnipotentiæ objectum esse nequeunt.* Hæc Vir celeberrimus. Quî autem, si quis Viro doctissimo obloqueretur? *Circulus quadratus forte apud nos homines tantum vox sensu vacua est, DEO contra non est; quis enim immensum illum intelligentiæ Oceanum exiguæ capacitatis nostræ situla metiatur? Intellectus divini similis ratio est, quæ justitiæ. Ut enim multa nobis vere contradictoria, quorum penes DEum nulla est absurditas.* Sine dubio responderet; *ex nobis metipsis utique nos intelligere, quod Mons sine valle concursus idearum sit, quorum altera alteram destruat; itaque similem pugnam DEI judicio obversari:* Sed idem & nos respondemus. *Ex nobismetipsis judicamus necessario, salvâ justitiâ, præmia sine virtutibus, & pœnas sine delictis, non posse decretas cogitari: hinc idem visum iri DEo.* Non est effugio locus, *Justitia DEi longe sublimior est nostrâ, qua tribuere potest cuivis, quæ vult:* Nam & de DEI perspicacia idem opponi posset. *Perspicacia est longe subli-*

sublimior nostra, igitur, quæ nobis voces sensu vacuæ, & contradictoriæ sunt, cum illis tanta intelligendi vis, sensum combinatum esse, pervidere potest.

§. 273.

Necessarium judicavi ut evolvendæ *divinæ justitiæ* notioni diutius inhærerem, ne, si adversariorum definitionem non expugnatam relinquerem, tametsi veram justitiæ ideam subornassem, illi tamen omnia, quæ ego huic superstruxissem, eversum ire conarentur. Nunc ex præmissis justitiæ divinæ inexpugnabilis idea hæc erit: Justitiæ DEi est immensa promtitudo, quâ, suum cuique rei, per & præter se, possibili, tribuendo, gloriam sibi debitam maximam parat. Elicitur ex §. 270. hujus notionis veritas. Sed, eâ admissâ, fieri non potest, ut in decreto DEI æterno, ordine rationis, §. 174. non prævius sit respectus convenientiæ, nexûs, conditionis, quâ res possibiles adhuc, & destinandæ distinguuntur.

§. 274.

Per τὸ (SUUM) quod justitia DEI unicuique destinare intelligitur, non significatur, vel meritum, vel jus postulandi, *vel eiusmodi quid, quod* imperfectionem DEo adspergeret: ex §. 257. sed *nexus quispiam rerum in sua natura vel Systemate consideratarum, quo posito,* æternis retro spatiis, *nulli rei, ne possibili quidem, quidquam destinari potuit, nisi ratio adfuerit, in re ipsa, id decernendi. Quod igitur talem rationem habet, ut sibi divina & sapiens benignitas, propter hunc nexum aliquid adjudicare quiverit, id habet* SUUM *quoddam: Contra quæ inter possibilia ab*

æterno

æterno Numini perspecta, ejusmodi visa sunt, ut non habuerint rationem, decreto præviam, cur hoc aut illud divina voluntas eis destinaret, *ea non habent quidquam* SUUM.

§. 275.

Illud (SUUM) cujusque rei ab æterno Numini obversatum *præcurrit quidem Dei* decretum, non autem ejus potentiam, sapientiam, benignitatem. Nam per potentiam res omnes *præstari possunt*, ideoque possibiles evadunt, §. 105. per sapientiam ordinatæ & cum ratione sufficienti præstari *possunt?* Ergo ab illa habent, ut SINT RES, ab hac, ut illis sit quoddam SUUM, i. e. ratio quædam, vi cujus sic, nec aliter tractabiles sunt. Non igitur derogatur quidquam DEO, si justitia SVUM cuique rei ab æterno, ut voluntas redderet, exegisse dicitur. Hoc enim ipso, *quòd DEus non decreverit, nisi* quod rei proprium *erat*, sibi ipsi debitam sapientiæ laudem parat, quippe quæ res ordinatas præstare potest, ut in illo, & ex illo ordine habere possint, quod SUUM est.

§. 276.

Hoc igitur est caput rei, fulcrum totius nostræ sententiæ. *Potuit DEus ab æterno, ante omne decretum*, præstare Petrum, præstare ejus salutem. *Sed & denuo, ante Numinis destinationem*, nexus inter Petrum & salutem *non erat, adeoque ille hanc* SUAM *non habebat, quamdiu adhuc DEo obversabatur* sine vinculo, per sapientiam præstabili, *vel sine ratione sufficiente, qua ad salutem*

lutem idoneus exhiberi poterat: Itaque accedens DEi decretum, prævium Petrum, per ſapientiam in nexu gratiæ, fidei & ſalutis conſtitui valentem, inveniebat, eundemque hoc reſpectu, in hoc ordine, hoc in nexu, eligebat.

§. 277.

Si alia tibi mens ſedeat, ſi dixeris, *potuiſſe*, immo debuiſſe *primò finem intendi i. e. ſalutem Petri, tum demum deſtinari adminicula*, (finem enim eſſe priorem mediis; §. 210. invenies ſolutionem) *profectò Petrus electus erit extra nexum eum ſalute, i. e. nondum habebat in ſe poſſibilem rationem ſufficientem, ex qua intelligi potuerit, cur ei fuerit deſtinata ſalus*, ideoque non habebat adhuc ſalutem SUAM; electio proin illa non tribuit Petro SUUM, i. e. juſta non fuit, quod abſit.

§. 278.

Unum reſtat effugium: Cauſſaberis, *dum finis, i. e. ſalus Petro decernatur, hunc habere eo ipſo jam ſalutem* SUAM, *de adminiculis poſtea demum agitari conſilium; juſtam igitur primam illam deſtinationem* §. 275. *eſſe poſſe.* Sed jam obſtructa illa elabendi janua, Res nequequà ſunt *poſſibiles* §. 115. nequequà ſunt *in certo nexu vel ordine locabiles*, i. e. quatenus habent quidquam SUUM, à DEI decreto pendent, per §. 275. quod quippe præcurunt. Fieri igitur non poteſt, ut electio Petro quidquam adjudicet, quod adhuc extra ordinem conſideratus nondum habet; aliter enim vel aliena decerneret, contra juſtitiam, §. 273. vel decernendo omne SUUM faceret, quod eſt contra §. 275. NON ENIM

DEUS

DEUS DECERNENDO REM vel POSSIBILEM vel ORDINATE PRÆSTABILEM REDDIT: SED QUONIAM POSSIBILIS ET ORDINATE PRÆSTABILIS jam ante EST, ideoque decernit.

§. 279.

Obloquetis: *Uno momento* (*) *destinata ab æterno omnia; itaque licet salus ante nexum fidei, & sine hoc destinata sit, tamen eodem momento præsto fuit fidei concedendæ divina cogitatio; non igitur Petro adjudicabatur, quod non erat* SUUM. Atqui de momentorum sucessione non est lis, fatemur omnes, *eam in æternitate esse nullam.* Sed de *ordine rationis* disquiritur, quem definivi. §. 174. not. * Petrus aliquid SUUM habere debet, quod sit ipsô decreto *anterius*, non temporis, aut morarum *succedentium*, sed rationis ordine, quia intelligi nequit, cur DEUS salutem destinare possit, nisi præstruas, in Petro fuisse ab æterno possibilem nexum, ordinem, schesin, quæ ad salutem referatur, quæ se SUUM efficiat, à quo destinatio DEI alliciatur, quæ nulla alia esse potest, nisi fides.

(*) Facio cum verbis Viri eruditi: *Non vacat nunc cumulare vagos diversorum de decretis DEI particularibus conceptus. Viderit unusquisque, ut se ipsum intelligat. Mihi sic videtur, DEus unico actu decernit omnia. Datur igitur unicum universale decretum. In decreto autem illo comprehenduntur præterita, præsentia, & futura omnia, non generice solum, sed specifice, & individualiter; naturalia, & moralia, & spiritualia; bonorum futuritio, & malorum permissio, moderatio, directio, impeditio, emendatio, punitio. Neque illa solum in se se spectata, sed in serie & consecutione tam naturali per caussas & effectus, motiva, media, & fines, quàm morali per merita & præmia,* deme-

demerita & pœnas (Itaque DEUS Petri salutem primo non decernit extra connexionem, nec secundo cogitat demum de expediendis adminiculis) *Unum igitur DEI decretum est idemque universale, hoc est, omnia in universum facta & fata creaturarum simul distinctissime complexum.*

§. 280.

Stat igitur sententia immota, insuperabilis, ac omni dubio major: *Si Electio justis de caussis instituta fuerit, non potuisse eam non factam fuisse intuitu fidei.* Dabimus vero etiam justitiæ aliam notionem, ab erudissimo Mathematico inventam, quæ non potest non adprobari, eo consilio, ut etiam ex illius indole demonstremus, electionem non posse rationibus objectivis, iisdemque præcurrentibus, prorsus solutam esse. Definitio ita habet: *Iustitiam igitur commodissime, ni fallor, definiemus* caritatem sapientis, h. e. *sequentem sapientiæ dictata. Itaque quod Carneades dixisse fertur,* justitiam esse summam stultitiam, quia alienis utilitatibus consuli jubeat, neglectis propriis; *ex ignorata ejus definitione natum est.*

§. 281.

Caritas est benevolentia universalis, & benevolentia amandi, sive diligendi habitus. Amare autem sive diligere est felicitate alterius delectari, *vel quod eodem recidit, felicitatem alienam adsciscere in suam. Unde difficilis nodus solvitur, magni etiam in Theologia momenti, quomodo amor non mercenarius detur; qui sit à spe metuque & omni utilitatis respectu separatus: scil. quorum felicitas delectat, eorum felicitas nostram ingreditur, nam quæ delectant, per se expetuntur. Et uti pulchrorum contemplatio ipsa jucunda*

la est, pictaque tabula Raphaëlis intelligentem afficit, etsi nullos censui ferat; ita cum res pulchra simul etiam felicitatis est capax, transit affectus in verum amorem. - - - *Quia autem sapientia caritatem dirigere debet, hujus quoque definitione opus erit. Arbitror autem notioni hominum optime satisfieri, si sapientiam nihil aliud esse dicamus, quam ipsam* scientiam felicitatis. *Ita rursus in felicitatis notionem revolvimur, quam explicare hujus loci non est.*

§. 282.

Aut igitur electio, sempiternis abhinc intervallis à DEO suscepta, rationes habuit *justas*, aut *non justas*: Non justas habuisse, nemo pius dixerit: Fuit igitur justa ratio, quare v. g. Johannem Apostolum DEus præ Juda, cæterisque Pharisæis ab æterno addiceret saluti. Hoc autem, ex definitione justitiæ. §. 280. significat, *caritatem electionis*, qua DEus Johannem fuerit, præ reliquis, amplexus, *fuisse sapientem* i. e. non sine ratione objectiva, mero volendi casu, in Johannem latam. Sapientia versatur circa ordinem rerum, nexum, Schesin earum respiciens. *Voluntas igitur eligendi*, si rationes justas prævias habet, tum & sapientes caritati suæ eligenti præcurrentes invenit, i. e. ordinem, schesin, nexum, quem v. g. Johannes, ante decretum, habuit *ad salutem*.

§. 283.

Quod, inquis, *si ita est, pendebit electio æterna ab electis, debebit igitur his suum DEus amorem eligentem; cum tamen justitia ejus nemini quidquam, quam sibi debeat.* Hæc jam in antecedentibus sunt occupata. Non *pendet DEus ab objecto*, si decreto

suo

ſuo præcurrentem ordinem in illo reperiat; *debet id ſua ſapientiâ*, ut in eligendo ordinis reſpectum non dimittat, quæ ſapientia cum ejus caritate copulata juſtitiam parit. vid. §. 275. Niſi hæc ſemper ante oculos habuerimus, in ipſa luce caligabimus.

§. 284.

Quid igitur, pergis, *homines ab æterno per DEI potentiam præſtabiles alios ab aliis diſtinxit, ut hi ante decretum potuerint ſpectari, in quodam ordine, eligendi; reliqui vero extra iſtum ordinem, reprobandi? Qui factum eſt, ut ſi ordinem electioni prævium potuerint ingredi, cæteri extra illum ſubſtiterint?* Vehementer exaggerat hanc difficultatem Vir doctus: *Si clarius loqui ère ſua eſſe exiſtimarent*, (intelligit eos, qui cum nobis faciunt) *dicerent: Ante gratiam in peccatis omnes quidem mortuos eſſe naturâ, ſed ex noſtro arbitrio pendere, utrum velimus magis, an minus eſſe mortui. Solos regenerari, qui præparando, non reſiſtendo minus mortui reliquis eſſe velint. Sed uti vere mortuorum alio alius nequit magis aut minus eſſe mortuus: Ita quamdiu in pecatis mortui ſumus æqualiter mortui ſumus. Non poteſt quis alio minus eſſe mortuus, niſi quatenus vivere incepit. Non voluntarie igitur reſiſtere nemo poteſt; niſi qui jam vivat.*

§. 285.

Putat igitur Vir doctus, uti in tempore *nemo in peccatis mortuus ſe ipſum à cæteris, eadem infelicitate occupatis, diſtinguere, & ordinem gratiæ aut vitæ ingredi, vel ſaltim ejus occaſionem dare potuerit: ita idem quoque verum ab æterno fuiſſe, nec potuiſſe propterea, ante decretum, alios in quodam gratiæ ordine inveniri*, niſi voluntas divina ita deſtinaverit,

verit, *solutam igitur rationibus objectivis necessario esse electionem.* Respondebo prius Verbis eruditi scriptoris, quàm meam quidem sententiam expromsero.

§. 286.

Respondemus, quod in admittenda gratia etiam secundum nos nihil possit istius modi homo nondum regenitus, ut ex hactenus dictis luculenter adparet, morsque illius spiritualis satis id ostendit. Sed quod in respuenda quoque gratia nihil valeat, tam non sequitur, quàm non ex phrasi, mortuum esse in peccatis, consequitur, irregenitum non esse peccatorem, non esse malitiosum, non valere in malo, cujus potius contrarium ex hac ipsa phrasi, nemine negaturo, clare constat. Aliud igitur est, mortuum esse in peccatis, aliud mortuum esse peccatis, *seu bono non resistere, id non respuere, ei non adversari, neque adeo mors spiritualis ultra comparationis tertium est extendenda. Et quanquam homo convertendus omnipotente DEi virtute in vitam spiritualem resuscitetur: hæc tamen ordinata est, &, uti probavimus, resistentiam non excludit.*

§. 287.

Novi, quid heic Adversarii regerant. *Resisti posse gratiæ, immo necessario resisti, ultro concedunt: Sed cum omnes ex æquo,* utpote mortui in sceleribus, *resistant, qui fit, ut quidam obluctari desinant, ad frugem revocandi, cæteri obstrepere pergant, in luto malitiæ suæ relinquendi.* Hujus discriminis rationem Adversarii anquirunt. Nam si in compluribus pietatis vis & efficacia non plantatur, quia resistunt urgenti gratiæ stimulo; profecto in cæteris eadem plantabitur, quoniam haudquaquam resti-

runt. *Aut hi, ut* non resisterent, *in sua habuerunt potestate, aut non: Si prius;* videntur momentum consequi, quæ Adversarius opposuit, §. 284. nimium habere nos in nostra potestate, utrum velimus mortui manere, nec ne? Si dicas, *quos gratia triumphaverit, à DEO accepisse, nec ex se ipsis habuisse*, ut non resisterent; manifestum est, primo eos qui restiterunt, tali gratiâ destitutos fuisse, ut non resisterent, DEum igitur, cum potuerit, nec tamen dederit talem gratiam, eos noluisse servatos; Secundo, quia etiam, *ut non resistas*, à DEO est: sequitur, ubi hæc gratia, *ut non resistas*, sit, te non posse resistere: aliter gratia DEI, quæ facere potest, *ut non resistas*, pati tamen posset, *ut resisteres*, eamque eluderes, quod contradictioni obnoxium est.

§. 288.

Hæc est præcipua difficultas, quâ nobis Adversarii occurrunt, quam dissimulare nolui, ne non satis candide hac in caussa versari viderer. Meâ quidem sententiâ, si ideas recte evolveris, plana omnia & expedita erunt. Homo & naturali impetu, *& quadam* ultro contracta morositate, *allabenti gratiæ, novam vitam accensuræ, non potest non obluctari.* Naturali instinctu non possum non in ea ferri, quæ sensibus, & φιλαυτίᾳ blandiuntur, sive per DEI leges prohibita sint, sive minus. Omnis ille impetus, qui deliberatam mentis cogitationem præcurrit, naturalis est, & moroso opponitur. Jam vero inde ab infantia, tum puerulorum, qui rationis usum nondum sunt con-

secuti, tum nostro exemplo edocemur, *abhorrere nos ab omnibus illis, quæcunque iucunditatis, existimationis, & πλεονεξίας* adpetitum *vel ex tantillo* b-liquare *cæptant*. Cum igitur verbum DEI oblivionem rerum antehac gratarum, & fiduciam in iis rebus collocandam nobis commendet, quarum gustu adhuc non fuimus capti; non possumus non earum rerum cœlestium tædio affici.

§. 289.

Ad hanc naturalem, quâ cum rebus cœlestibus collidimur, pugnam, *accedit alia*, destinato sæpe consilio, ac data opera *ultro contracta*. Agnoscimus meliora ex DEI verbo, & probamus; sed affectuum in contrariam partem rapientium vis obtemperare non sinit. Vid. § 26. 27. 28. seqq. Ante rationis usum affectus nostros in res terrestres tamdiu necessario secuti sumus, donec tooitô intellectûs lumine, eam consuetudinem conciliaverimus jamjam, quam maturescente rationis usu, *deponere nolumus.* (*)

(*) Ingeniosa sunt. quæ germanice tradit Scriptor non obscurus: *Was hilffts einen Patienten, wann er gleich fühlet, daß er kranck ist, wann er gleich begreifft, daß die Artzney wider seine Kranckheit dienlich ist, wann er dabey einen Eckel für derselbigen hat, oder wann seine Kranckheit so starck ist, daß sie die Artzney nicht bey ihm leydet; sondern ihn zwinget, sie wieder von sich zu brechen. Zu geschweigen, daß es noch schlimmer ist, wann er zwar die Medicin vor sich wohl verstehet, aber sich durchaus beredet, er sey nicht der Patient; sondern er sey gesund, und der Medicus, der ihn curiren soll, sey kranck. Dann es werden ja insgemein solche Patienten vor die gefährlichste gehalten, die ihre Kranckheit nicht fühlen. Nun haben*

wir im vorigen Capitel gesagt, daß ein Mensch, der seine Begierden dæmpffen wolte, einen Vorsatz sich zu bessern, und eine rechtschaffene Attention *mitbringen müsse, und daß ihm diese kein Mensch geben kænne. Er selbst ist ja unmæglich geschickt dazu, indem es schwehr hergehet, daß er für sich erkenne, daß das, was ihn beherrschet, bæse sey. Weil das, was ihn beherrschet, bæse ist, und seinen Verstand einnehmet, daß derselbe solches vor gut hælt, wie will der Verstand die Kræffte kriegen, diß sein herrschendes Wesen anzufeinden.*

§. 290.

Cùm igitur homines & naturali §. 287. & morosô affectû, deliberatôque consilio non possint non afficiendi gratiæ ponere obicem, non possint non abhorrere ab iis rebus, quæ divinæ sunt, & à naturali appetitu remotiores: *quomodo tandem*, si omnes ex æquo resistunt, alii præ aliis *revocantur ad frugem? Aut habent aliquid in potestate sua, tum ipsi semet discernunt; Aut non habent quidquam, tum ad solum arbitrium DEi referentur omnia*, nec, quia omnes ex æquo obluctantur, in hominibus ratio discriminis erit, *cur alter novâ vitâ augeatur, alter non?*

§. 291.

Respondeo hîc cum formula concordiæ p. 671. *Etsi utrumque tum Concionatoris plantare & rigare, tum Auditoris currere & velle, frustra omnino essent, neque conversio sequeretur, nisi Spiritus S. virtus & operatio accederet, qui per verbum prædicatum & auditum corda illuminat, & convertit, ut homines verbo credere & assentiri possint: Tamen neque concionator, neque Auditor NB. de hac Spiritus S. gratia dubitare debent.*

bent. Quin potius uterque certo sciat, NB. si verbum DEi juxta mandatum & voluntatem DEi pure & sincere prædicatum fuerit, & NB. HOMINES DILIGENTER ET SERIO AUSCULTAVERINT, ILLUDQUE MEDITATI FUERINT, *certissime Dominum gratia sua præsentem adesse, & largiri ea, ut paulo ante dictum, quæ homo aliâs suis propriis viribus, neque accipere neque dare potest.*

§. 292.

A recto usu adminiculorum pædagogicorum ergo *pendet*, ut alterum divinæ gratiæ vis novâ vitâ animare possit, alterum non possit. Uti in naturali tua potestate est, librum quempiam legere, aut non legere; res eô traditas meditari, aut non meditari; ex Præceptore de earum recto sensu sciscitari, aut non sciscitari; meditationi per omnem vitam, quod facere debent, qui artem profitentur, inhærere aut non inhærere, negligentem, supinum, socordem, somnolentum esse: ita etiam *tuarum*, quas natura ingeneravit, *virium est, verbum DEI legere, audire, vel non legere & non audire*, meditari, non meditari, per omnem vitam in studium illius serium incumbere, vel non incumbere. Hoc omnem tuam capacitatem exhaurit, quam ad novæ mentis instaurationem conferre potes.

§. 293.

Quod si feceris, certissime institutum succedit, per §. 290. & ad novam vitam plantandam valebit. *Non succedet, quia electus est, sed, quia te hoc facturum libere, divina sagacitas* ab æterno *præsensit, ideo* ab æterno, ob concipiendam inde fidem, *electus es.* Resistes quidem & naturæ impetu, & affectu moro-

ſo; quæ tibi verbum exponet, valde moleſta ingrata, abſurda, & rejectanea videbuntur: Sæpe etiam deliberato conſilio, facies, quæ ab eo alieniſſima ſunt; *Tu contra pugnam proſequere*, idem verbum in æſtuantium affectuum undis ſubinde animo agita, Pſal. 119. v. 11. *fiet ſane, ut reſiſtendi conatus ſenſim tranquillet, gratiam ſuam pandat, Spiritum S. largiatur*, initium, progreſſum, & complementum *novæ vitæ tecum communicet*, manſuro te in omni negotio patiente, *immo viro refragante*, ut modo dixi, ſi ab hoc ſolo diſceſſeris, quod *nonniſi pædagagicum eſt*, quod tu verbum recte tractaveris.

§. 294.

Ex quo intelligitur, quid reſpondendum ſit dubio §. 287. allato. Si per gratiam, quâ fit, *ut non reſiſtas*, ſignificetur, ejusmodi efficacia, *ut tumultuantes affectus &* naturales, & adſcititii *compeſcantur*; §. 288. 289. *profecto ea à DEo eſt*, quanta quanta eſt, ſed per verbum: §. 293. at inde non ſequitur, gratiæ non poſſe reſiſti, per verbi neglectum. Quodſi verò per gratiam, *qua non reſiſtitur*, innuas ejusmodi divinam vim, *quâ ad ipſam verbi lectionem rapiaris, quâ non poſſis non duci ad ipſius meditationem, quâ vel invito verbi divini ſenſus obverſetur*, tum vero animum *pulſet, intret, occupet*, poſſeſſumque invictâ ratione, teneat: *fateor*, hoc ſenſu penes te ipſum eſſe, ut reſiſtas, & non reſiſtas, *ejusmodi gratiam*, ordinario curſu, (de ſingularibus DEI viis quæſtio non eſt) quâ ad ipſam lectionem S. Codicis, ad ipſum auditum vel obtorto collo rapiaris, *non dari, nec per ſapientiam divinam dari poſſe*. Solus igitur ille reſiſtendi

ſiſtendi conatus mortifer, & funeſtus eſt, ac diſcrimen credentium & non credentium parit, qui in neglectu adminiculorum gratiæ poni ſolet.

§. 295.

Nunc quæro quid in hac ſententia ſit, vel DEO indignum, vel homini nimis glorioſum? *An gratia peculiari quoque ad id egemus*, ut audiamus, meditemurque verbum, annon inſitum à natura eſt, ut res obvias poſſimus ponderare? *Omnes*, inquis, *verbum tractant, præſertim Theologi, nec tamen omnes revocantur ad divinam frugem.* Atqui hæc etiam culpa ipſorum eſt. *Tractant* utique, ſed *non dextre tractant. Sed ipſa tractatio*, pergis, *dextra à DEO eſt.* Si per dextram tractationem intelligas *ſanctos guſtus, quibus mens ex verbo aucta eſt:* Hebr. 6. v. 5. concedo eam à DEO proficiſci, ſed absque meæ cauſſæ detrimento: Sin per dextram tractationem ſignifices *intelligentiam clariſſimorum de fide & officiis Chriſtianis agentium oraculorum*, nego te eſſe audiendum; namque ejusmodi capacitatem in tractandis S. litteris naturæ viribus comparari poſſe, vel exemplo Theologorum impiorum agnoſcitur. Hi igitur ſi verbum ad ſe adplicarunt, ſi, gratiæ prævenientis ſtimulos, quos ex perveſtigato, ſuis viribus, quorundam oraculorum ſenſu, in animo habent, adhibita adtentione, ulterius progredi ſinerent (nam nonniſi in attento poteſt operari verbum, attentionem vero, cæteris paribus, in poteſtate noſtra ſitam novimus) ſi memoriam convictionum non ſupino neglectu dimitterent, niſi criticis potius, *polemicis*, *hiſtoricis*

verbi conſiderationibus indulgerent, quàm pra-cticis; profecto verbum vim ſuam exſereret, ſecutura certiſſime divinâ fruge: Sed tamen absque illorum auxilio vel minimo.

§. 296.

Non enim ex attentione, meditatione, lectione, quæ, ſi novæ vitæ locus concedendus ſit, requiruntur, magis ſequitur, nos illis internis animi conatibus vel tantillum ad cordis novi natales contuliſſe, quàm Moſes ad illud divinæ potentiæ ſpecimen contuliſſe quidquam dicendus eſt, quum ex percuſſa baculo rupe elicienda ſitientibus aqua fuit. Quidquid huic meæ ſententiæ §. 295. oppoſueris, probaturus: *derogari DEo gloriam, ſi, ad attentionem verbi meditationemque &c. debitam, gratia operetur*: id etiam opponi poteſt hiſtoriæ, quæ recenſet, *percuſſâ petrâ aquam ſecutam*. Animum ſubit: *vera ſi mea ſententia eſſet*, DEus determinaretur à verbi tractatione, quam nos ſuſcipiemus: Quid? ſi Scripturæ hoſtis tuum ratiocinium ſecutus, regereret? *Vera ſi de Moſe narrata hiſtoria foret, tum DEus pependiſſet ex baculo Moſis, quod eſt longe abſurdiſſimum.* Quidquid Empæctæ reſponderis, tibi eſto reſponſum. Inſtas: *Stante hac ſententia, eventus novæ vitæ, ejusdemque cœleſtis, ex naturali actione, lectionis, meditationis, quâ verbum tractatur, ſuſpenſus foret.* Sed audi Scripturæ hoſtem: *admiſſâ illâ de Moſe hiſtorâ, divina eademque naturam ſupergreſſa benignitas & efficacia, quæ ad potandos fatiſcentes pertinuit,* ſuſpenſa fuiſſet ex naturali motu manûs, quâ baculus petræ fuit alliſus. Pergis: *Quodſi locus huic ſententiæ detur, poteſt homo ſe ad novam vitam*

præparare, potest velle vivere: Sed cave ne simili acumine hostis illam historiam lacessat: *Quodsi vera essent, quæ de Mose memoriæ prodita, potuisset Moses præparationem adhibere, ac divina efficacia, baculi ictu, præbere aditum ad eliciendas aquas.*

§. 297.

Simillima est utriusque eventûs ratio. Eadem efficacia DEI, quæ ex petra aquam elicuit, mentem nobis indit novam. *Sed quemadmodum* Mose non unà agente, sed præsente duntaxat, *aqua fuit ex rupe scaturire jussa:* Sic &, nobis non in societatem operationis venientibus, nova plantatur vita: Sed ad præsentiam solum *illius meditationis, attentionis*, quâ circa verbum versamur, *in nobis DEus accendit vires divinas.* Nihil interest inter casum utrumque, nisi quod divina operatio extra Mosen in rupe se prodiderit, illo percutiente, hîc vero eadem se manifestat in homine, ut primum hic verbum legit, & meditatur. Sed hoc ejusmodi est, ut ad eludendum comparationis tertium nihil faciat.

§. 298.

Pelagium sapit, inquis, *hæc sententia*; sed falli te, §. 296. 279. probavi. *Id quod eousque credam, dum ostenderis, Mosen aliquid ad eliciendas ex petra aquas contulisse, quia rupem percusserit.* Ut autem intelligas, *quomodo divina efficacia omnis*, quæcunque ad res conditas foras prodire solet, determinetur, i. e. his, illisve *limitibus circumscribatur*, non ex parte DEI, sed ex parte ipsarum rerum, quas attingit; redeundum tibi erit in memoriam eorum, quæ §. 193. C. II, dicta sunt. Nimirum *tam in gratia* quam in *naturæ regno* vires DEI in

rebus determinantur, ac suis afficiuntur modis, per mutuos in Systemate nexus. DEus suas vires, nisi sibi ipse contrarius fingatur, determinare nequit. §. 194. C. II. *Quod si igitur gratia in uno effectum attingat, in altero non, ejus rei ratio semper ab hominis genio* gratiam limitante, *arcessenda est.* §. 196.

§. 299.

Nemo est, quin, si pædagogiam secuturus esset, gratiæ posset fieri compos, §. 79. C. I. *Sed cum alter altero lautiorem opportunitatem habeat*, ut v. g. Christiani respectu gentium; publica *etiam ejus rei* caussa, à Systemate ipso, non sola DEI *εὐδοκίᾳ*, petita est, & in *pœnarum necessitate, quas bonum publicum poscit*, ponitur. Itaque hæc necessitas gratiam DEI limitat. Sed *similis* etiam *caussa est*, ubi in eadem gratiæ abundantia duo exsistunt, quorum *alius* gratia afficitur, *alius non item.* In altero enim non affecto major socordia, torpor intolerabilior, gravior negligentia gratiam & ejus cursum ita definivisse intelligitur, ut plus ultra non migraverit, vid. hæc probata §. 195. seqq.

§. 300.

Jam demum solvi illud dubium potest, quod §. 283. occurrit. Cum ab æterno in Systemate A. §. 107. electuro Numini obversatus fuerit *hinc Johannes*, libere *pædagogia verbi usurus*, *illinc Judas* libere *eadem abusurus*; vel potius, ut omnem ambiguitatem effugiam, cùm in Systemate A. potuerit à DEO præstari *Johannes*, qui & posset, &, si Systema conderetur, vellet pædagogia uti; contra vero etiam exhiberi in eodem rerum ordine *Judas*,

qui

qui quidem posset, sed, si conderetur Systema, nollet pædagogia bene uti: accessit DEI decretum, ac hoc Systema olim existentium *numero destinavit, ut itaque ab æterno nunc futurum fuerit, quod ante decretum duntaxat possibile erat.* Sin igitur quæras, qui factum sit, *ut alter ordinem salutis electioni prævium ingredi potuerit, alter non?* Respondeo: uterque potuit sc. *pædagogice*, ut Moses elicere aquam ex petra. Si instes: cur alter voluerit, alter noluerit? Dico id esse ex ratione Systematis, ob rationem publicam, in gratiam proditoris, non mutandi. §. 225. seq. C. II. *Ex* Systemate enim libere *Proditor*, viso argento, *occasionem arripuit, deserendi Christum.* Quamvis forte in alio rerum ordine, si v. g. ipsi *Servator perpetuus* monitor accubuisset, si nunquam à se ad Pharisæos eum dimisisset, &c. *potuisset fieri, ut etiam*, quod noluit, voluisset. Sed quis tale Systema à DEO exigat, quod omnium *voluntati eliciendæ* attemperatum sit? cùm utique facultas pædagogiæ cumulatissime sufficiat.

§. 301.

Acris Adversarius, quæ §. anteced. dicuntur, sequentibus telis impugnat: *Quidquid in arbitrio hominis fuerit, quamobrem alius præ alio salutem consequatur, aut malum erit, aut indifferens, aut bonum. Sed cum neque malum esse possit à quo uno post universalem gratiam hominis solus pendet, neque etiam indifferens, ut sapienter Lutherus p. 73. demonstrat: nemo sanæ mentis illud, quod à nostro arbitrio præter gratiam ad nostram conversionem requiritur, non vere bonum existimaverit. Id igitur aut à gratia est, & sic sola*

N 5 gra-

gratia omnis in hominibus regenerandis aut non regenerandis discriminis caussa est : aut à libero arbitrio aliquid boni à libero hominis in peccatis adhuc mortui arbitrio proficisci posse volunt, quo alii præ aliis conversionem, fidem, salutem consequantur.

§. 302.

In hoc discursu multa sunt ambigua. Primo id, *quamobrem alius præ alio salutem consequatur*, significare potest, *usum adminiculorum pædagogiæ, conferre ad salutem aliquid* verè, cum tamen is se duntaxat ad gratiam ac salutem habeat, uti baculus Mosis petram percutientis, ad elicitam aquam. Vel, si mavis, *usus adminiculorum pædagogiæ* similis est, *ictibus, quibus terram feriebat Rex populi hebræi*, 2 Reg. 13. quos ictus victoria secuta, at non ex viribus eorum, sed naturam supergrediente efficacia DEI; tametsi ictus conditionis sine qua non fuisset secuta victoria, *titulo adpellandi siut.* Quod si vero ea phrasis (*alius præ alio salutem consequitur per aliquid quod in se habet*) *denotet hoc, pendere ab hominibus* gratiæ limitationem, ipsos mortales ex se habere aliquid, quô gratiæ affluentis instinctus *determinent, definiant*, MODIS circumscribant, ac distinguant; profecto absurdum non est, homines gratiam DEI limitare ac distinguere. Sicuti enim nulla limitatio, qua talis, à DEO est: §. 159. 160. 161. seqq. C. II. Si nec ea, qua vires divinæ, in plantando novo corde, determinantur. *Si, cur gratia aliter in* melancholico, *aliter in* cholerico, *aliter in* sanguineo *operetur, quæras, non suppetit responsio ulla quam hæc*, quia unius cujusque temperamenti natura & indoles divinam efficaciam

certis

certis modis affecit. Nam uti in organo Musico spirantis venti una eademque efficacia est, quæ demum tibiarum diversa capacitate ita determinatur, ut diversi soni excitari possint: *ita una eademque gratia*, tum ratione totius mundi, tum singulorum respectu, *per illa objecta determinatur, quibus afficiendis cœlo missa est.*

§. 303.

Ne hæc occasione tantum amœnæ similitudinis, ab organo petitæ musico, in mentem mihi venisse credas; eorum veritatem ex imis philosophiæ fundamentis firmari commonstrabo. Quæritur *cur & in universa terra locorum regionumque, quantum ad gratiæ lumen, magna varietas sit*: & in singulis, eodem gratiæ pulsu mactatis, effectûs discrimen ingens exsistat? Ratio non potest alia esse, quod pauci observarunt, quam generalis, & ex ipsa rerum *natura limitata* pendens. OMNIS DISTINCTIO REALIS ARGUIT ALTERUTRIUS, aut utriusque DISTINCTI NATURAM FINITAM.

§. 304.

Sine finibus ac limitatione *nulla* potest cogitari *res* distincta. Nam &, quod à DEO distinctum est, per suos limites distinctum est, quos si nullos haberet, *esset ipse DEus*, nec ab eo diversum. Finitum est, quod aliquibus tantum perfectionibus ornatur; infinitum est, cui omnes competunt, quotquot cogitari possunt. *Ab infinito igitur distinguitur* finitum per fines. *Post res ipsæ finitæ à se mutuo distant varietate limitum, quos aliæ* HOS *habent, aliæ* ALIOS. Nec quidquam potest ab alio esse diversum, nisi vel utrumque, vel alterutrum certe finitum sit. Vid. Jurisprud. Theol. §. 31. C. I, S. I.

§. 305.

§. 305.

Cum igitur nulla rerum distinctio esse queat, nisi per, & propter earum limites & fines; §. 303. 304. cùm propterea actio divina omnis infinita sit: sequitur, *non posse eam* ratione sui *termini & effectus varie distingui, nisi ob res finitas*, quarum *capacitas cùm naturalis, tum moralis* diversa, operationem DEI immensam, ex se, & in se non distinctam, *dividit & determinat*, sed secundum effectus, & vestigia, ut alia ab aliis discerni possint.

§. 306.

Dicam pressius: Gratia illa, quæ in Mundo pro hominibus emendandis operatur, aut distincta in se est, antequam (ordine rationis §. 174. not. * terminum, quo destinata est, i. e. homines diversæ indolis attingit; tum datur in DEO vis distincta in & per se, i. e. ex §. 304. limitata, finita; nam ubicunque una res non est altera, ibi intervenit *sive utrinque, sive ex altera parte*, limes, qui unà ab altera separat. Aut vero gratia DEI tum demum distincta esse cœptat, quum terminum attigit, ejusque ob diversam capacitatem varios effectus peperit; tum habemus quod volumus: *distinguitur unus ab altero, respectu novæ vitæ* hinc acceptæ, illinc non acceptæ, per & propter naturales suos limites, quibus uterque gratiam DEI excipit: dum alter *socordia, torpore gratiæ præsidiis urgentibus modum ponit* HUNC, *alter* ALIUM, *tertius vero meditatione, attentione*, assidua lectione verbi divini permittit, *ut gratia animi fines intret*, suis, nec hominum viribus omnia ea efficiat, quæ requiruntur, quoties nova vita plantanda est.

§. 307.

Qui aliter sentiunt, DEum finitum & à se ipso distinctum faciunt. Si dicas: *unde illud quod alius supina verbi tractatione obicem ponat? Habetne in sua potestate adtendere, meditari?* Quidni? vid. §.282. Instas; *ita demum proditur pestilentissima liberi arbitrii idololatria, damnata in Erasmo.* Apage illas argutias, quas jam confutavi. §.296. item 302. Tantum abest ut hâc DEO sententia quidquam gloriæ detrahatur, vel ut ob eam ex rebus conditis pendeat, quantum abest, ut ex iis pendeat, *si una eademque ejus immensa potentia in fabricando mundo* per varias res creatas, secundum effectus, *varie determinata fuerit, nec potuerit distincta fuisse, ante quam effectum attingeret.* Quod enim in prima creatione DEO non inglorium, idem nec erit in instauratione facta per Christum.

§. 308.

Capacitatem rerum (passivo sensu) quas DEI operatio afficit, duplicem *esse monui,* §. 305. moralem, & physicam. Illa est quædam rerum *schesis comparata ad bonum publicum civitatis Dei universæ,* de qua in Jurispr. Theol. C. II. S. I. *quâ* Schesi *efficitur, ut in quibusdam DEus* operari possit, *salvo bono publico, in quibusdam* non possit, nisi *violanda sit utilitas publica,* quæ pœnas ingratis infligendas esse, dictitat, ablata majori pædagogiæ opportunitate. (semper enim quædam opportunitas remanet etiam gentibus. vid. Cap. I. §. 79) Capacitas physica illa est, quâ DEus rem extra se non potest nisi finitam condere. §. 148. C. II. & in Systemate talibus præditam finibus, quos aliarum

coordinatarum rerum concursus permittit. §. 151.

C. II. EX HIS DUOBUS FONTIBUS OMNIS GRATIÆ DISTINCTIO MANAT.

§. 309.

Illa capacitas rerum, æternis abhinc spatiis, ante decretum omne, DEO obversata, illud SUUM constituit, quod justitia decreti subsequentis non potuit non respicere, ideoque adhuc possibilibus tantum rebus destinare, quod SUUM erat, i. e. *cujus erant capaces*. Si igitur Decretum DEI justum est, rationes objectivas, (fidem & perfidiam) quibus capacitas salutis continetur, non potest non invenire prævias.

§. 310.

Mea sententiâ justitia, definitione genetica, explicari potest ac debet per AMOREM UTILITATIS PUBLICÆ. Variat igitur justitia pro discrimine utilitatum publicarum. *Justum in civitate est. quod civitati publicæ conducit*, quod plerumque leges in ea definiunt. *Justum lege* naturali dicitur *quod ad bonum publicum ipsius generis humani* UT SOCIATI pertinet. Namque *pacta servari, bellis non necessariis alias gentes non lacessi, amicitiam inter populos coli, interest totius generis humani.* quod maximam in hoc globo terraqueo societatem constituit, cujus finis est publica omnium populorum pax & amicitia.

§. 311.

Justitia vero DEI est *perfectissimus & immensus amor utilitatis publicæ & maximæ*, quæ ad societatem, quâ omnes Spiritus in Cœlo ac terra copulantur, (copulari vero, ex eodem proposito gloriæ divinæ scopo patet) *referenda est*. Hinc *justitia Christi* est idem boni *hujus* publici *à nobis per peccata violati*,

violati, amor, quatenus patiendo & agendo cumulatissime pensavit illud *detrimentum*, quod nos peccando intulimus Civitati divinæ.

§. 312.

Si itaque, quod Adversarii concedunt, electionis decretum non solum ut exsequendum, *sed & ut formandum* justum dici potest ac debet, i. e. *amore boni publici conceptum*, §. 310 tum *in Johannem* v. g. *non potuit tendere*, *nisi* prævia jam cognitione repræsentatum, ut publice utilem, qualis non spectari potuit sine fide. Nam *ut fide destituti peccare*, Rom. 14. v. 23. ideoque *publica noxæ*, esse *intelligimur*.

§. 313.

Si dixeris, Johannem demum AD fidem, non IN ea electum, *fidem esse electionis decreto, ordine rationis, posteriorem*: id perinde est, ac si palam præ te ferres: *Johannem electum*, AD *utilitatem publicam* non IN *ea*, *decretum* igitur ipsum, idque *primum*, *non fuisse justum, quia potuerit cooptare hominem* ut fide destitutum, i. e. ut adhuc publicam noxam, ideoque *alterum* duntaxat *decretum*, de exsequendo priori formatum, quô fidei exsequutio destinata sit, justum demum ac solum fuisse, quæ omnia ejusmodi sunt, ut cum divinæ justitiæ gloria conciliari nequeant.

§. 314.

Si DEUS eligere potest hominem UT adhuc fide destitutum, tum etiam cooptare ut adhuc publice damnosum: Sed qui publice damnosa eligit, justus non est, verum injustus; DEus ergo, cum justus sit, in omni decreto, semper & perfectissime,

ctiſſime, non poteſt homini ſalutem deſtinare, niſi quà ſpectatur, *tanquam publice utilis*, quod ſine fide fieri nequit. Nullum hîc effugium patet, niſi, ut cauſſeris, *DEum decernendo aliquid publice bonum poſſe præſtare*; Sed id adverſatur primis philoſophiæ fundamentis, quæ dudum jeci. §. 120.

§. 315.

Pergimus ad ſapientiam DEI, oſtenſuri, etiam ex ipſius notione non poſſe non rationes objectivas, i. e. fidem, electioni prævias, judicari. Sapientiæ ideam nonnulli talem forment, ut exiſtiment, *eſſe perfectionem divinam, quâ ſubordinet adminicula finibus*, quos æquipollenti arbitrio ſibi propoſuerit. Quæ definitio, ſi probata eſt, triumphat utique Adverſariorum ſententia. *Omnis ſapientia in æquipollentem DEi voluntatem reſolvetur*, quæ poterit HOS aut ILLOS fines, *ſine ulla ratione objectiva eligere*, tum demum ſapientiæ interventu inquirere vias, quæ ad illos fines perducunt. Quodſi igitur DEO viſum fuerit, ALIOS fines, arbitrio liberrimo, *deſtinare, ac* NUNC quidem *deſtinati* ſunt; ſapiens poſſet eſſe DEI ſpecimen, quod, HIS *electis finibus*, non eſt. *Sapientia igitur*, ſtante hac definitione, *nihil aliud eſt, quam promtitudo ſe attemperandi ad voluntatis arbitrium in deligendis finibus, ut hi certis adminiculis attingantur.*

§. 316.

Hæc ſapientiæ notio multis modis ſpuria ac rejectanea eſt. Cui, ſi locus concedatur, primo ſapiens aliquid erit, quia voluntas hos fines cœco caſu (nondum enim hîc ſapientia regnat) adprobat, quibus hæc adminicula prudenter inſervire poſſunt: non autem viciſſim voluntas *hos fines ratos habebit*, *quia*

quia & ipsi fines, non saltim adminicula, *sapienter contemperata cernuntur.* Secundo: Qui sapientiam ita describit, ut fines ipsos ab æquipollenti arbitrio destinandos censeat, nec sapientia ullibi inserviat, nisi finium, per certa adminicula, exsequutioni: is fateatur, necesse est, *posse DEum, non offensa sapientia, etiam quoscunque scopos, vel sibi ipsi contrarios, præfigere, tum demum sapientissime his consequendis dispicere de mediorum opportunitate. Si id fieri posse neget, nec voluntaem æquipollentem credat in destinandis finibus*; si cujus rei rationem in eo delectu habendam confirmet; habemus quod volumus, *nimirum ipsi etiam finium destinationi sapientia præstruenda erit*; itaque non hîc intercurrit æquipollens DEI arbitrium; itaque definitio allegata spuria est.

§. 317.

Consentiunt hæc ratiocinia cum primis philosophiæ axiomatis, quibus exploratum est, §. 120. seqq. *non ideo quidquam bonitatis aut sapientiæ specimen esse, quod DEus ita æquipollenti arbitrio velit*, id quod hâc definitione admissa sequeretur; *Sed ideo velle DEum aliquid, quod sapientiæ & bonitatis specimen sit.* Hæc adeo evidentia sunt, ut mirum lectoribus videri possit, quare tam solicita opera injungantur: nec tamen non certum est, *totum Systema electionis, obiectivis rationibus soluta, niti his sapientiæ ideis*, si secundum ima spectetur fundamenta.

§. 318.

Sapientia igitur per me est *summa DEI perfectio, qua res, quàm fieri potest, accuratissime ordinat*, per antecedentia, & consequentia, per media & fines, *ut semper ex alteris rebus ratio reddi*

possit, quamobrem altera ita ordinata. Per sapientiam igitur fieri non potest, ut res extra omne Systema, §. 145. vel eligantur, vel in existentium Theatro sistantur.

§. 319.

Ex definitione hac intelligitur, *cum res* in existendo *tantum à voluntate pendeant, cæterà vero ut* possibiles, ut vario ordine præstabiles *ante decretum DEO fuerint obversata*, prius aliquid debere, ut sapienter ordinatum, concipi, quam quidem destinatio divina accedat. *Nihil* enim *DEus vult, nisi* quod jam ante possibile & ordinatum est, illinc per potentiam, hinc per sapientiam.

§. 320.

Quod cum ita sit, in formando electionis decreto Johannes v. g. non potuit aliter DEO obversari, quam in certo ad salutem ordine, qui solâ fide continetur. Si extra eum ordinem spectatus fuisset, quî potuisset decretum esse sapiens? *Nam cum* non solum *decretum de* salute exsequenda, sed & primo omnium adjudicanda *sapiens esse*, fatentibus adversariis, *debeat*, i. e. tale, quod versatum fuerit, *circa res*, quà jam in ordine locabiles: sane Johannes à DEO spectatus fuit tanquam in quodam salutis ordine, qui nullus alius esse potest, quam fides.

§. 321.

Qui putant DEum primo de eligendo Johanne consilium agitasse, tum (ordine rationis, non durationis) successisse alterum consilium de electione per Christum expedienda, *illi primum illud consilium à sapientia separant*, factis, etiamsi verbis *in*

omni

omni decreto semper sapientiam DEI deprædicent. Nam si vel maxime plura decreta statuas, cùm tamen meo arbitrio, etiam ordine rationis, nonnisi unicum sit; §.279. not. * tamen etiam primum illud decretum sapientia vacuum esse non poterit; versabitur ergo circa eligendos, ut in ordine constitutos; *nam sine* ordine *sapientiam fingere, est Montem sive valle concipere*, quod procul omni dubio absurdum. Qui igitur DEO primum decreturo, ut in ordine salutis positus, obversatus est, is sine dubio non AD fidem, sed IN fide est electus. Aliter sapientia tantum attingeret secundum decretum, non primum. uti §. 313.

§. 322.

Ad extremum etiam sanctitatis facienda mentio est. Sunt qui hanc DEI perfectionem ita explicant: *Sanctitas divina non est nisi absolutissimus amor, quô DEus se ipsum, & perfectiones suas, constantissime prosequitur. Quodsi igitur fieri posset, ut in æternis omnium creaturarum miseriis suo huic amori consuleret sanctissimum Numen, non* posset *tantum, sed* deberet *etiam velle æternas omnium creaturarum miserias.* Bona est hæc definitio, si recte intelligatur, sed ambiguô tamen sensu fecundam esse, vel ex eo corollario intelligitur, quod ex ea Auctor derivavit.

§. 323.

Primo quidem hâc definitione nulla traditur notio explicatior. Cùm enim sanctitas amor adpelletur DEI erga suas ipsius perfectiones, *ut intelligas*, quid sanctitatis idea comprehendat, *ulterius investigato opus est*, quæ, & quales sint perfectiones

O 2 illæ,

illæ, quas DEus tantopere amat? Nam si id ignores, *quodlibet etiam detestabile factum sanctissimum dici poterit*, dummodo cui in mentem veniat, DEum hoc fecisse, ut amorem sui significet.

§. 324.

Illi Auctores, quibus hæc definitio, *ob hypothesin absolutæ electionis* arridet, reliquas DEI perfectiones ita describunt, ut tandem omnis perfectionum divinarum vis resolvatur in æquipollentem DEI voluntatem. En argumentum! *Sanctus*, inquiunt, *Deus est, quia suas perfectiones constantissimè amat* §. 322. Quæ sunt perfectiones illæ adeo deamatæ? Sapientia, justitia, potentia. Quid est Sapientia, quæso ex onas, ut intelligam, quid DEus tantopere amet? *Sapientia*, inquiunt, *est virtus, quâ adminicula parat ad fines* voluntate æquipollenti *destinatos*. Sanctus igitur DEus est, quum sapientiam amat i. e. eam virtutem, quæ exsequitur, quod *voluntas æquipollens* elegit. §. 315.

§. 325.

Quid est justitia DEI? Respondent illi: *est perfectio, quâ DEus sibi tribuit, quod debet, omnia autem sibi debet*. §. 259. An etiam ea sibi debet, quæ & nos alii aliis debemus, v. g. salutem meditari omnium? &c. Non. Unde igitur nôsti, qualia sint ea, quæ DEus sibi debet? *Ea DEus sibi debet, quæ fiunt in hoc mundo*. Atqui fiunt etiam mala. *Nobis tantum sunt mala, DEo non sunt, sufficit DEum velle fieri*. Justitia igitur est ea virtus, *quâ DEus sibi omnia tribuit, quæ debet*, i. e. quæcunque vult. Inde rursus intelligitur: Quid sanctitas sit? est amor harum perfectionum, v. g. sapientiæ, & justitiæ.

i. e. talium virtutum, quibus eligit quod vult, quibus facit, quod sibi debet, i. e, quod vult. Auditum admissi risum teneatis, amici!

§. 326.

Totus ergo perfectionum DEI moralium complexus, si hos Auctores audias est voluntas. Huic nihil præstruitur, hanc nihil præcedit, nullum bonum, nullum malum, quidquid DEus vult, bonum, quidquid aversatur eô ipsô malum fit. Etiamsi in progressu aliter loquuntur, &, methodo Principiis non consentaneâ, ad veriorem sententiam postliminiò redeant: tamen illa sunt ejusmodi, ut substrata sint opinioni, de electione objectivis rationibus vacua, quam impugnamus.

§. 327.

Si divina sanctitas est amor Numinis erga eas perfectiones, *quibus agere potest, & eligere, quod sibi debet*, i. e. quod vult. §. 325. nihil tam scelestum cogitari poterit, quod non subitanea metamorphosi DEus possit præstare sanctum. Quippe ultimum sanctitatis fundamentum resolvitur tandem in voluntatem. Sancta erit blasphemia, *si DEus velit*, sanctum adulterium, furtum, reliqua, *si DEus velit*. *Non est*, inquis, *hæc nostra mens*, *perinde ac si Deus ea, quæ sibi contraria sunt*, volendo *sancta reddere possit*, *largimur ultro*, (*) *Sancta etiam illa esse, quæ nullo pacto à DEI voluntate pendent*. Ago gratias pro responsione, quam elicere volui. Nam ex ea elucet, *illas perfectiones*, quas DEus, ut sanctas, *amat*, *multo aliter explicandas esse*, & solicite cavendum, *ne series definitionum talis struatur*, *quarum*

extrema puncta in solam voluntatem cadant. Uti factum §. 324. 325. quod sæpe confutatum est.

(*) Solide eruditus Batavus: *Hæc quum ita sint, mirum est Viro cuidam erudito hoc dictum allubescere*: A voluntate DEI non solum res ipsæ sunt: verum etiam omnis rei modus, veritas, ordo, lex, bonitas, neque ulla objecti bonitas eam movere, vel isti præstrui potest. *Certum equidem est voluntati DEi non posse mensuram aliquam, aut regulam poni, ab aliquo, quod extra DEum sit: id enim primitati ipsius repugnat. Aliquid tamen concipi potest ac debet ex ipso DEo & intrinsecis ejus perfectionibus fluens, quod actui divinæ voluntatis præstruatur, nec ideo bonum sit, quia DEus id vult, sed quod DEus vult, quia bonum est; v. g amor DEi ut summi boni. Et præpostere res digerunt, qui sanctitatem DEi in eo duntaxat faciunt consistere, quod actiones ejus exacte cum ejus voluntate conveniant.* Quæ voluntas, *inquiunt*, omnis etiam sanctitatis regula est. *Ex adverso sanctitas DEi naturalis, ut voluntate ejus prior concipi debet: & potius voluntatis regula est, quam ad voluntatis regulam exigenda. Est enim ea DEi sanctitas perfectionum divinarum candidissima puritas, juxta quam ut perfectissimæ rationi conveniens est, Vult & operatur. Hac, quam impugnamus sententia discrimen omne inter moralia, quæ vocant, & positiva præcepta tollitur, & refoditur vetus Archelai paradoxum;* τὸ δίκαιον εἶναι καὶ τὸ αἰσχρὸν οὐ φύσει ἀλλὰ νόμῳ.

§. 328.

Divinam sanctitatem superioribus paginis diximus esse §. 111. *consummatissimam promtitudinem adprobandi non solum* OMNE (in quo benignitas ponitur) *sed &* SOLUM *bonum, ideoque improbandi, quod* non bonum, i. e. quod mali indolem habet. Bonum vero & malum intelligun-

tur

tur ex notionibus illis, quibus & homines ſani malum & bonum metiuntur. Id enim in evolvendis divinarum perfectionum ideis officii eſt. per §. 272.

§. 329.

Nunc diſpiciamus, an hæc definitio non illa labe infecta ſit, quam reprehendimus ipſi in aliis, §. 324. 325. i.e. an etiam in ſolam voluntatem æquipollentem poſſit reſolvi? Non equidem puto. *Bonum,* ob cujus SOLIUS amorem Ter Sanctus in ſacris DEus vocatur, *eſt rerum*, quæ à DEO præſtari poſſunt, *mutuus conſenſus*, ex §. 112. Sic bona phyſica ſunt, quoniam cum noſtra conſervatione, *bona moralia*, *quòd* cum lege, ſeu ejus fundamento, i. e. publica utilitate conſentiunt. Atqui nullum bonum à mera DEI & æqui pollenti voluntate pendet. §. 112. Itaque nec divina ſanctitas voluntatem ſequitur, verum præcedit. Recte igitur à ſuo deſcribitur objecto.

§. 330.

Quod cum ita ſit, evolutâ ſanctitatis ideâ, examinabimus, *an electio æterna* ſancta *eſſe poſſit*, & tamen *à rationibus* objectivis liberà? Aut Deus eligendi Johannem præ Juda rationes habuit ſanctas, aut non habuit: habuiſſe vel ſanctas, vel ſanctitati adverſas, quin negaturus ſis, nullus dubito: *habuit ergo*, quia ita placet, ſanctas, &, quoniam electio ad ſingularem Johannis perſonam relata eſt, habuit cœleſte Numen ſanctas rationes, quæ individuo nexu *Joannem reſpiciebant*, Quodſi eſt, bonum fuit, in hoc ſingulari rerum *concurſu*, in quo Johannes erat, eum præ Juda eligit. Nec ea bonitas potuit tantum decreto exſequendo ſubſtrata

esse, ne unum & solum hoc decretum sanctum sit; primum vero illud, quod ad *destinandam* salutem pertinebat, minus sanctum habeatur.

§. 331.

Omnis sanctitas præstruit bonum extra voluntatem, i. e. in objecto ejus. per §. 237. C. II. Jam vero vel ipsum primum DEI decretum pro destinanda Johanni salute sanctum esse debuit, quod conceditur: §. 330. itaque *aliquid* possibile bonum *ab æterno* in Johanne *prævisum* Voluntas DEI nunc electura invenit, & quidem tale bonum, quod in Juda non fuit, aliter in similibus casibus simile fuisset de utroque formatum decretum. Non est hîc effugio ulli locus, Si dixeris: *hâc stante sententiâ decretum Dei pendere à rebus extra se possibilibus*, falleris; nam & illud ipsum bonum in Johanne ideo bonum erat, quia per DEI potentiam, sed in certo ordine, sapienter præstari poterat. Debebat igitur DEus sibi, ut eligeret Johannem Sancte, i. e. nonnisi ideo, *quia in his singularibus conditionibus melius erat eligi, quam non eligi.*

§. 332.

Quando igitur *voluntas* SANCTE, i. e. nonnisi propter bonum eligit Johannem, *consentanea agit potentiæ & sapientiæ*, quibus bonum omne possibile est, tantum abest, ut à re extra se pendeat, *ut potius* IPSA RES, quam ob bonum, i. e. sancte eligit, *ab ipso pendeat*, adeoque DEus electionem talem in gratiam sui ipsius suscipiat.

§. 333.

Noli cogitare, *hac stante sententia non amplius βέβαιος mansuram electionem, posse enim, eam sequendo,*

dari

dari expeditam rationem, quare alter præ altero eligatur, quod fieri tamen posse Paulus neget, Rom. 9. & 11. Nam aut id ipsum βάθος est, & omni humano captu superius: utrum electio divina sanctas habuerit rationes, nec ne? *tum* sane *non est* posthæc *amplius* SANCTA vocanda electio, sed potius profitendum, *ignorari à nobis, sanctene an secus, electi simus? esse* in eo ipso *mysterium*: aut exploratum habemus, *non destitui sanctis rationibus illud decretum*; sane in eo βάθος non est quærendum, quòd aliquid boni in Johanne electioni prævium spectatum fuerit, id enim notio sanctitatis indicat; Sed Paulinum istud βάθος in alia sublimi administratione collocandum est,

§. 334.

Ex axiomate sufficientis rationis alibi probatum est, *electioni non posse non præstructas fuisse rationes objectivas.* Quoniam vero doctissimi viri id silentio prætermiserunt, cum animum ad refutandam hanc nostram sententiam appellerent, cujus tamen robur non infimum in illo axiomate situm est: videntur hîc quædem de eo inserenda esse.

§. 335.

Ratio est id, *ex quo intelligitur, cur aliquid sit potius, quam non sit, sit hac potius, quam alia natura præditum. Sufficiens* dicimus nonnihil, *prout* sæpe observatum est, *quô positô, nihil amplius requiritur ad id, ut res intelligatur, vel fiat.* Si quid sine ratione sufficienti *posset fieri, tum & posset evenire partim, ut nec DEus*, ne dicam alii, intelligerent, *quare eveniret*; partim posset fieri ita, ut tamen plura requirerentur ad id, ut fieret. Quæ cum contradi-

ctioni ſint obnoxia; *manifeſtum eſt, nihil fieri ſine ſufficienti ratione.*

§. 336.

Determinare h. l. dicimus indicare differentiam, quâ aliud ab alio diſtat. Nam cum ea differre à ſe mutuo arbitremur, *in quorum altero eſt, quod alterum non habet:* Sequitur, *non poſſe dari duas res, duos eventus, nedum plures, quorum alter ſit alteri perfecte ſimilis*, ita ut in uno ſint omnia ex æquo, quæcunque reperiuntur in altero. Nam tametſi dicas, *poſſe tamen duas res perfecte eſſe ſimiles, dummodo adhuc maneant* numero *diſtincta*; tamen parum proficies. Nam ille numerus, quô duas res diſtingui fingis, vel eſt *numerus* numerans, i. e. idea abſtracta, cui nihil ex objecto diſtinctionis reſpondet, ut, ſi decreta numeras divina, quæ tamen revera nonniſi UNO continentur; ut ſi in mathematicis monadum poſſibilium ſubducis calculum, quæ tamen monades non ſunt, niſi UNA, quæ radix eſt numeri *ſæpius cogitando repetita*; tum ſane non differunt res extra te, quæ revera plures eſſent, ſolo *numero*; ſed potiùs ideæ tuæ varia ſucceſſione multitudinem modorum cogitandi pariunt, in quibus tamen ipſis non omnia ſimilia ſunt, ut ex te ipſo cognoſces: vel numerus ille, quo duas res diſtingui poſſe putas, numeratus eſt, tum oportet quidpiam eſſe, quod in altera ſit, in altera non ſit. Si id neges, ſi nihil præſto eſſe dicas, *quo aliam ab alia diſcernere poſſis*; cur pro duabus venditas? nam quæ non diſcernimus, eo ipſo quia non diſtinguimus, habemus pro uno. *Numerus numeratus*, i. e. qui ad res ipſas, vel nobis non cogitantibus diſtinctas,

appli-

applicatus est, distinctionis indicium eô ipsô esse non potest, quia applicatio illa ficta est, quamdiu in rebus ipsis nihil discernimus.

§. 337.

Valde subtilis est hic discursus, sed fundamentum tamen præbet axiomati gravissimo in materia de electione magnopere necessario. Determinata ratio ex præmissis nunc appellari debet illa, ex qua rei alicujus differentia à cæteris intelligitur. Quia non possunt esse duæ, nedum plures res, quin una continuo aliquid habeat, quod in altera deest, sequitur determinatas rerum rationes nos nondum perspectas habere quum cognovimus tantum, *cur duæ res sint, cur duo eventus existant*, non autem, cur ita differant.

§. 338.

Cum generatim nihil fiat absque sufficienti ratione, §. 335. sane rerum etiam differentiæ ipsæ rationibus certis continebuntur: i. e. per §. 337. CUJUSLIBET EVENTUS DISTINCTI, i. e. qui aliquid habet, quod in altero deest per § 336. DABITUR DETERMINATA RATIO. i. e. talis, ex qua intelligatur, cur hanc differentiam habeat, per quam ab aliis distat.

§. 339.

Elegit Johannem DEus, Judam reprobavit, Distinctus hic eventus est, erit igitur in altero, quod alter non habet, per 336. & utriusque præsto esse debet ratio determinata, §. 338. si non à nobis, certe tamen à DEO cognoscenda. In eo adhuc unanimis omnium consensus est. De illo autem disputatur, *sintne rationes illæ eligendi determinatæ, ab objecto eligendo petitæ, nec ne?*

§ 340

§. 340.

Rationes objectivæ desumuntur ab eligendo §. 237. subjectivæ à mera *eligentis εὐδοκίᾳ.* §. cit. Objectivæ rationes semper arguunt potentiam, sapientiam ac justitiam eligentis: Nam quid est eligendus, quam talis homo, quem ab æterno potentia DEI & benignitas in certo fatorum ordine collocare potuit, ut *non solum* valeret, *sed etiam* vellet pædagogiam sequi? quid est reprobandus, quam ejusmodi mortalis, quem eadem potentia, & benignitas, æternis retro spatiis, in variis quidem fatorum ordinibus sistere potuisset, ubi & valuisset & voluisset pædagogiam sequi, *sed* sapienter *non nisi ei ordini inserere potuit*, in quo quidem valuisset pædagogiam sequi, NON autem ob morositatem voluit? Quoties igitur in eligendo sapientiæ, justitiæ mentio fit, tanquam rationis, ob quam illud decretum formatum, toties conceduntur rationes ab eligendo sumtæ. i. e. objectivæ. quod supra demonstratum. Cap. hoc toto.

§. 341.

Ut primum voluntas electura sapientiam & potentiam, justitiamque sequi dicitur, eo ipso significatur, voluntatem se attemperare ad id, quod illæ perfectiones ad hominem eligendum præstare sapienter, in certo ordine, possint, aut non possint. Quod in esset, plane DEus posset in electione sapientia, & potentia carere. Hæ enim perfectiones decretum præcurrere, & ejus objectum constituere debent. Potentia *præstat*, ut homo possibilis ab æterno fuerit; Sapientia, ut in certo ordine locabilis, ex illa sortiatur aliquid, quod

SUUM

SUUM est; Justitia *curam gerit*, ut hoc ipsi per decretum adjudicetur. *Aut igitur potentia, sapientia, justitia electionem non præcedunt, tum electio non habet objectum, quod eligi potest; aut vero præcedunt, tum, si DEus sapienter, juste eligit, rationes objectivas in decreto respicit.* Sæpe hæc dixi, sed multo sæpius, quamvis sint summe necessaria, omittuntur.

§. 345.

Progrediamur nunc ad quæstionem principem, Oportet esse rationem determinatam, *cur evenerit, ut præ Juda fuerit electus Johannes.* §. 338. Si eam in sapientia & justitia quæsiverimus, cademus caussâ; per §. 341. neque enim DEus juste v. g. Johannem eligere potest, nisi tribuat eligendo quod SUUM est, i. e. salutem quæ conformitatem cum donando habeat, quæ conformitas non potest aliud quidquam esse, quam fides. Si vero eam determinatam rationem in sola DEI εὐδοκίᾳ seu voluntatis beneplacito quæsiverimus, *rationem quidem inveniemus* electionis, *sed non determinatam*, quà electio Johannis, à decreto circa Judam formato, differt.

§. 343.

Quid est DEI εὐδοκία? *est summa DEI potestas hoc aut illud agendi, reprobandi hunc, eligendi illum. Sed nos non quærimus*, cur utrumque fieri possit. *verùm potius*, quæ sit ratio differentiæ alterius præ altero. Ἐυδοκία perinde semet habet ad reprobandum & eligendum, opus igitur est ratione determinata, ut differentiam illam intelligas, quare DEI voluntas, quæ ad utrumque parata erat, in alterutram se partem moverit.

§. 344.

Voluntas in se considerata est indifferens, i. e. via

i. e. vis minus determinata, nisi sapientia & reliquæ perfectiones eam ex æquilibrio prodire jubeant. Jam, *sæpe dixi*, quod minus determinatum est, ratio determinata cujusquam determinati eventûs esse nequit. per 338. Si determinatam rationem extra DEI εὐδοκίαν in sapientia vel justitia inveniri putas, transis ad castra nostra, & electionis rationes objectivas admittis, quod intelligitur ex §. 341.

§. 103.

Voluntas, inquis, *ipsa est vis determinandi, quodsi igitur alium, præ alio eligit, ratio illius differentiæ singularis ulterior non inquirenda est*. Adverte quæso ad vocum, quibus uteris, definitiones, *Difficultatem meam* non solvis, sed ob solvis. Dicis? ab ipsa volunrate electionem determinari. *Quid est determinare?* est constituere accuratius differentiam rei à re. *Quid est voluntas?* vis indifferens, agendi. & non agendi, eligendi hunc, eligendi illum. Jam quomodo potest id, quod indifferens est, constituere differentiam? Perinde est, quod respondisti, ac si id, quod adhuc nullum rerum differentiæ fontem in se haberet, tamen fontem illius discriminis haberet.

§. 346.

In eo vis posita est voluntatis, ut fontem differentiæ rerum in se habeat, ideoque possit discrepantia Johannis & Judæ fata decernere. Ambigue loqueris, *utrumque factum est à voluntate* DEI, sed utriusque differentia an etiam à tali voluntate oriri potuit, quæ per se indifferens, i.e. quæ utriusque differentiam in se non habet? *Voluit* DEus utrumque fatum, sed cur voluit utrumque differens?

Id

Id non poteſt eſſe à voluntate indifferente, acceſſerit oportet alia ratio, quæ εὐδοκίᾳ ſeu voluntati divinæ hoc fatorum diſcrimen ſuaſerit. (*)

(*) Pertinent huc verba celebris Scriptoris: *Voluntatis eſſentia conſiſtit in conatu agendi, igitur recte quidem ratio actionis repetitur ex voluntate. Cur hoc facio? quia habeo conatum id faciendi non impeditum, h. e. quoniam volo ſerio. Sed cur volo? Cur habeo conatum hoc faciendi? An volo, quia volo? h. e an habeo conatum faciendi, quia habeo? Volo, quia placet,* inquis. *Recte, & non recte, prout voci ſenſum tribuis. Volo, i. e. habeo conatum ambulandi, quia placet, i. e. quia videtur ſub præſentibus circumſtantiis bonum. Concedo, te recte reſpondiſſe; allegaſti enim rationem volendi ex repræſentatione prævia, ſic decet! Volo ambulare, h. e. habeo conatum ambulandi, quia placet, h. e. quia ſtat pro ratione voluntas, i. e. quia cum poſſim habere alios conatus, habeo hunc potius quàm alium. Quid dixiſti? Non ſane rationem volendi audio, ſed negationem rationis, & poſitionem tamen actionis tanquam ex ratione profluentis. Volo, quia volo? Volitio* inquis, *ipſa eſt ratio volitionis meæ. Patere ut aliquid requiram. Aut volitio, quæ ratio eſt, diſtincta eſt à volitione, cujus ratio eſt, ut adeo habeam volitionem A, & ejus rationem B, hoc ſenſu: volo velle; hôc quæro cur velis velle? An iterum quia vis, quousque? Aut eadem ſibi ipſi volitio eſt ratio ſui ipſius? hoc ſenſu: volo actionem hanc potius quàm iſtam; Volitio hæc mea procedit ex aliqua ſui ratione, ex qua intelligi poteſt, cur ſic potius velim, quam aliter; illa autem hujus meæ volitionis ratio eſt ipſa hæc mea volitio. Vereor, ut pauci accedant huic analyſi, &c.*

§. 347.

Quæ in præcedenti nota propununtur, facile applicari poſſunt ad DEum. Voluntas DEi, & εὐδοκία ejus, vel decretum, habent ſe *ut indifferens ad determinatum.* Sit determinatum B. an poteſt rationem

inyenire

invenire in parum determinato H. i. e. in voluntate? Vel an B. est ratio sui ipsius ? i. e. An DEus sic decernit, quia sic decernit? Atqui hoc non est rationem reddere, sed id repetere, cujus ratio reddenda est. Oportet vero nihil fiat, sine determinata ratione. per 338. Itaque si in sola DEI εὐδοκίᾳ subsistas, non datur electionis tam diversæ determinata ratio.

§. 348.

Novi, quid heic tibi succurrat? Una bipenni omnia hæc mea ratiocinia dissecare potes. *Relegas me ad βάθος; nostrum non esse, curiosius scrutari vias DEI; rationes illius εὐδοκίας olim manifestandas; nec nos decere, ut præmatura temeritate consiliorum DEI causas pervestigemus: non obstringi te ad præbendam mihi responsionem, ea nimirum audacter sciscitato, quæ in hac mortali vita nemo explorare queat.*

§. 349.

Atqui non scrutatus sum justo curiosius viarum DEI rationes, nec, ut mihi eas aperires, à te flagitavi; Sed, quoniam tu rationem IN SOLA DEI εὐδοκίᾳ temet invenisse credis, trahendo huc scripturæ oracula, quæ non trahenda sunt: dedi operam, ut tibi ostenderem, tuam rationem esse nullam, *quia non sit determinata*, qualis esse deberet. ex §. 338. Quocunque nimia curiositate delatus fui, Te Duce, delatus fui, persequebar enim, ratione minus determinatâ Te præeuntem.

§. 108.

Hoc ipsum, inquis est, *quod volo: Non habemus ulteriorem rationem electionis divinæ cognitam, quàm hanc minus determinatam*, i. e. εὐδοκίαν. Sed an DEus illam determinatam novit? *Novit utique.*

Atqui

Atqui clarissimæ de voluntate divina notiones, quas non possumus judicare falsas, §. 343. seq. satis nos docent, *tametsi determinatæ illæ rationes eligendi adhuc obscurissimæ maneant*, non posse tamen eas in sola εὐδοκίᾳ esse collocatas. per §. 346. seq. Id ad te oppugnandum sufficit. Non erat igitur caussæ quidquam, cur semper meos ictus dissimulares, qui revera ferierunt. Nam in sola εὐδοκίᾳ ratio eligendi à te quærenda est, quodsi extra illam prodieris, ad sapientiam, justitiam, &c. caussa cecidisti. §. 341. Sapientia enim & potentia electionis objectum constituunt. §. 340. ita ut electio sapientiam sequi nequeat, quin unà objectivas rationes inveniat præstructas.

§. 351.

Restat unicum effugium. *Posse tamen in sola DEI εὐδοκίᾳ electionis rationem determinatam esse sitam. Nam quamvis clarissimæ ideæ nobis persuadere videantur*, indifferentem voluntatem *solam non posse fatorum Johannis & Judæ* differentiam *præstituere; tamen adtribuendum nostræ imbecillitati. Suo demum tempore omnia revelanda.* Solet tibi evenire, quod in æstu, mari accidit, ut versus unam plagam ita exundet, ut alteram ex adversa relinquat siccam. Sceptici possunt tua responsione abuti. Nam si vel clarissimæ ideæ, quæ nos convincunt, in indifferenti *divina voluntate sola non posse rationem esse* differentiæ *fatorum, quæ Johanni & Judæ destinabantur ab æterno*, tamen nos fallere possunt, ita, ut quod nobis contradictioni obnoxium videtur, verum sit, *sc. minus determinatum, posse esse rationem determinati*: tum profecto decipere nos etiam cla-

rissimæ ideæ possunt, quibus persuademur, impossibilia esse, *quæ contradictionem involvant*, quibus erudimur, *bis duo esse quatuor*: forte in voluntate divina (ita enim Cartesius & Poiret judicant) longe aliter hæc determinata esse possunt, quamvis, quî id fieri possit, rationi nostræ adversetur.

§. 352.

Cui responsioni si locus concedatur, nihil tam evidens, nihil tam perspicuum erit, de quo non suspicari liceat, *esse id forsan in DEi voluntate aliter determinatum, videri duntaxat imbecillæ nostræ rationi ita, intimam naturam rerum esse nobis ignotam, suo tempore omnia aliter manifestanda.* Verum enim vero hanc respondendi viam, quâ tanta dubitandi occasio præbetur, ego nunquam inibo.

§. 353.

Claudo hoc caput observatione sequenti: Si sola εὐδοκία ratio electionis est, *nec eam ordine rationis præcurrit consideratio hominis omni respectu tanquam* qui creari, labi, & inde iterum in salutis ordine ab æterno collocari potuit: Tum plura decreta comminiscenda sunt his respectibus respondentia, si non ordine temporis, certe tamen ordine rationis sibi succedentia. Atqui unicum duntaxat dari, etiam hoc sensu, patet ex §. 205. §. 272. not. * hujus Cap. E. Quid? quod, si DEO hominem sine fide primum eligenti obversatum doceas, consiliis DEI abstractiones, sub diversis respectibus, diversis decretis, hominem tractandi, affinxeris, quod divina Majestate indignum est, *quæ omnia*, omni respectu, & uno nutu, *destinat*.

SECTIO

SECTIO II.

QUA VIRORUM DOCTISSIMORUM DUBIA DILUUNTUR.

§. 354.

CLarissimus Hottingerus Tigurinus Professor, eruditione, modestiâ, pietate, judicio inter multos alios insignis, hanc, quam tradidimus, de rationibus objectivis, electioni præviis, sententiam, nuper demum impugnavit, uno paragrapho illius dissertationis, quam de prædestinatione inscripsit, quæque Anno 1730. prodiit, respondente *Gesnero*, assumente *Bullingero*, Ubi pag. 25. 26. verba ita habent, â me hîc & recensenda integra, ne quid eorum valori decedere videatur, & modeste, prout par est cum TANTO VIRO agere, examinanda.

§. 355.

Doctissimus Vir, inquit, ubi pelagianæ sapientiæ prius hanc sententiam accusavit, *qui Philosophiæ Leibnitianæ & Wolffianæ usum* in Theologia ostendere voluit: pag. 418. scribit: Reformatos sibi videri βάθος Paulinum invenisse, sine ratione objectiva, (electioni prævia,) in sola DEI voluntate. At hoc βάθος non tantum non comprehendi, sed ne concipi quidem posse, utpote quod ratione sufficienti eademque determinata careat. Quale βάθος Evangelico Lutheranis tribuit? habet id rationem determinatam: concipi potest, comprehendi licet & intelligendo exhauriri non possit; obscurum quidem secundum rationes speciales, non verô universales. Hæc ille. Ita est, Reformati nullam rationem objectivam electioni præviam agnoscûnt. Negant, DEum in objecto eligendo, convertendo,

&c. prævidisse quicquam, quod eum moverit ad hunc ab alio distinguendum, & propter quod iste præ illo amari & eligi meruerit, sed causam electionis unicam esse DEI εὐδοκίαν. Cæterum DEo non defuisse rationes, cur hoc non alio modo ageret, nullo modo dubitamus. Verum cùm conceptus rei sit vel distinctus, solidus, realis: vel confusus, imaginarius, vagus & vanus: distinctus quidem ille est, qui rei ex principiis, ex quibus ea cognoscitur; respondet. Cùm autem de electione nihil nobis, nisi ex revelatione divina constet: revelatio vero nihil tradat de fide eligendorum prævisa: quin, quia eligendus erat homo in peccatis mortuus, iste ut planè ad fidem DEO habendam ineptus, imo ut rebellis DEO eligenti obversabatur: Denique cum DEus misereri possit cujus vult, etiam indigni: conceptus electionis, distinctus ille est, qui eam ab una DEI εὐδοκίᾳ derivat. Qui eam à prævisione fidei arcessit, locum habere nequit. Fides & bona opera Spiritu S. Act. 13, 48. Ephes. 1.4. teste, decretum electionis ingrediuntur, non ut eam antecedant, & ut caussa DEum ad hunc vel illum eligendum movens, sed ut electionis consequens, & ut fructus illius, ut beneficium à DEO eis destinatum, quos elegit. Elegit non eos qui crediderunt, sed ut crederent. Ait quidem V. D. hujusmodi βάθος ratione sufficienti & determinata carere. An verò quod DEI εὐδοκία libertima & sapientissima voluntate nititur, ratione sufficienti & determinata caret? Asserit, decretum electionis ut ab Evangelico-Lutheranis concipitur, obscurum esse secundum rationes speciales, non generales: Petrum exclusis aliis servari, quòd convenientius fuerit, id fieri ob fidem hominis

hominis hîc & nunc, in his circumstantiis præ aliis collocati conceptam, quam cæteri neglexerint. Atqui cùm fides non alia sit nisi fides in Christum, quæ Ephes. 4. v. 5. una dicitur, nescio cur hæc electionis, & discretionis unius individui ab alio caussa generalis, non specialis dicatur? Porro si hæc fides prævisa caussa fuit electionis, cur Apostolus dicit, cognitionem qua DEus novit quos, & cur hos, non alios servate velit, profunditatem esse imperscrutabilem? An consilium de singulis individuis, generale: vel consilium, cujus rationes evidentes sunt, imperscrutabile dici meretur? Denique illa sive fides sive opera (eadem enim hactenus illius & horum ratio) quorum prævisio DEum movisse dicitur, ut Petrum præ Juda eligeret, num à DEI beneficio, an à libera hominum voluntate, congrua dispositione, &c. manat? Si à DEI beneficio, nulla electionis dabitur ratio objectiva. Christi caro non sine objectiva ratione & tamen beneficium. Si hominis fœtus est, Pelagio & Semipelagianis applaudendum, rejiciendus Paulus, 1. Cor. 4. v. 7. negans, esse in homine quidpiam, quo unus ab alio in consilio & foro Divino discernatur: negans etiam quemquam habere in se aliquid, quod non acceperit, de quo gloriari possit, & propter quod ab alio discretus fuerit. Quodsi verò scapham scapham appellare liceat, qui sibi fidem, opera &c. arrogant, quicunque illi sint, divitias DEI, plenam rationem cur DEus alios amarit, alios odio habuerit reddentes, judiciorum Dei imperscrutabilitatem: media salutis ab hominis voluntate, dispositione, in aliis aliisque circumstantiis collocatione suspendentes, viarum DEI impenetrabilitatem tollunt; DEum autem & à consilio & à

merito hominis, voluntatis ſuæ munere DEO prærogantis, præveniri. Et quia ab homine ſtabit, ut ſi non poſſit, ſaltim (ut) velit, ipſe operetur, neque ex DEO, neque per DEUM, neque ad DEum omnia erunt, ſed ſalutis gloriæ ad hominem redibit: qui homo ſi nolit, omnia quæ DEUS faciet & volet, fruſtra erunt.

§. 356.

Primo Vir Doctiſſimus omnes illas ſententias, quotquot rationes objectivas electioni prævias admittunt, odioſo Pelagianæ ſapientiæ titulo notat. Si quidquam Vir celeberrimus ex Pelagiana Hæreſi afferre poterit, quod cum noſtris conſentiat placitis, cedemus arena. Quæ fuerit Pelagii ſententia omnium nervoſiſſime Auguſtinus, Pelagii Adverſarius, cujus ego fidem, quippe cum Evangelicis hæreſeos hujus poſtulatus, ſequi non obſtrictus eſſem, docet ſequentibus verbis.

§. 357.

Tria ſunt ut ſcitis, quæ maxime adverſus eos (Pelagianos) *Catholica defendit Eccleſia; quorum unum eſt, gratiam DEi non ſecundum merita noſtra dari, quoniam DEi dona ſunt, & DEi gratia etiam conferuntur merita univerſa juſtorum. Alterum eſt in quantacunque juſtitia ſine qualibuscunque peccatis in hoc corruptibili corpore neminem vivere. Tertium eſt obnoxium naſci hominem peccato primi hominis, & vinculo damnationis obſtrictum, niſi reatus, qui generatione contrahitur, regeneratione ſolvatur.* (*)

(*) Vid. Auguſtinus Libr. de dono perſever. Cap. 2.

§. 358.

Primus igitur Pelagii error *in opinione meriti*; alter *in perfectæ ſanctitatis arrogantia*; *extremus denique*

que in culpa hereditaria negatione positus fuit. Nemo vero unquam audivit, propterea accusatum istum hominem erroris esse, quod in fide nos electos censuerit. Auxilio DEI ad virtutem Christianam colendam nos non indigere, deliravit Pelagius, de quo ita Augustinus: (*) *Quod possumus omne bonum facere, dicere, cogitare, illius est, qui hoc posse adjuvat; quod vero bene agimus vel loquimur vel cogitamus, nostrum est.* Item: *quod loqui possumus DEi est, quod vero bene vel male loquimur, nostrum est.* Hæc profecto ejusmodi sunt, ut nobis nullo pacto imputari queant, qui hominem in peccatis mortuum, cum sacro codice, tota mente pronuntiamus. *Nam adminicula pædagogiæ sequi aut non sequi posse*, ut affirmes, non magis Pelagianum est, quam si doceas, suis hominem viribus posse pandectas juris civilis, aut codicem legere, & meditari.

(*) Vid. August. Libr. de gratia Cap. 4.

§. 359.

Augustinus in libro de gratia, referente Norisio. (*) demonstrat, *Pelagium nominetenus Christi gratiam adstruere, neque illum à libero arbitrio, lege, doctrina evangelica, aut exemplo Christi distinguere, solam possibilitatem juxta hæreticam, non vero reapse virtutum actus donari; dari illam ex meritis, & ad hoc ut facilius tantum pravis suggestionibus resistamus; varia deinde testimonia, quæ ex editis abs se libellis Pelagius in gratiæ commendationem producit, Augustinus ventilat, quantumque fraudis subsit, exponit. &c.*

(*) Notis: Hist. Pel. p. 60. C. 15.

§. 360.

Nihil horum omnium ad nos pertinet. Et si vel unum ex Pelagio testimonium, vel ex antiquitate

documentum Vir celeberrimus allegare possit, quo intelligatur, *damnatam in homine fuisse sententiam de objectivis rationibus, electioni prævias*, haud inviti erroris culpam gestabimus. Aliud est operum merita æternæ electioni substernere, aliud fidem in Christum. Prius notatum in Pelagio est, haudquaquam posterius.

§. 361.

Celeberrimus Anglus (*) errores Pelagii his verbis describit: *De gratia nec idem semper sensit nec dixit. Primitus omnia naturæ tribuebat. Postea à Catholicis convictus, mutato nomine, sententiam tamen non mutavit. Per gratiam enim potentiam naturæ, à DEo creatæ scil. rationalem voluntatem intellexit. Gratiam Christi nihil aliud esse voluit, quam doctrinam ejus & exemplum: omniaque virtutis officia ipsa etiam pœnitentiæ & ad DEum conversionis primordia à nobis sine particulari auxilio divino impleri posse; adeo ut si gratia divina admittenda sit, inter utilia solummodo non autem necessaria numerandam esse. Liberum arbitrium eousque ampliavit, ut hominem sine peccato vivere posse, totique DEi legi ad amussim satisfacere censeret. Homines plerosque saltim, non gratiæ divinæ beneficio, sed propter operum suorum merita justificari, &c. &c.*

(*) Guilielm. Cave Hist. Litter. p. 244. edit. 1720.

§. 362.

Sed forte ex Semipelagianismo nostra aliquid sententia tradit. Forte ex quarta, octava, decimave sexta *parte Pelagiana est nostra doctrina.* Quousque placeat Pelagianismi nomen significatu exporrectum, equidem nescio. Interim, non, quo, *tu sensu, vocabulo utaris, sed an ejus nominis impositio ex antiqui-*

tate

tate probari, & veritati afflicta, errorem indicare possit? maxime quæritur. Accipe, Vir celeberrime! calamo defuncti scriptoris, quocum & tibi olim pugna intercessit, sententiam eorum, qui fidem (rationem objectivam) electioni substernunt, atque tecum constitue, numquid aliquid trahat ex fece Pelagianismi?

§. 363.

Errores, inquit beatus Scriptor, *in hac materia vitandi sunt. Pelagianismus, Semipelagianismus, Synergismus. Pelagiani concipiunt hominem in sui conversione tanquam sanum, & proinde viribus naturæ totum conversionis opus adscribunt. Semipelagiani, Massilienses dicti, ut ægrotum, & saltim initium conversionis viribus naturæ tribuunt, quemadmodum homo ægrotus, se quidem aliquo modo, sed languide, movere potest, & propterea aliorum ope indiget: quæ & Pontificiorum mens est. Synergistæ vero tanquam Semimortuum, unde initium quidem conversionis soli gratiæ, progressum vero viribus naturalibus per gratiam adjutis tribuunt.* NB. *Orthodoxi autem cum scriptura eum plane in peccato mortuum esse Ephes. 2. v. 1. adeoque ad ultimum usque fidei collatæ instans passive se habere, nec quicquam gratiæ ad sui conversionem cooperari docent.* An, qui ita sentit, etiamsi fidem (rationem objectivam) electioni præviam esse doceat, Pelagianismi odioso titulo notari potest?

§. 364.

Verba nostra citata à Viro summo hæc sunt: *Scribit, Reformatos sibi videri βάθος Paulinum invenisse sine ratione objectiva (electioni prævia)* in *sola DEi voluntate. At hoc βάθος non tantum non comprehendi, sed ne concipi quidem posse, ut pote quod ratione*

sufficiente, eademque determinata careat. Quale βάθος Evangelico-Lutheranis tribuit? habet id rationem determinatam: concipi potest, comprehendi licet, & intelligendo exhauriri non possit.

§. 365.

Nihil optatius mihi potuisset obtingere, quam si Viro celebri visum fuisset, exponere, quo sensu illam meam τȣ̃ βάθεος utramque partium distinctionem adprobare aut improbare consultum sit? Quo facto, occasio ipsi nata fuisset, βάθος, quod tantopere urgetur, cum sua sententia conferendi, ac inde judicandi, *utra doctrina, Evangelicorum, an Reformatorum, βάθος DEO dignius statuat*, Apostolique oraculum rectius declaret? Quod cum facere Vir Summus omiserit, meum est, *quod βάθος fictum aut verum sit*, exponere paulo distinctius.

§. 366.

Βάθος procul omni dubio est veritas, quam exploratam habemus secundum quæstionem: AN SIT? *nequaquam vero secundum quæstionem:* QUOMODO. Id exemplo Trinitatis constat, in cujus doctrina βάθος inesse, nemo Christianorum, si à sola Socinianorum impietate discesseris, negaverit unquam. Novimus QUOD SIT Personarum in una DEi natura Ternio, ignoramus autem QUOMODO? Quod si Sacro Sanctus ille Personarum Ternio cum axiomate philosophico collideretur, quod non tantum physicæ, sed geometricæ etiam necessitatis veritate commendaretur; sane & ipsa quæstio: AN SIT? neganda foret, nec illud plane βάθος esset hîc admittendum.

§. 367.

Nam etsi istud quidem mysterium omni nostra ratione

ratione sublimius exsistat, non est tamen ejusmodi ut veritati manifestæ adversetur. *Aliter veritas veritati esset contraria,* & ipsa ἀσύστατα non minus atque ἀκατάληπτα vera esse possent. Ipsi celebres Viri, quorum sententiam hîc examino, negant, βάθος esse posse, cujus ideam, quo minus formes, saltim secundum quæstionem AN? contradictione impediaris. Verba cujusdam eruditissimi & modestissimi hæc sunt:

§. 368.

Fateor plurima esse cum in natura, tum in revelatione, quæ perfecte non comprehendamus; Verum illa non statim ἀσύστατα, seu contradictoria dicenda sunt. Omnia quidem contradictoria sunt incomprehensibilia; sed non vicissim omnia incomprehensibilia sunt contradictoria. Multa profecto comprehendi nequeunt, vel quod eorum natura captum nostrum superet, ut ea quæ pertinent ad infinitum; *vel quod* rem *quidem sciamus, sed* modum *ignoremus; vel quod* rerum caussæ *nos lateant: vel quod eas* non satis *expenderimus; vel ob alia plura ejusmodi. Sed inter illa non semper repugnantiam videmus, tantum abest, ut pro meris ἀσυστάτοις, seu contradictoriis, haberi debeant.*

§. 369.

Verbis hæc præcurrentibus dubium removet Vir Doctus: *Frustra hîc exciperetur,* rationem humanam in rebus ejusmodi audiendam non esse, *sed fidei, quæ docet, subjiciendam. Nam (præterquam quod nunquam probabitur.* NB. *fidem ἀσύστατα illa docere, siquidem Scripturæ verba alium sensum manifesto fundunt, ut ex natura rei & circumstantiis omnibus patet) certe si rationi credendum non sit, dum hæc ἀσύστατα nobis indicat, dumque docet,*

illa

illa stare non posse, multo minus ei credetur, in iis argumentis, quæ suadere videntur, rationi, his in rebus credendum non esse. Etenim multum abest, quo minus argumenta illa æque evidentia sint, ac evidens est, ἀσύστατα credi non posse.

§. 370.

Itaque ex doctissimorum Dissentientium consensu ipso *βάθος, quod concipi nequit*, i. e. quod *contradictioni est involutum*, nullum & fictitium jure merito habetur. Mea quidem sententia ipsum S. S. *Trinitatis mysterium* rationes in DEO ejusque infinita natura objectivas habet, forte aperiendas ubi in altera collocati fuerimus vita. Nempe ex immensa suæ Divinitatis oceano DEUS intelliget, *cur eadem natura* tribus personis *sit distincta, idemque cernet rationes*, quomodo *non solum fieri possit, ut in una natura tres subsistant personarum characteres; sed* QUOD *etiam necessarium sit, nec plures, nec pauciores dari quam* TRES. Quodsi id DEUS non intelligeret, vel si nos certissime intelligeremus, *id nunquam intelligi à quoquam posse*; Personarum Ternio ἀσύστατος & contradictione implicatus foret, quod vel cogitatu nefas est.

§. 371.

Non pendet igitur, meô judiciô, Personarum Ternio à ratione tali, quam non possumus non minus determinatam agnoscere; qualis ratio v. g. est voluntas indifferens; cur enim non plures aut pauciores personas illa præstaret, eam ipsam ob caussam, quòd indifferens est? sed ab infinita DEI natura, quà tali, quam sicuti ignoramus, quâ potissimum ratione pro numero personarum ternario determinata

nata sit; in eo ipso enim latet mysterium: Ita tamen nec negandum est, latere in ea rationes, pro determinato trium personarum numero, omnino determinatas.

§. 372.

Cautum igitur est, ubi *βάθος* locum habet, ex uno latere, ne id involvatur contradictione, sed rationibus naturæ rerum consentaneis, i. e. objectivis, nobis secundum specialia ignotis, derivetur. Nam *quidquid* idearum *contradictione non impeditur*, *id est* possibile, id potest secundum speciales possibiles conditiones, easdemque determinatas, intelligi, *si non* à nobis, *certe tamen à* DEO. Ex altero latere videndum est, ne quid esse *βάθος* credamus, quod ita apertum, ita manifestum est, ut cumprimum ejus rationem allegaveris, NIHIL AMPLIUS SUPERSIT ET SECUNDUM QUÆSTIONEM *ὅτι* & *διότι* SECUNDUM GENERALIA ET SPECIALIA, QUOD EXPLICARI MEREATUR.

§. 373.

Quibus ita præmissis, dispiciendum est: *an, quod Dnn. Dissentientes pro βάθει habent, iis characteribus distinguatur, quos* sinistrorsum ac dextrorsum *requiri diximus?* §. 372. Affirmant viri docti, *solâ DEI εὐδοκίᾳ, nec ullis rationibus objectivis electionis βάθος contineri:* Sed id contradictioni obnoxium esse, indicavi obiter. §. 347. Nunc ostendam idem curatius. Voluntas DEI est suprema perfectio, quæ sine differentia, *ad agendum & non agendum* parata est, ad decernendum hôc, & alio modo. *Quodsi* igitur *divina circa* Johannem

desti-

destinatio, quatenus differt *à destinatione circa* Judam, exclusis sapientiæ, & justitiæ respectibus, quippe qui hinc arceri debent, ne Adversarii caussa cadant, §. 340. 341. *à voluntate DEI pendet, tum id, quod sine* differentia *ad agendum ac non agendum paratum concipitur*, differentiam *continet, cur potius agatur, quàm non agatur, id quod est contradictorium.* Illud igitur βάθος quod in sola DEI εὐδοκίᾳ ponitur impossibile est, ideoque ex ipsa dissentientium decisione §. 369. non credendum.

§. 374.

In decreto circa Johannem & Judam, *si fatum utrinque adjudicatum spectes, ingens est* differentia. Nec tamen non uterque Johannes & Judas simili *conditione* DEO eligenti est obversatus, nempe ut Rebellis uterque. Itaque *DEus* simillimos dissimillimo modo tractavit. Aut igitur *Veritas*, i.e. consensus judicii ac decreti cum rebus §. 357. not. *: *in DEO non est veritas, i.e. decretum DEI potest* dissimile *esse circa* res simillimas, *quod est contradictioni obnoxium: aut veritas à decreto pendet, ut eo ipso*, quia DEUS simillimos dissimili modo tractare vult, *dissensus ille inter decretum & res obversatas tollatur*, tum manifesto in Poireti castra transitur §. 115. not. *. quo ipso fundamentum Scepticismi jacitur, *nam & contradictione implicata vera fieri possunt*, dummodo DEUS velit. §. 351. Nihil igitur certi remanebit, cujus veritas non DEI voluntate, quæ βάθος est, possit mutari.

§. 375.

Perfectio & bonitas est rerum inter se consen-

sus

ſus. §. 249. Perfectiſſimus igitur DEUS eſt, quoniam non ſolum ejus *judicia* cum natura ipſius, & rebus poſſibilibus per ipſum, ab æterno *conſentiunt*; ſed quia etiam *decreta* ejus *conformantur* cum ipſius *exactiſſimo judicio. DEUS ergo fata Johannis & Judæ ab æterno diſpenſaturus judicat*, utrumque ex æquo ſempiternis pœnis dignum; *obverſatur enim uterque DEO ut rebellis. At diſſentit ab hoc judicio voluntas præferens* alteri alterum, ſine cogitatione differentiæ in objecto; *perfectiſſimus igitur imperfectione* i.e. diſſenſu judicii & voluntatis laborat. *Quæ eſt contradictio, ſi hæc non eſt?* An hoc non eſt comminiſci circulum quadratum, Montem ſine valle, nigram albedinem, album nigrorem? Utor verbis diſſentientium.

§. 376.

Pœna dignus eſt, quem DEus punitum vult. Nam ut primum Chriſto inſerti ſpectamur, pœna ſublata intelligitur, nec DEUS velle cogitatur pœnam. Atqui primum DEO eligenti homo obverſatur ut rebellis, pœna dignus, quem punire vult, & quidem extra Chriſtum, quippe AD QUEM demum póſt eligitur, *itaque in illa prima electione DEus hominem extra Chriſtum punire vult, & tamen extra Chriſtum punire non vult.* Quæ eſt contradictio, ſi hæc non eſt? *Diverſus*, inquis, *reſpectus contradictionis umbram aufert. Ut rebellem punire vult, ut eligendum non vult.* Diverſa video vocabula, non diverſos reſpectus, aut ſignificatus. Loquere cum ideis. *Sic enim tui Symmyſtæ jubent.* (*) Dicis, *velle Deum pœnam*, ut rebelli irrogandam, non autem ut eligendo. Quid eſt eligendus? eſt is, quem DEus

DEus volet non punitum ob ſua peccata. Subſtitutâ in vices tui verbi hâc definitione, hoc dixiſti: *Deus ut rebelli vult pœnam irrogatam, non autem vult, quatenus volet non irrogari.* Auditum admiſſi riſum teneatis, Amici! *Diſtingue tempora*, inquis, *& concordabit DEi via. Vult DEus rebellem, v. g. Johannem, quem ab æterno ut talem vidit, punitum factâ electione, non amplius vult.* Sed pace tua dixero, relinquis difficultatem, non aufers. Nam quomodo facta electione potuit noluiſſe, quod ante voluerat: An ita DEus in poteſtate voluntatem ſuam habet, ut repente absque ratione nolle poſſit, quod ante voluit? Aut an idem ſimul velle & nolle poteſt eodem reſpectu?

* Joh. Alphonſ. Turretin. in diſſert. an contrad. poſſint credi? §. 11. quem & ſupra §. 368. 369. citavi: *Ergo, ut aliquid proprie atque vere credere dicamur, non ſatis eſt, ut ſoni ſenſu vacui copulentur, eaque affirmentur, quæ nullam ideam in mente excitent. Oportet ut ſciamus, quid dicamus; ſeu quod idem eſt, oportet, ut prolatis verbis ideæ quædam menti noſtræ obverſentur, quarum unam cum altera connectamus, ac de illa affirmemus: ut, cum dicimus, parietem eſſe album, ſcimus quid ſit paries, ſcimus quid ſit albedo, ac proinde non voces tantum, ſed res ipſas, ſeu ideas, de ſe invicem vere ac proprie affirmamus.*

§. 377.

In eo, inquis, *ſumma divinæ miſericordiæ vis poſita eſt, ut immerentes, qui pœna digni ſunt, ſua faciat dilectione dignos*, Id perinde eſt, ac ſi diceres, *quos ab æterno* noluit amare, *eos poſthac* voluit, nulla alia cauſſa, quam quia voluit. *An igitur quidquam*, pergis, *DEum potuit movere, ut hominem eligeret?* Nullum potuit meritum movere, *concedo*, nulla ratio objectiva, *nego*. Omne meritum

quidem

quidem eſt ratio objectiva; ſed non omnis objectiva ratio meritum eſt. *Si DEus hominem ob rationem objectivam eligit, movetur ſemetipſo*, i. e. iis rebus quas eligendo, æternis retro ſpatiis, in certo ſalutis ordine, ſapienter ingenerare potuit. Breviter: *movet* MERITUM *Chriſti*, cujus applicatio præviſa, hæc autem eſt DIVINA actio.

§. 378.

Electionis βάθος ex uno latere defectu laborare, & contradictione implicatum eſſe, ſi Diſſentientium quidem more, in SOLA DEI εὐδοκίᾳ, excluſis objectivis rationibus, ponatur, hactenus commonſtratum eſt. Nunc oſtendendum, *ſi hanc ſententiam ſequamur*, PLANE βάθος omne tolli & *in apertiſſimam reſolvi cauſſam*. Si nexum hujus βάθεος i. e. electionis, quam Diſſentientes docent, cum voluntate DEI ipſa conſideraveris, contradictionis errore non poteſt exſolvi, quod cauſſa minus determinata, (voluntas) determinati eventus ratio eſſe nequit. per §. 337. Si ipſam vero εὐδοκίαν in ſe, non adtento illo nexu, reſpexeris; nulla clarior, nulla evidentior, nulla à βάθει quovis alienior ratio allegari poteſt, quam hæc: Ita DEUS VULT.

§. 379.

Miraris forte ſententiæ meæ novitatem, eamque probatam videre diſcupis. Sed nihil facilius erit, quam tibi facere, quod ſatis eſt, eo ipſo, quoniam DEI εὐδοκία ratio ſine βάθει eſt. Nemo mortalium exſiſtit, quin ex ſe ipſo clariſſime cognoſcat, quid rerum in ſe agatur, *quum in aliquid volendo fertur*. Nemo eſt, quin præclare ex ſe ipſo intelligat, quæ & quanta illa ratio ſit: ITA REGI PLA-

CET. An, talibus de DEO pronuntiatis, obſcurum eſſe putas, quid ſit illud: SIC DEO VISUM eſt?

§. 380.

Nunc parum aberit, quin me ſis ineptientem judicaturus, tacita animi cogitatione. Sed nondum TOTAM inſpeximus LITEM. Regeres: *Non eſt in eo βάθος, quod ita viſum DEO fuerit, Johannem eligere, præ Juda, quid enim ſit, velle aliquid, aut eligere, noſtra ipſorum edocemur conſcientia; ſed in eo impervestigabiles DEi viæ ſunt. ſi quæras:* CUR ITA PLACUERIT DEO, CUR IPSI ITA FUERIT VISUM? Conſilium profecto exſequeris meum, idipſum reſpondendo, quod ut reſponderes, prioribus verbis operam dedi. Si βάθος divinæ Electionis eſt in illis rationibus poſitum, quibus voluntas commota elegit *ſi non referendum eſt ad ipſam εὐδοκίαν, ſed ad ejus rationem:* quæritur, *numquid in* ipſa voluntate *illa ratio voluntatis, ſeu* in ipſa *εὐδοκίᾳ ratio εὐδοκίας ſit, an vero* EXTRA *voluntatem* IN RE, *quæ DEI voluntatem præcurrit?* Si prius affirmes, βάθος ipſum tollitur. Namque nihil minus βάθος eſt, quàm ſi quærenti, *cur aliquid factum?* reſpondere poſſis: *quia ita placuit.* Et urgenti: *Cur ita placuerit*, iterum regeras: *quia ita placuit.* Eo ipſo enim exhauritur omnis rationum ſeries, & attingitur ultima, non minus clariſſima quam prior, utraque enim hæc eſt. PLACUIT. cur? quia placuit, cur hoc? quia PLACUIT. In eo autem, ut ad rationum ultimam pervenire ſeriem poſſis, nullius βάθεος character quærendus. per §. 273

§ 381.

Si autem cauſſeris, βάθεος *rationes & impervestigabiles*

gabiles vias esse EXTRA *meram εὐδοκίαν quærendas*, habeo quod volo. Si *consideres* eligentem voluntatem, & electum hominem; quæso, si ab εὐδοκίᾳ discesseris, quippe quæ sui ratio esse nequit, §. 380. quid extra εὐδοκίαν est, quod illius ratio esse possit, *quàm* ipse eligendus. Itaque βάθος, si quod est, in rationibus objectivis situm est. In sola εὐδοκίᾳ collocari nequit.

§. 382.

Præclare intelligo, quô effugiô usurus sis? Dices, *non diffitemur, rationes illas quæ βάθος efficiunt, extra voluntatem DEI in objectis forte quærendas; sed eo ipsô, quod βάθει continentur, nobis sunt ignota, neque ideo ad fidem, vel ejusmodi rationem referenda.* Hanc responsionem lubens amplector, eamque in rem meam verto. Primo enim ex manu tua extorsi maximum telum, quô adversus me pugnas: Si rationes eligendi objectivæ forent, futurum fuisset, ut DEum aliquid extra se moverit. Hoc, inquam, telum nunc dimittis nec amplius *metuis, ne, concessis rationibus objectivis, DEus in eligendo, modis indignis, aliunde dependeat.* Secundo si rationes illæ voluntatis εὐδοκίαν præcurrentes, quæ βάθος constituunt, ignotæ tibi sunt: uti tuum erit, cavere, ne FIDEM inter eas esse affirmes, ita non minus dare operam, *ne* FIDEM ex illarum numero *esse neges.* Nam quæcunque occulta sunt, ea in neutram partem definienda à quoquam sunt. Sicuti v. g. nec affirmandum mihi, nec negandum est, *utrum Salomo Rex fuerit consecutus salutem?* est enim quæstio ab UNO decidenda Numine, nobis non pervia nec solubilis: ita nec tibi negandum est, fi-

dem ex eis rationibus objectivis esse, quas concedis, & in quarum ignorantia βάθος jacere existimas.

§. 383.

Ex his intelligitur, βάθος quod in sola εὐδοκίᾳ quæritur, *aut nullum esse*, §. 379. *aut contradictioni obnoxium*, §. 373. 374. 375. 376. *aut rationibus objectivis nixum*, neque aliter veritatem βάθεος defendi posse, quàm si cum nostra facias sententia, quâ rationes objectivæ stabiliuntur.

§. 384.

At enim vero, inquis, *si electio prævia fide formata est, quam in objectivis rationibus numerandam esse constat, tum βάθος cessabit, nihil enim proclivius est, quam ut ex fide cognoscatur, quare homini ab æterno adjudicata sit salus?* Vellem, ut hic ad meam responsionem Viri Doctissimi adcuratissime animum adpellerent suum. Semper miratus fui, quare Auctores tam celebrati infinitam rationum seriem, quâ tanquam nullo tempore emetiendâ, electionis & salutis fundamentum continetur, ita ignotam statuerint, ut ne primum quidem ejus articulum, quem fides repræsentat, certam & exploratam electionis rationem esse, concedant. Quasi totum βάθος tolleretur, si vel unus occultatum seriierum articulus luci expositus foret. Neque enim OMNIA mihi ex viis DEI *plana* & pervia *sunt*, *tametsi viarum* CAPUT nôrim, & perspectum habeam, *non aliter posse hominem sive* ELIGI, *sive* SERVARI, *nisi sit* FIDE *mactatus*. Infinita *adhuc restant*, in æterna demum vita cognitioni reservata, ut mox dicemus.

§. 385.

Illud mihi dubium, quod à *divino* βάθει desumunt, *quod ex ipsorum sententia tolleretur, si* FIDES

ele-

electionis ratio foret, non aliter videtur formatum, ac si quis rerum naturalium curiosis scrutatoribus dicam scribere vellet, *quoties venti rationem* physicam *in sublato aëris aequilibrio positam esse scribunt*. Nam cum Servator aliquod naturæ *mysterium* in eo versari prodiderit, Joh. 3. v. 8. & haud præ se tulerit obscure, *ventorum quidem sibilo nostras tangi aures, origines vero eorum, & oras quorsum illi spirent, occultas esse*: Posset eodem jure, quo Dissentientes nos, Physicos nonemo contemtûs, adversus Christi verba significati, reos agere, & his potissimũ uti accusandi modis. *Quæ optimus Sospitator naturæ βάθει adscripsit, quæ non pervestiganda docuit, eadem Physici, exutæ fronte, rimari explorare, & tanquam ad calculos revocare non erubescunt. Venti rationes palpabiles assignant, cum Sospitator tamen dari ejusmodi negaverit.*

§. 386.

Quidquid Viri Doctissimi & his Physicorum accusatoribus respondendum consulerent, idem ipsis poterit responderi. Si dixerint, nondum esse exhaustos naturæ immensos thesauros, etiamsi vel una ac altera ratio naturalium φαινομένων allegari possit, meminerint, idem esse dictum sibi. *Qui fidem proximam electionis rationem perspectam habet, nondum viarum DEi emensus est* latissime patentem amplitudinem. Quæ conditio est, naturæ regni, ea multo magis administrandæ gratiæ. Nondum βάθος sustulit, qui externam ejus superficiem agnoscit, ut qui pedum tibias cerneret hominis, vastissimâ corporis mole reliquâ, nubibus tecti, gloriari non possit, *se magnitudinem ejus stupendam incognitamque totam perdidicisse*.

§. 246.

Dicam apertius, ac ſine ſimilitudinum colore, quid ſentiam, *Scriptura nullum βάθος agnoſcit* in ipſa æterna electione, ſed in acceſſu ad gratiam, *quæ electioni fundamentum præbet. Non eſt obſcurum*, quam ob rationem eligamur; fidem enim decretum præcurrere, vel ipſe Sacer Codex docet: *Sed id imperveſtigabile*, quomodo alii ad fidem perveniant, alii non perveniant? Exploratum eſt, *æterna gaudia propter fidem decerni*; quis vero rerum concurſus requiratur, dum quis fidem concipiat, *ingens βάθος eſt*.

§. 388.

Cum ratione ſtatus publici, *quô ſingulæ hujus mundi oræ continentur*, *tum reſpectu* privatæ *individuorum hominum* conditionis, infinita rerum multitudo exſiſtit, quâ unus præ altero inducitur, ut, cum omnes poſſint, adminiculis pædagogiæ is recte uti velit. Si ſtatum *hujus aut illius oræ* publicum conſideraveris, *alius alio eſt infelicior*, quorum fatorum ratio, ſi, perfecta analyſi, examinanda foret, nulla perſpicaciâ creatâ quantalibet ad finem pervenies unquam. Nam *ut Evangelii doctrina ab uno populo migret*, juſto DEI conſilio, *ad alium*, immenſa rationum varietas confluit, à moribus Regum, à Conſulentium ſuggeſtionibus, à peccatis familiæ, à ſubditorum erga DEI verbum ingrato animo, ab impunitate graviorum ſcelerum, à tricis, machinationibus, avaritia, *& exactionibus eorum, qui rebus gerundis præſunt*, à Majorum culpa *in hos poſteros*

præpara-

Præparata, & reservata Gen. 15. v. 16. Matth. 23. v. 35 à ruditate Auditorum *pastorumque, erroribus sese opponere non valentium*, ab hostium Ecclesiæ vexationibus *moliminibusque*, *derivanda & petenda.* §. 386.

Singulæ hæ caussæ, infinitis partibus *ad constituendam totam coeuntibus*, *subdividuntur*; nam ad mores vel unius pravi Regis deformandos, quot illecebræ, quot machinæ concurrunt? Et *ipsæ partes* aliis porro infinite parvis *rationibus constantur*, ut, quidquid est *caussarum*, *tam funesto*, auferendi Evangelii, ex ora una, *eventui pariendo*, *inservientium*, nullus creatus Spiritus, ne Angelus quidem, beatissimus quisque, satis exputare queat. *Hoc βάθος revera ex objectivarum rationum* vastissima serie *natum*, *magis non pervestigandæ abyssi nomen meretur*, *quam sola illa εὐδοκία*, à rationibus objectivis libera, quam ut primum audivisti, ad rationis finem pervenisti. ex §. 380.

§. 390.

Qui animum ad individuos homines appellit, caussas expensurus, *quare alter præ altero*, in eadem status publici *felicitate*, *fide animetur, alter vero non animetur*, is haud minus viarum DEI *βάθος* agnoscit. Ipsa primo mens hominis uniuscujusque abyssus est, *§. 36.* quâ ad voluntatem in hâs aut illas res eliciendam notiones minores infinitæ *continentur. Temperamentum, educatio, exempla familiarium, cæterorumque non ignotorum, studiorum rationes, vitæ vel nobilioris vel ignobilioris conditio, divitiarum affluxus, vel inopia, Religionis hæreditariæ indoles, vel depravata vel purior, Ministrorum,*

strorum quorum in sacris officium inservit affectui, fata peculiaria præter spem enata, aliaqq; complura, prorata qualibet parte suum conferunt, ut homo vel unus adminicula pædagogiæ sequi vel nolit, vel velit. Sæpe vel una levis occasio initium facit redeundi ad frugem, i.e. verbo divino recte utendi, ut in te vim illius experiaris. Hæc & ejusmodi tantum βάθος constituunt, quantum nulla finita mens unquam intelligendo exhauriet.

§. 391.

Βάθος igitur nostrum, quod ponitur *in rationibus objectivis* per immensum patentibus, verum & ingens est: βάθος vero Dissentientium *in mera DEI εὐδοκίᾳ, rationibus objectivis libera*, vel nullum est, vel contradictioni obnoxium, ex §. 383. Utra pars veritatem Paulini βάθεος præclarius tueri dicenda est? *Non loquimur de βάθει, quod* an sit, vel esse possit *in æquipollenti quadam voluntate nesciamus*, sed de βάθει quod ex natura objectorum prodire potest ac debet, quæ decernenti DEo obversata sunt ab æterno, & ejus voluntatem, ordine rationis, præcurrerunt.

§. 392.

At forte DEus Johannem Apostolum sine ratione objectiva, mera quadam εὐδοκίᾳ elegit, electum deinceps per rationum objectivarum βάθος ingens ad salutem destinatam perducere decrevit. Forte non eligenti, sed electionis exsecutionem statuenti *DEO ejusmodi rationem infinitarum series est obversata.* Ita procul dubio sentis, sed eo ipso *ex prima electione βάθος* omne tollitur. Nam si *ad primam*

electio-

electionem formandam nihil concurrit, quam hoc: SIC VOLO, SIC PLACET, Johannem *eligere visum est*, quia visum est, *& quia visum est, visum est*, sine serie rationem objectivarum: tum illud primum decretum βάθει omni caret, nihil enim est facilius conceptu, quam hoc, *voluisse aliquem, quia voluerit*, vid. §. 380. Tu igitur, si PRIMO *decreto*, de eligendis ad salutem hominibus, rationes objectivas subtrahis, βάθος omne aufers, ideoque es ejusdem culpæ arguendus, cujus nos reos agere discupiebas. Adverte igitur animum, si placet: Aut electionem præcurrunt objectivæ rationes, aut nullum est βάθος.

§. 393.

Infinita, inquis, *hæc objectivarum rationum à nemine emetienda multitudo, hanc ipsam ob caussam ab æterno destinata est, ut decretum DEI, merâ εὐδοκίᾳ nixum, impervestigabili viâ, daretur exsequutioni; qui igitur in hac serie spectantur, necessario faciunt, ad quod per rationum illarum mare inducuntur, ideoque* electionis primæ destinationem, *modò falli nesciô*, effectam præstant. Primo jam respondi, si rationum harum objectivarum oceanus vastus *tantum referretur* ad exsequutionem decreti, βάθος *non foret* in ipsa electione, *sed in* exsequutione *tantum*. Quod cum dici non possit, *rationes hæ objectivæ* etiam primum decretum, ordine rationis, *antecedunt*, ideoque eliguntur reprobanturque homines NON hanc ob caussam, ut in tali serie posthæc exsistant, *in qua vel ad mala vel bona necessario determinarentur*, ac decretæ saluti, vel perniciei præ-

Q 5 lude-

luderent: Sed, quia in tali objectivarum rationum, eodemque infinito ordine occasionem sumturi prævidebantur, adminicula pædagogiæ vel respuendi, vel adhibendi, ideoque fidem (passivo sensu) recipiendi vel non recipiendi, propterea sunt primo statim decreto (si plura quidem essent) vel electi, vel reprobati.

§. 394.

Secundo observandum est: quantalibet *sit illa rationum objectivarum*, ad usum vel abusum præsidiorem pædagogiæ, præparantium, *series ac* multitudo; nunquam tamen libertas penitus tollitur. Inclinant modo, non imponunt necessitatem utendi, vel abutendi, *suadent morali efficacia, non rapiunt tanquam viribus mechanismi*, manente semper facultate, utendi, aut abutendi. Etiam si vel maxime male utaris, non ablata fuit bene utendi potentia. Considera §. 296.

§. 395.

Quod ni esset; *haberent perituri nonnihil, quo se purgare possent*, cujusmodi quid tamen præsto esse, & Christus Joh. 15. v. 22. & Paulus Rom. 2. v. 1. vehementer negant. Nam si dixeris, *DEUM ab æterno quosdam in massa corrupta relictos præteriisse? cùm utique omnes DEO tanquam rebelles sint obversati*; manere igitur à DEO desertos omni privatos excusatione, quia peccatores fuerint prævisi, nequaquam id sufficiet. Neque enim propter SOLUM LEGIS *contemtum prævisum*, sed & *propter* Evangelii *neglectum*, ab æterno præteriti sunt, quicunque præteriti sunt.

Hinc

Hinc ſcriptura contemtoribus Evangelii, non tanquam peccatoribus in ſe, ſalutem denegat. v. g. Jo. 3. v. 19. Hinc *ob perfidiam* damnandi *potius* dicimur, quâ in Evangelium, *quàm ob crimina*, quibus in legem injurii ſumus. Quod Chriſtus diſerte teſtatur. Marc. 16. v. 16.

§. 396.

Quodſi igitur ob Evangelii magis, quam Legis contemtum homini DEus interitum minatur; *aut potuit homo recto pædagogiæ uſu illud ſequi, aut non potuit: Si non potuiſſe affirmes*, ἀναπολογησίαν tollis, à Chriſto confirmatam; §. 395. neque enim ἀναπολόγητος eſſe poteſt, qui id, propter quod ἀναπόλογητος eſt, præſtare nequaquam potuit; *neque* etiam *licet ad juſtitiæ divinæ illam*, Scepticis gratam, *notionem confugere, quâ DEO omnia juſta eſſe finguntur, quæ* NOBIS *injuſtiſſima ſunt:* vid. §. 251. ſeq. Aut vero potuit homo præſidia pædagogiæ debito adhibere modo, idque cum fructu; tum vera ſunt quæ diximus. §. 394.

§. 397.

Si nondum hoc ratiocinio te compulſum putes, quanquam revera ſis, addo aliud: *Aut, qui pereunt, obligatione credendi Evangelio tenentur, aut non tenentur; prius ſi dixeris:* vel concedes, *potuiſſe hominem rectô pædagogiæ uſû, id facere, quô poſito* DEUS SOLUS *fidem ingenerat*, vel dices: *hominem ad falſa credenda obſtrictum*, quem DEus ad aſſenſum obliget huic propoſitioni: Chriſtus pro me mortuus, *cum tamen pro reprobo, juxta Te, non ſit mortuus. Poſterius ſi tibi placeat*, eſſe ſcilicet credendi vinculo pereuntes exſolutos, tum nihil

periculosius dictum à quoquam unquam est, quid, quod falsa judicentur verba Christi §. 395. citata.

§. 398.

Nusquam elaberis, habeo te difficultatibus obsessum undique. *Ad multa*, inquis, *multos obligari, quibus tamen præstandis non sufficiant; legis vinculo nos obstringi ad illa, quibus impares utique simus; non igitur sequi*, si ad fidem Evangelio habendam homo devinctus sit, posse eum aliquid facere, quô positô, DEus fidem solus operetur. Dispar est Evangelii ac legis, in eo, ubi par esse deberet, *si dubium haberet vim*, conditio. Possumus ad impossibilia legis, justâ ratione, à DEo obligari; quoniam in Protoplasto vires, quæ nobis fuerunt, perdidimus: Rom. 5. v. 12. Sed cum vires credendi *reprobus nec in Adamo nec in se habuerit unquam*, cùm etiam ne destinatæ quidem unquam fuerint, non potest, justâ caussâ, DEus reprobo obligationem credendi imponere. Secundo inter caussas, *quare obsequium legi debitum impossibile ab homine DEus exigat*, est etiam hæc, *quod homo aliquid facere potest*, i. e. pædagogia ad gratiam uti, quâ posita, vires credendi, ideoque legi obsequendi in illum à solo DEO conferentur. *Sed reprobus*, si vera est Adversariorum sententia, *ejusmodi quid facere nunquam potest*. Nullius igitur momenti tuum dubium, cui ex omni parte satisfactum.

§. 399.

Atqui est, inquis, *res salva*. PRIMO *qui non vocati*, v. g. *Ethnici, non obligati sunt ad credendum, quia non sunt vocati per verbum*. SECUNDO nec omnes vocati *tenentur credere absolute & immedia-*

te,

te, (hæc sunt tua verba) *Christum pro se mortuum*, sed mediate, *mediantibus resipiscentiæ & fidei actibus*, Si scil. VERE CREDANT, *aliâs falsum crederent, nam vocantur solum sitientes & onerati, i. e. resipiscentes Matth.11. v.28. Tertio licet fides justifica exigatur, non tamen exigitur quoad omnes actus simul & semel exercendos. Sunt enim aliquot fidei actus.* (1.) directus, (2.) reflexus. Directus *est vel situs in assensu veritatum evangelicarum, utpote verarum de danda salute pœnitentibus; vel in fiducia, per quam Christum sufficientissimum Servatorem agnoscentes ad eum fugimus.* (2.) Reflexus *est, quo persuadeo, me vere credere. Jam* fides præcipitur *in Evangelio*, quoad actum solummodo primum & secundum, antequam præcipitur quoad tertium, qui reflexus est. *Nam Christus non revelatur, ut pro me in particulari mortuus, sed tantum in genere pro credentibus, unde tum demum cum ad eum confugio fiducialiter, & quum per actum reflexum cognosco me credere, debeo colligere, eum pro me esse mortuum. Id quod patet, quia ubi Apostoli fidei mentionem faciunt, nullam singularem applicationem memorant Matth. 16. v. 16. ita Paulus in genere tantùm exigit JEsum profiteri Dominum. Rom.10. v.9. Ea est dependentia actuum fidei, ut ultimus non possit præcipi si primo locus non detur: Nec enim ille potest aut debet agnoscere, quod Christus sit pro se mortuus, qui in genere non credit, quod sit Filius DEi. Obligantur igitur credere, quod Christus pro se* mortuus actu fidei reflexo & mediato, *concedo: immediato & directo, nego. Vel in sensu composito, quatenus priores homo actus unà habet, non in sensu diviso, quatenus priores actus*

nis

non habet. Dedi verba Adversariorum prolixiora, ut nihil eorum derogarem efficaciæ, & ut appareret, quanto labore opus sit veritatis vim declinaturo.

§. 400.

Omnem fidei vim in eo positam esse, ut non solum credamus, *Christum esse Servatorem, oblata pro peccatis hostiâ, DEo facientem generatim quod satis est*, sed ut maxima cordis πληροφορίᾳ convicti simus, *mortem etiam* PRO NOBIS *eum subiisse*, Adversarii forte non negant, nisi & Diabolum in societatem fide electorum, *aliquô modô*, velint pertrahere, quippe qui, æque ac reprobi, persuasum habet, *Christum vitam posuisse suam pro hominibus quibusdam in genere.* Quod cum ita sit, nec homines primo credere obligentur, nisi immediate, & directe, (liceat cum Dissentientibus loqui) hoc, *quod Christus generatim Sospitator existat*, crimina omnium, quos elegit, expians: *Sequitur eos majori ad credendum vinculo non teneri, quam eo*, quo & Diabolus obstringitur, cujus officium non minus est, ac nostrum, exploratissimum habere, *JEsum Nazarenum* generatim *pro credentibus semet obtulisse victimam.* Fateor, hoc modo non obligari quemquam ad credendum falsum, ne Cacodæmonem quidem; Sed ita non satisfit illi difficultati, quæ §. 396 397. proposita, cui solvendæ Dissentientes hanc responsionem excogitârunt. Nam si sub prima fidei initia nemo quisquam obstringitur credere, *Christum pro se mortuum, & vero in hoc solo salus omnis vertitur*, §. sup. quomodo possunt homines ab excusationum facultate dejici, ideoque damnari,

nari, ob hanc caussam, *quod non crediderint?* Aut excusatione destituti condemnantur, *quia non crediderunt,* Christum pro se mortuum, tum profecto peremtoria in ipsos sententia injusta pronunciatur, quia scilicet non crediderunt, quod nondum sub initium fidei ipsorum officii fuit: aut vero ipsis propterea æternæ plagæ addicuntur, quod non crediderunt, generatim *Christum pro credendibus mortuum*; falsa hypothesis substernitur; *vix millesimus enim quisque pereuntium Christianorum* hac historica fide caruit, nec tamen non ἀναπολόγητος dicendus est. Teste Christo §. 395. Ipse Diabolus hoc credit.

§. 401.

Si penitius animum ad illa Dissentientium effugia §. 376. appellamus, dici vix potest, *quantum aberrent à sapientia revelata. Tuum est,* eorum Pastores inquiunt, *credere* Christum esse generatim servatorem, *nondum autem tibi licet credere,* ESSE TUUM, MORTUUM PRO TE, *donec actum reflexum habeas,* (ita enim loquuntur) i. e. *donec credas iamjam,* quod credendum est. Quid est verbis ludere, si hoc non est? Pace tantorum Virorum dixerim, non enim credo, consulto eos deflectere. Cum nemo ante reflexam, quam vocant, fidem scire possit, *Electus ne sit, nec ne?* Sequitur, etiam Electos sub initium instaurationis eo tantum obstringi, ut credant, *Christum pro credendibus generatim mortuum.* Sed, quæso, quia hæc fides salutem nondum parit, §. 400. quæ via ineunda est, ut altera sequatur, hæc est hæc: *Credo pro me servatorem mortuum?* Auctores suasoresque illi sunt, *id non credendum*

dendum esse, dum actus accesserit reflexus, i. e. *dum jam credas, id ipsum quod credendum est.*

§. 402.

Cui methodo si pertinacius, quod futurum non suspicor, insistatur, *efficacia* quædam DEI gratiosa sola potens & fecunda à verbo DEI sejuncta *stabiliri debet*. Quod utrum à *Fanaticismi* errore liberari possit, valde dubito. Nam cùm, fatentibus illis, qui ita §. 399. respondent, *fides in Evangelio tantum illa præscripta sit sub initium*, quâ exploratum habemus, Christum esse credendum sospitatorem, non autem illa altera, qua credimus, Christum & pro nobis mortuum: profecto sola Evangelii ita docentis vis nos convincere non potest, etiamsi electi simus, *Christum pro nobis in applicatione mortuum*, necessariæ igitur sunt aliæ vires, ab Evangelio distinctæ, i. e. cum eo non conjunctæ, & seorsum operantes, *quibus cum electo* fides reflexa *communicetur*, ut non credat falsum, si sibi persuadet, *Christum & pro se mortuum*. Dices: *ipsum Evangelium ex se ipso convincet in progressu fidei electos, ut credituri sint*, Christum pro se mortuum. Atqui, quamdiu veritatem illam, de Christo credentium Servatore, *fide reflexa*, nondum ad se applicarunt, non est in officio, sibi persuadere, Christum pro se mortuum, *ut autem applicent*, ex Evangelio non habent, quippe quod non vult, ut eam adplices, nisi cum præsto est fides reflexa, i. e. adplicans. Nisi igitur dixeris; adplicari illam veritatem ab Evangelio, antequam ab eodem appli-

applicetur, non est tutum affirmare, vim applicandi ex Evangelio profectam.

§. 403.

Demonstravi, homines quosvis pereuntes excusatione destitutos, §. 395. 396. *propterea quod & ad illam fidem*, Christum esse pro se mortuum, *obstringantur.* §. 400. 401. 402. Nunc demum intelligitur, quod initio probandum suscepi: βάθος *illud*, §. 388. 389. 390. *electionem præcurrens*, §. 391. 392. *idque ab æterno prævisum, libertati non esse inimicum*, §. 393. *ideoque manere DEo impervestigabilium viarum gloriam, & homini perituro contra eripi excusationis, vel tantum obiter speciosæ vel minimam materiam.* Ita non incidimus tn Syllam, dum volumus vitare Charybdin. Ita medio inter extrema devia tramite incedimus. *Ita tribuimus DEo*, quod suum est, *homini vero extorquemus, quod ad se injusto ausu rapit, quodque extorqueri non possit, si DEum* βάθος *sequi diceremus, omni ratione objectiva vacuum.* Nam homini cum Numine serram contentionis reciprocaturo, aut Conditori dicam diemque scripturo, ut occurras, tutum non est, *talem justitiæ divinæ notionem formare*, quâ Scepticus non solum disciplinam morum, sed & omnes reliquas evertere veritates possit. vid. §. 251. 252. 253. 254.

§. 404.

Hactenus defendi ea, quæ de Evangelicorum βάθει a me dicta sunt. Nunc examinanda erunt, quæ sequuntur, Celeberrimi Hottingeri verba: *Ita est, Reformati nullam rationem objectivam electioni præviam agnoscunt. Negant, DEum in objecto eligendo, convertendo &c. prævidisse quidquam, quod eum*

moverit, ad hunc ab alio distinguendum, & propter quod iste præ illo amari & eligi meruerit, sed caussam electionis UNICAM *fuisse DEi εὐδοκίαν. Cæterum DEo non defuisse rationes, cur hoc non alio modo ageret, nullo modo dubitamus.*

§. 405.

Pleraque in hoc discursu jam per antecedentia, occupata sunt. Unicam electionis rationem εὐδοκίαν esse non posse, probavi §. 373. seq. imo alibi pluries. Sin electionis ratio sola & unica ratio εὐδοκία est; quæro: utrum & illa εὐδοκία rationem habeat, an non? Si rationem habere negaveris, tota analysis rationum unâ situlâ exhausta est: Quærenti enim: *cur eligit?* Respondetur: quia DEO placuit: *Cur placuit?* quia placuit, hîc subsistis, & omne βάθος à te sublatum est. Si rationes εὐδοκίας dari concedas, quæro: *ubi sint? numquid* in voluntate, an extra eam in objecto? Posterius negas: Ergo voluntas ratio εὐδοκίας est, sed quantopere id contradictione implicatum sit, ut voluntas, *quæ non* est determinata, eliciat determinatam circa Johannem εὐδοκίαν, dixi §. 373. seq.

§. 406.

Vir celeberrimus scribit, *se non dubitare, quin rationes DEus habeat,* cur hoc non alio modo agat, sed in eo videtur docere minus consentanea. Rationes objectivas rejicit; quæ igitur illæ rationes erunt, quibus inducta DEI voluntas HOC potius, quàm ALIO decernit modo? Non possunt allegari aliæ, quàm tales, quæ & ipsæ εὐδοκίᾳ nituntur. Sensus igitur orationis, qua utitur Vir Doctissimus hic est: *DEus merâ εὐδοκίᾳ sua eligit, nec tamen non*

hujus

hujus εὐδοκίας *rationes habet, cur hôc nec aliô modo agat; sed illæ rationes sunt ipsa* εὐδοκία *ejus.* Revera igitur DEus rationes εὐδοκίας habet, & non habet. Habet, *quoniam ratio* εὐδοκίας *est ipsa* εὐδοκία: Habet non, *eodem sensu, quia ratio rei non est repetitio ejus, cujus danda est ratio; Sed potius id, ex quo intelligitur cur id sit, cujus danda est ratio.* §. 335.

§. 407.

Rationes εὐδοκίας *illius toties commemoratæ possunt esse ab* εὐδοκίᾳ *distinctæ, nobis ignotæ, nec tamen oportet continuo esse objectivas.* In eligente nonnisi duo spectari possunt, voluntas eligens, res electa. Si ratio non sit, secundum te, in re electa, quomodo potest alia esse, quàm ipsa voluntas? Voluntas non distinguitur à se ipsa; quomodo igitur à voluntate distincta, nec tamen objectiva esse potest? *Illa ratio*, forte inquis, *potest esse justa, sapiens, ideoque à voluntatis* εὐδοκίᾳ *differens, nec tamen objectiva.* Caussa cecidero omni, si rationes illas sapientes, justas, &c. probaveris, nec tamen unà objectivas esse ostenderis. vid. §. 141. §. 321. seq.

§. 408.

Addit Vir Excellentissimus: *nihil movisse DEum propter quod iste præ illo amari & eligi* meruerit: Atqui nec nos meritum ullo sensu electioni prævium docemus; sed *tantum* FIDEM. Uti vero in *declarando homine justo, aliud est excludere* MERITA, aliud illinc arcere FIDEM: sic in electione etiam, meritis exclusis, non sequitur, nullam haberi fidei à DEO rationem. Quæ utinam Viri eruditionis &

pietatis gloria incluri non eodem loco haberent, ubi ratio electionis reddenda eſt.

§. 409.

Verum cum conceptus, verba ſunt eruditiſſimi Dn. Hottingeri, *rei ſit vel diſtinctus, ſolidus & realis: vel confuſus, imaginarius, vagus & vanus: diſtinctus quidem ille eſt, qui rei principiis, ex quibus ea cognoſcitur; reſpondet. Cum autem de electione nihil nobis, niſi ex divina revelatione conſtet: revelatio vero nihil tradat de fide eligendorum præviſa: quin, quia eligendus erat homo in peccatis, iſte ut plane ad fidem DEo habendam ineptus, immo ut rebellis DEo eligenti obverſabatur: Denique cum DEus miſereri poſſit cujus vult, etiam indigni: conceptus electionis diſtinctus ille eſt, qui eam ab una DEi* εὐδοκίᾳ *derivat.*

§. 410.

Plura heic argumenta cumulantur, quibus *electionem* SOLA DEI εὐδοκίᾳ *nixam fuiſſe*, excluſis rationibus objectivis, Vir celebris aſſertum ire cupit, quæ ſingula, ſed paucis, examinanda. Primo quidem aliquantiſper hæſitavi circa conſilium ſummi viri, quod in *definiendis conceptibus diſtinctis & confuſis eſt ex ſecutus.* Forte quia *determinatas* decreti, de Petro eligendo potius, quàm reprobando, & viciſſim de Juda reprobando potius, quàm eligendo, *rationes poſtulavi:* Vir Doct. exiſtimat, *illos conceptus eſſe parum diſtinctos & confuſos.* Pergratam mihi rem feciſſet, ſi ejus opinionis allegaſſet argumenta.

§. 411.

Nam conceptus ille. quem de axiomate formamus: Oportet quemlibet eventum determinatum, habere rationem determinatam,

§. 338

§. 338. *tam distinctus, tam solidus, tam realis*, utor verbis ipsius, est, ut haud sciam, *an quidquam in omni scientiarum latitudine clarius* & distinctius *cogitari queat*? Jam vero si ipsi Viri celebres vehementer contendunt, rationis axiomata geometrica necessitate roborata, in sacris non esse resorbenda, destruenda, aut, articulorum fidei obtentu, neganda: quod si iidem istud quidem principium philosophiæ: Nullum corpus potest esse omnibus præsto locis, tam clarum, tam distinctum judicant, ut propter illud antiquam Ecclesiæ, *de Corporis Christi præsentia*, doctrinam mutaverint; cur non mihi liceat, contra eos agere ex canone longe certiori, cujus evidentiam satis superque indicavi. §. 338. *An est obscurus, an confusus, an imaginarius ille conceptus*? Nequaquam sane. Atqui probatum à me est cit. loc. *collidi cum hac veritate invicta illam, de electione objectivis rationibus vacua, opinionem.* Quo igitur jure Dn. Dissentientes in Theologia, v. g. in doctrina de sancto illo epulo, philosophiæ placita fundamenti loco substernunt, non commoti ea ratione, *quod de S. Cœna nihil nobis, nisi ex revelatione divina constet*: eôdem jure ego longe firmiora axiomata præstruxi, quorum impetu contrariam sententiam impugnavi.

§. 412.

Sæpe miratus fui, *quare Viri celeberrimi* rationem *tantô studiô ex doctrina* de electione *exesse jubeant, nihil nisi horrendum βάϑος admittentes*: iidem tamen in quæstionibus de S. Christi epulo *philosophia*, non universalis *tantum, sed etiam* specialis, *i. e. physica præcepta, mirifice extollant.* De Sacra

cœna ratio humana ne tantillum quidem perſpectum habet; *ex adverſo Theologia naturalis de voluntate ac decretis DEI multa tradit, quæ in revelatis, de electione, dogmatibus recurrunt.* Theologia naturalis præcipit generatim, *quæ DEI ſit voluntas, & quomodo decernere poſſit?* Sanctior Scripturæ diſciplina illa generalia ulterius determinat, de Christo, de Spiritu S. de adminiculis gratiæ erudiens, quibus non ſolum electio continetur, ſed & exſequutioni datur. Neſcio igitur, *cur in materia,* quam ſolus S. Codex docet, *tantum valere hominis ratiocinandi facultas debeat?* in ea vero doctrina, quæ mixti *fori eſt*, ac de qua vel ipſa Theologia naturalis nos certos reddit, decreta DEI non poſſe non objectivis niti rationibus, exulem cogatur ſanior philoſophia agere. Quæcunque ſupra pro objectivis rationibus propoſui, ex Theologia maxime naturali depromta ſunt.

§. 413.

Cum Vir Doctiſſimus diſtinctum rei conceptum per talem deſcribat, *qui rei principiis, ex quibus ea cognoſcitur, reſpondet:* non poſſum, quin & meam de ideis diſtinctis ſententiam declarem, forte Viro ſummo non improbandam, ex qua elucebit, *fuerimne uſus ideis obſcuris, vanis, imaginariis, &c. nec ne?* Ideam claram voco *repræſentationem rei in mente, quâ rem quidem à re diſtinguo, ſed* nonniſi in obviis exemplis, quam & aliis non explicare poſſum, *niſi per monſtrata velut digito exempla.* Sic claram habemus RUBRI notionem coloris, quem quidem à rebus cæteris quibusvis diſcernimus ſed nonniſi in exemplis obviis. Quare ſi cœco, aut colorem nondum

dum conſpicato explicari debeat, fieri id ſine exemplo non poteſt. Contrà, *ſi & aliis hominibus, exemplo coram non utentibus, quid res ſit, per ejus* partes, aut characteres, *aperire* poſſum, rei diſtincta animo obverſatur idea. Ruſticus igitur ideam rubri coloris claram; ſed Newtonus, aut, qui ejus de coloribus theoriam intelligit, ejusdem diſtinctam animo volvit notionem.

§. 414.

Obſcura igitur notio eſt, *qua rem vel non integram ab aliis, vel prorſus non diſcerno.* Sic obſcura v. g ſapientiæ idea eſt, quum in quodam obvio exemplo ſapiens dico, quod revera ſapiens non eſt. *Clara quidem ejus, ſed non diſtincta notio, dum pro ſapientiæ documento quidem habetur, quod revera eſt in hoc exemplo: interim autem id, propter quod ſapientiæ ſpecimen eſt, negatur, & pernegatur*, i. e. dum ſine debito ordine unum ad alterum dirigi fingitur.

§. 415.

Quis igitur noſtrûm habuit obſcuras, aut confuſas notiones? Vir celeberrime! Formas tibi ideam *electionis ſapientiſſimæ*, ſed talis, *quæ ſine debito ordine ſalutis, Johannem deſtinaverit ſcopo attingendo, ad quem ſine illo ſapienter dirigi non potuit.* Non eſt cur dicas: *Electum tamen fuiſſe non ſine adminiculis æternæ ſalutis*, ſed AD ea, *adminicula quoque definita eſſe; ſed jam* ELECTIS, *pertinere illa igitur ad decretum* exſequutionis. Eo ipſo enim concedis, ſapientiam *divinam primum electionis decretum duntaxat* ſecutam eſſe, nec illud, ordine rationis, præcurriſſe. Quod eſt abſurdum. Non poſſum cogitare quidquam facientem DEUM, nec *primo*,

nec *secundo*, nec *tertio* unici decreti *conceptu*, nisi respectu omni sapientissime facientem, *ne DEUM* hominum more *abstrahentem*, ac de fine, *ordine rationis*, prius dispicientem, quàm de adminiculis, fingam. Illa hominum imbecillitas est, ut, tametsi non semper *ordine durationis*, certe *tamen ordine rationis*, vid. §. 174. not. *. prius finem, quàm adminicula curent: Alienum id est à DEO. vid. §. 279. not: *.

§. 416.

Uti ante decretum omne *per DEI potentiam* præstari poterat HOMO, §. 105. præstari poterat liberô arbitriô, §. 178. 179. 180. præstari poterat labilis, præstari poterat per gratiam revocabilis, in fide locabilis: *Sic nulla ratio est*, cur accedens decretum, *alterum respectum fidei*, quæ exhiberi potuit ab æterno hominibus, dimitteret, & eo more eligeret, quo mortales solent, qui finem *prius* destinant, quum nondum perspectum habent initio, quæ adminicula illi inserviant, ac eligenda sint. *Viri* igitur *celeberrimi de electione* conceptus, vel ex ipsius definitione, obscurus est, quia non respondet principiis, ex quibus electio dignoscenda.

§. 417.

Movebitur, inquis, *DEus re extra se, si hominem eligit, ut fide præditum.* Non movetur re extra se, sed sua ipsius sapienti *& gratiosa potentiâ*, à qua sola, ante decretum omne, pendet, ut homo labilis cum fide præstari queat. Aliter si pronunties, *DEus etiam hominem* impossibilem *conditu eligere* deberet, ob eundem tuum metum, ne ipsum aliquid moveat, sc. natura hominum possibilis,

quæ

quæ ad creandum inducat. Si huic meo argumento occursurus dictites: *in eo non pendere DEum à rebus extra se, si vel maxime ratines objectivas sequatur, nec alio, nisi hoc consilio, res possibiles decernat*, quia possibiles sunt; id enim ipsum quod tales sint, à DEO esse; idem tibi responsum esto. Vanus est metus, ne à re quaquam DEUS pendeat, si fidem ab æterno hominibus donabilem eligendo respicit, quidquid enim id rei est, per & propter ipsum est.

§. 418.

Nunc ad ea progrediemur, quibus Vir celeberrimus in sola DEI εὐδοκίᾳ, rationibus objectivis opposita, fundatam electionem esse contendit. Primo *nihil nobis*, inquit, *de electione, nisi ex divina revelatione constat*. Consilium Viri summi eo sine dubio spectat, ut significet, male actum à me fuisse, cùm canone philophico, sententiam de electione, rationibus objectivis formata, stabiliverim. Sed jam responsum est. Primo canon ille de *determinati eventûs ratione determinata*, quem adhibui, ejusmodi est, ut contrarium ejus contradictioni obnoxium sit. §. 346. seq. item §. 373. 374. 375. &c. hujus cap. *Quodsi igitur, in revelatis eum doctrinis applicari, nefas est*, quod si hæ, salva veritate, illi possunt adversari; tum in sacris contradictioni obnoxia credenda erunt. *Quod à totius humani generis sensu abhorret.* Licet igitur, ejusmodi canones in revelatis adhibere, ut, *num contradictione impedita figmenta doceantur, nec ne?* cognosci possit.

§. 419.

Accedit huc ipsa Dissentientium auctoritas.

Quot, quæso, & quanta illi de divinis decretis, & eorum inter se ordine tradunt? quæ omnia certe non aliunde, quàm *ex Theologia* naturali, nec revelata, depromta sunt. Quod igitur illi juris in se & suis statuunt, idem ut concedant reliquis, æquitas jubet ac justitia. *Theologia naturalis generalia de electione & voluntate DEI docet, Christiana vero* specialia: quæque in Theologia naturali falsa sunt, non possunt vera demum fieri per Theologiam revelatam. Si jam ipsô lumine naturali docemur, *DEum eligere haud quidquam posse absque rationibus objectivis;* id quod ex notionibus clarissimis ostendi: Cap. III. S. I. profecto non licet Scripturam ita interpretari, ac si negaret, quod per sanam rationem locum non habere non potest. Quid quod *ipsi Dn. Dissentientes in doctrina de S. Epulo*, quæ solis tamen ex sacris litteris constat, *plurimum tribuant* RATIONI.

§. 420.

Alterum, quod Vir eruditissimus addit, hoc est: Scriptura nihil tradit de fide eligendorum prævisa. Fateor ingenue, si quidquam mihi unquam à veritate abhortens visum fuerit, hanc mihi propositionem maxime eo numero habendam videri. Ego potius existimo, si pii Mâjores Dn. Dissentientium, specie quarundam metaphysicarum rationum, *à necessitate, præscientia DEI, & ejus eminentia, nemini obnoxia*, petitarum, quarum notiones non satis evolutas habuerunt, non fuissent occupati, ac rapti in transversum; neminem mortalium unquam dubitaturum fuisse, quin S. Codex testetur, *nos fide & electos, & salutem consequuturos*

ros esse. Tantum abest ut Scriptura de fide eligendorum prævisa nihil doceat. Itaque Dissentientes hac parte Scripturæ sensum refingunt ad Metaphysicam suam, definitionibus non undiquaque probatis suffultam, non ex sensu S. Codicis Metaphysicam suam emendant; Inferunt sensum Sacris, non eruunt. Ibimus in rem præsentem.

§. 421.

Quicunque IN Christo sunt electi, illi non sunt electi AD Christum, ideoque IN fide, neque AD fidem sunt vitæ æternæ destinati: Atqui omnes qui servantur, sunt in Christo, nec AD eum electi Ephes. 1. v. 4. E. Novi hoc oraculum scopum esse, in quem omnia Adversariorum tela collineant, itaque de hoc pauca dicenda sunt. Celebris Adversarii opinio circa hoc oraculum ita habet:

§. 422.

Eligi dicimur, in Chirsto non jam existentes, Ephes. 1. v. 4. quasi supplendum sit participium ὄντας; quia nemo potest esse in Christo, quin prius datus sit à Patre Christo, Joh. 17. v. 6. & per fidem & charitatem, ad quam eligimur, illi sit insitus; sed in Christo futuros, & per Christum redimendos, ut suppleatur infinitivus εἶναι, ut hic statuatur Christus primarium electionis exsequendæ medium, & caussa salutis, quæ per eam nobis destinatur, non caussa decreti, per quod decernitur. Hanc esse Pauli mentem multa evincunt. (1.) Quia Palus dicit nos eligi in Christo, non ptopter *Christum; illud notat intuitum Christi in electione, tanquam medii subordinati, quod concedimus; hoc vero ejus caussalitatem, quod dici nequit, nisi velimus medium prius intendi ipso fine.*

§. 423.

§. 423.

Quia (2.) dicit nos eligi in Christo, ut simus sancti; Ergo non possumus spectari in Christo existentes antecedenter, ita enim jam essemus sancti, sed ut futuri consequenter. (3.) Paulus seipsum alibi interpretatur, quum ait: 1. Thess. 5. v. 9. DEum nos constituisse ad obtinendam salutem per Christum Ita eligi in Christo nihil aliud est, quam destinari ad salutem in Christo seu per Christum adipiscendam, ut Christus sit caussa salutis, non electionis. Sic 2. Thess. 2. v. 13. dicimur electi ad salutem in sanctificatione Spiritus & fide veritatis, non ut sanctificatio sit caussa salutis, cum sit ejus finis in hoc loco, sed ad salutem consequendam per sanctitatem & salutem.

§. 424.

Numquam cuiquam hæc oraculi interpretatio in mentem venisset, nisi antea jam hoc canone, sinistre adhibito ac applicato, quidam occupati fuissent, quem his verbis exprimere solent: Intentio finis (salutis) prior est mediis, (fide) Ita huic regulæ philosophiæ, quæ tamen sine cautione vera non est, tota interpretatio clarissimorum scripturæ testimoniorum, pro electione in fide facta, militantium, subjicitur, ut nullum tam evidens oraculum fundere Spiritus S. potuisset, quod illi non ad suam hypothesin revocare audeant. Caussantur primo, *non electos nos dici à Paulo* PROPTER *Christum*, sed IN Christo duntaxat. Atqui, si vel maxime hac particula Gentium Doctor usus fuisset, profecto interserturi essent explicationem eandem, *nos esse propter Christum electos, quia* propter eum *suscipiatur* decreti exsequutio, prætexturi forent, *nos esse à DEO electos propter Christum*, sed

nobis

nobis demum destinandum, *in quo nos simus* post electionem *futuri, quia nemo possit propter Christum eligi, nisi qui Christo demum à Patre donetur.* Nulla profecto sagacitate potest excogitari tam clare significans oraculum, *quod Christus electionis fundamentum sit*, quin eludi iis distinctionibus facillime queat. Nescio igitur, quomodo Spiritus S. sermonem suum satis circumspecte potuisset munire, quin patuisset iisdem insidiis.

§. 425.

Adde, *quod sæpissime* in aliquo, *notet* propter aliquem Gen. 29. v. 18. Deut. 24. v. 16. Matth. 6. v. 7. & in hac ipsa Epistola Ephes. 3. v. 13. Perinde igitur est, ac si Paulus ita locutus fuisset, & eâ particulâ, quæ si exstaret, vel fatentibus Adversariis, eorum sententia confutata foret. Errorem suum agnituri videri volunt, si Paulus nos propter Christum electos affirmasset. Atqui usus est ea particula, quæ huic significatui exacte respondet.

§. 426.

Non obstat additamentum, nos in Christo eligi, ut simus sancti; ex quo conjiciunt, *nos non potuisse eligi tanquam ab æterno in Servatore ante electionem exsistentes, quoniam alias nos electio jam sanctos, quippe in Christo,* invenisset, *non demum,* ut tales efficeremur, destinasset. Nam si his argutiis locus foret, consequeretur, *Christum ne impetrandæ quidem saluti à Patre destinatum esse.* Ut primum enim ab æterno electis Christus donatus ita concipitur, ut hi in Christo sint, eo ipso jam salutem habent, itaque Christus non potest ingredi decretum salutis expediundæ. Si ob hanc

hanc caussam Servator non ingreditur *decretum* salutis destinandæ, quia, qui in Christo sunt, jam sancti sunt, sanctitas vero electionem demum sequitur: tum & ob eandem rationem Christus non potest ingredi *decretum salutis exsequendæ*, quia, qui in Christo sunt, eô ipsô jam vitam & salutem habent, 1. Joh. 5. v. 12. vita vero & salus decretum exsequutionis demum sequitur. Quidquid respondebunt Adversarii, ipsis erit responsum.

§. 427.

Dicent forte, *spectari ab æterno electos in Servatore tanquam* in Auctore Salutis, *non tanquam eos, qui jam salutem sine eo habeant.* Sed idem nos reponimus. Spectamur quidem in Christo tanquam caussa non solum salutis, verùm & electionis, sed non tanquam ii, *qui sanctitatem, vel* quatenus habent. *Uti salus ab æterno*, fatentibus Adversariis, *ordine rationis*, POST *Christum donatum futura demum concipitur; sic & sanctitas* in electione prima post *fidem exstitura respicitur.* Possumus ergo in Servatore primum eligi, nec tamen non eo consilio eligi, ut essemus demum sancti posthæc.

§. 428.

Quod tertio loco §. 423. Adversarius scribit, *appellari nos electos in sanctificatione Spiritus, & veritate fidei, non ut sanctificatio illa sit caussa salutis sed effectus*, id nititur minus dextra vocabuli *ἁγιασμοῦ* interpretatione, quippe quod hoc loco non significat fidei fructus, sed ejus caussam, *qua in donatione novarum virium credendi posita est.* Hoc enim negotium ἁγιασμοῦ titulo insigniri, patet ex sequentibus, ubi demum fidei fit mentio.

Atqui

Atqui fides non sequitur, sed præcurrit illum *ἁγιασμὸν*, quem Dn. Dissentientes hîc intellectum vellent. Totum negotium salutis hac voce innuitur sæpius præsertim in N. T. v. g. Hebr. 10. v. 10. c. 13. v. 12. Ephes. 5. v. 26. ubi *ἁγιασμὸς* lavacro verbi præmittitur. Rom. 15. v. 17. alibi.

§. 429.

Stat igitur sententia, *Scripturam docere fidem eligendorum prævisam*. Pergit autem Vir inclutus: *quia homo erat eligendus in peccatis mortuus; iste ut plane ad fidem Deo habendam ineptus, imo ut Rebellis DEO eligenti obversabatur*. Sed facilis est responsio: *Homo* QUI *in peccatis mortuus fuit, eligendus erat, sed non* quatenus *in peccatis mortuus fuit*. Obversabatur DEO eligenti rebellis, sed in Christo conciliatus, legis violator, sed per fidem crimina nunc expiata detestans, obversabatur DEO suis, *at non* Christi meritis imputatis destitutus. Rem ita semet habere, probavi. §. 311. 312. 313. 314. seq.

§. 430.

Semper conceptus celebrium Virorum obliquat canon ille: Intentio finis est mediis prior, qui una cum *doctrina* de arbitrariis *rerum, & pro lubitu DEI mutandis* naturis, quæ Poireti sententia est, §. 115. seq. C. II. S. I. universo Adversariorum Systemati natales dedit. Existimant, *si DEus hominem electum non rebellem respexisset, sed potius ut credentem, futurum fuisse, ut intentio finis,* (salutis) *posterior fide, i. e. adminiculis emersisset. Quare Christum non electionis* caussam, *ut ita loquar, sed* effectum *esse pronuntiant*. vid. §. 422.

Sed

Sed tuti potuissent esse ab hoc incommodo. *Universalis DEI* FINIS, quem sibi in sua ipsius gloria præfixum habet, *est*, *ordine rationis*, consiliô res omnes condendi, PRIOR. *Ille* est in omni Systemate *ultimum* & *primum*. In omni serie finis & initium, quod extremum nihil antecedit, nihil consequitur. Sed *alia ratio est rerum* in Systemate *particularium*, *quas*, eo ipso, quia in Systemate aut serie quadam sunt, *plura antecedunt, plura consequuntur*. Intenduntur itaque à DEO, sed propter ea, quæ in Systemate prævia sunt. Salus publica est *universalis omnium prudentum Monarcharum scopus*, quo nihil prius habent nihil posterius, *cætera non intendunt*, *nisi* per & propter ea, *quibus cum salute publica connectuntur*. v. g. Intendunt pœnas, sed nonnisi, quatenus pœnæ propter peccata, i. e. violationem boni publici compensandi, requiruntur: Similis intentio præmiorum. *Hæc intentio particularis non est* prior, sed posterior ea, *re*, *per quam cum bono publico connectitur*, i. e. *perversis aut probatis moribus*.

§. 431.

Ex canone igitur illo contra Viros celebres actio intentari potest. Ultimum & primum *in omni divina actione est* salus publica civitatis divinæ, *qua omnes Spiritus copulantur*, *seu gloria DEI*. In cæteris *rebus* particularibus DEus nihil intendere potest, nisi res destinata nexum cum fine illo summo habeat. *Destinatio* nexûs *prior est*, *posterior particularis finis*, qui connectitur. v. g. Salus hominis lapsi est *finis particularis*, qui non cohæret cum scopo illo principe, nisi per fidem;

dem; aliter quidlibet illi ſcopo ſupremo etiam in *exſequutione* ſubordinari poſſet, quod ne ipſi quidem Adverſarii concedunt. *Itaque intentio* vinculi illius, quo ſalus hominis cum gloria DEI connectitur, i. e. *fidei* prior eſt, re connexâ, i. e. *ſalute*. Quem igitur illi canonem nobis opponunt, eum nos rectius intellectum ipſis adverſari oſtendimus.

§. 432.

Sequitur nunc illud decantatiſſimum: *Si DEus miſereri poteſt, cujus vult, etiam indigni: conceptus electionis diſtinctus ille eſt, qui eam ab una DEI εὐδοκίᾳ derivat.* Hæc enim ſunt verba celeberrimi Dn. Hottingeri. Sed quoties ad hæc reſponſum eſt? Primo cauſſa noſtra multo ſuperior eſt eâ, quam defendere conantur Adverſarii. *Nos εὐδοκίαν* DEI *cum rationibus objectivis* conjungimus, illi ſeparant. Illud igitur oraculum nobis non derogat. Concedimus, *DEum miſereri cujuscunque velit, nullius autem vult miſereri*, niſi ſapienter; i. e. quia ſapientia promtitudo eſt, res tractandi §. 318. ſeq. quoad fieri poteſt, ordinatiſſime, DEus neminis miſereri, nullum eligere poteſt, niſi in certo ſalutis ordine, qui nullus alius eſſe poteſt, quam fides. Nos εὐδοκίαν liberrimam hîc intercurrere, ultro fatemur: Illo igitur oraculo impugnari non poſſumus. Adverſariorum vero eſt, allegare ſcripturæ teſtimonium, in quo non ſolum divinæ εὐδοκίας, ſed etiam *talis εὐδοκίας, quæ ſapientiam, i. e. rationes objectivas* excludat, fiat mentio. Quod ſi non faciunt, *uti nec facere poſſunt*, illud oraculum: *DEus miſeretur cujus vult*, quan-

tum, quantum eſt, nobis inſervit. Quis enim, *tametſi DEus ſapientiſſime agat*, eum neget, agere liberrimo *arbitrio?* Sapientia *non opponitur* εὐδοκίᾳ, aut libertati, ſed potius cœco caſui. Nec εὐδοκία non conciliari poteſt cum rationibus objectivis, verum potius cum debito & coactione implacabilis exſiſtit.

§. 433.

Ne autem Vir celeberrimus ex verborum antecedentium vel conſequentium nexu putet aliquid ipſius dogmati conforme elici poſſe, dabimus verba Doctoris cujusdam, fama per orbem noti, in hoc oraculum prodita, quæ ita habent: *DEus beneficia gratiæ ſuæ extraordinariæ erogat, cuicunque vult, uti olim Judæis præ gentilibus fecit, & nunc gentilibus præ Judæis, & indurat, h. e. in peccatis ſuis & obdurato corde currere amplius in ultimum usque exitium ſinit, rejicitque & privilegio gratiæ extraordinariæ & ſpecialis privat, quemcunque vult, atque ita & voluntatem ſuam conſequentem tum gratioſam & revocatricem, tum judiciariam & punitricem exercet liberrime uti vult. Probat id Pharaonis exemplum, qui potentiſſimis & extraordinariæ gratiæ auxiliis mactus mandato divino obſequi poterat, & cum non obſequeretur, ſuæ indurationi relictus eſt, & Judæorum, qui ipſo Domino ſalutem illis prædicante, miraculisque maximis apud ipſos prædicante & operante, utique credere potuiſſent, ſed noluerunt. Matth. 23. v. 37.*

§. 434.

Neque DEus indurat ἐνεργητικῶς, *Jacob. 1. v. 13. Sic enim Pharao ſeipſum induravit. Exod. 7. v. 13. 14. c. 8. v. 19. 32. c. 9. v. 34. 1. Sam. 6. v. 6. Sic ſe indurant*

rant homines ipsi 2.Reg. 17. v. 14. Psal. 95. vers. 8. Hebr. 3. v. 8. Sic & indurat homines Diabolus. Matth. 13. v. 41. Luc. 7. v. 12. 2.Cor. 4. v. 4. - - Sed saltim permissive. Jesai. 64. v. 17. Psal. 81. v. 13. ἀφαιρετικῶς, gratiam Spiritumque S. qui cor emollit, auferendo. Psal. 51. v. 13. Matth. 13. v. 12. ὑλικῶς, media gratia offerendo, eventualiter in eorum rejectionem. Sic miraculis Pharaonem Deus induravit; Exod. 9. v. 12. nec dicitur Pharaonem indurasse, nisi post sextam plagam, cum se ipse antea indurasse dicatur. Exod. 7. v. 13. c. 8. v. 32. παραδοτικῶς in reprobum sensum dando. Rom. 1. v. 24. 26. Neminem autem sic indurat Deus, nisi qui cumulatis peccatis habitum peccandi contrahit, & semetipsum indurat; Deus enim non deserit nisi deserentem, &c.

§. 435.

Quod restat his omnibus nihil aliud evincere vult Paulus, quàm hoc: liberrimo justissimoque voluntatis suæ arbitrio Deum usum olim fuisse, ubi Judæos in populum suum præ aliis populis elegerit, & nunc uti, ubi Judæos rejiciat, gentilium vero misereatur. Peculiaris est expositio, quam secundum Systema Molinianum, in hæc, quæ explanavimus, verba dedit Hannibal Albani, Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, in thesibus Romæ 1703. pro obtinendo Doctoris in Theologia gradu defensis, ita autem ille.

§. 436.

Obtinent auxilia gratiæ salutarem effectum in ordine, ad quem Deus misericorditer illa nobis largitur, quatenus ex infinitis vocationibus, quas Deus præcognoscit possibiles, extrahit illam vel illas, quibus prævidet, nostrum liberum arbitrium non quidem sibi soli relictum, sed motum & excitatum illis vocationi-

bus bene usurum, omittens illam, vel illas, quibus prævidet abusurum. In hoc sensu cujus vult miseretur. *E converso propter rationes, quas ipse scit ex eodem cumulo extrahit vocationes, quibus prævidet hominem abusurum, omittens illam, vel illas, quibus prævidet bene usurum. Et hoc in sensu*, quem vult, indurat. *Cumque totum hoc negotium vocandi homines unis vel alteris vocationibus, unice pendeat à Deo, idcirco solus Deus est, qui prædestinatos discernit ab infelici reproborum massa, & rursus, cum tam una quam altera vocationes sint per se indifferentes ad utrumvis, subsistit in homine plena libertas indifferentiæ.*

§. 437.

Ast, licet hoc Systema gratiæ liberum arbitrium cum prædestinatione absoluta ingeniosissime combinet, nimium tamen utrique cùm largiatur, & de voluntate consequente textus noster agat, omnino & ista expositio repudianda est, Quod restat, repetimus & hîc, Deum omnium hominum ex liberrimo & absoluto arbitrio misertum esse. Joh. 3. v. 16. 1. Tim. 2. v. 4. neminem vero indurare velle, nisi qui semet ipsum indurat.

§. 438.

Sententia Eminentissimi Purpurati romani trahit utrinque aliquid ex erroribus è diametro oppositis, cæterum in ea tamen est aliquid veri, non temere prætermittendi. Primo deflectit, quia docet, à vocatione liberum arbitrium excitari, ideoque in partes hominis instaurandi venire, viribus non plene mortuis, sed languidis tantum & torpentibus. Secundo existimat Vir illustris ex infinitis hominem vocandi possibilibus institutis

cooptare

cooptare DEum jam hoc, jam illud, jam aliud, quô hunc abusurum, jam aliud, quô illum bene usurum præsagiat, liberrima & rationibus objectivis soluta voluntate. Primum à nobis evertitur, dum concedimus, nihil hominibus libertatis in seipsis emendandis convenire, quia mortui, i. e. viribus cunctis ad id præstandum non solum destituti, sed etiam pro contraria parte occupati sunt. vid. §. 296. 297. seq. De altero credimus, infinitos illos vocandi modos, his aut illis hominibus adjudicari, non sine ratione objectiva, ex Systematis publico statu. §. 308. vel privata hominum conditione, desumta §. 302. Hoc est illud βάθος, quod generatim quidem justissimum esse intelligimus, speciatim autem cognoscendo nunquam exhauriemus. vid. §. 307. 308. 309.

§. 439.

Interim ea parte sententia illustris Viri calculum meretur, quâ ait, non defuisse DEO infinitos vocandi modos, ex quibus elegerit, prout visum fuerit, jam pro Titio hunc, jam pro Sempronio illum, cum tamen præsenserit, futurum, ut hanc vocationem Titius sit detrectaturus, Sempronius vero illam admissurus. Nullum enim est dubium, quin sæpe plures pereant, qui si in alio fatorum ordine, in diversis vocandi opportunitatibus collocati fuissent, vitæ æternæ attigissent scopum. Id quod, si ab omnibus aliis discedam, Tyriorum exempla probant. Matth. 11. v. 21.

§. 440.

Pergit celeberrimus Dn. Hottingerus: *Fides & bona opera, Spiritu S. teste, Actor. 13. v. 48. Ephes. 1. v. 4. decretum electionis ingrediuntur, non ut eam*

antecedant, & ut caussa Deum ad hunc vel illum eligendum movens, sed ut electionis consequens, & ut fructus illius: ut beneficium à Deo eis destinatum, quos elegit. Elegit non eos, qui crediderunt, sed ut crederent. Non levis admiratio animum subiit, postquam cognovi, Virum summum in probanda hac sententia, ad illud oraculum Ephes. 1. v. 4. provocare, quod, si ullum aliud, doctrinam ejus destruit, ac solo æquat. Id quod ex antecedentibus §. 421. & seqq. intelligitur. Testimonium illud, nos IN Christo electos, significat, Vir celebris nos AD Servatorem electos contendit. Oraculum illud docet nos electos, quia IN Christo fuerimus, Vir clarissimus putat, nos electos UT in ipso posthæc essemus, non igitur consentanea verbis Apostolicis tradit.

§. 441.

Illud vero Pauli effatum Actor. 13. v. 48. quoties à nostris est explicatum? Utinam Viri docti iis adverterent, quæ in eam rem pridem dicta sunt. Existimant *fidem esse electionis fructum*, propterea quod Paulus eos tantum *credidisse affirmet, quicunque ordinati fuerint*. Sed pace tantorum Virorum, quos verâ, nec simulatâ animi sententiâ, plurimi facio, dicere liceat, *admitti ab eis*, sed bona fide, quis enim Viris optimis dolum imputet? *argumentandi vitium seu sophisma.* An sequitur: *Præstantissimo sunt ingenio præditi*, QUOTQUOT *Tiguro oriundi, ergo*, QUIA *Tiguro oriundi?* An justa est ratiocinandi ratio: *Omnes homines à Deo sunt*, QUOTQUOT *hanc terram incolunt: Ergo*, QUIA *hanc terram incolunt?* Quis has propositiones ullo nexu copulatas existimet? Atqui similes

illæ

illæ Paulinæ ſunt, ex quibus Viri celebres capiunt argumentum. Paulus pronuntiat : *Crediderunt, quotquot ordinati erant* : ſed an inde ſequitur? *quia ordinati erant.* Minime vero! Itaque nihil optatius evenire toti Eccleſiæ poſſet, quàm ſi Viri, revera doctiſſimi, hæc & ejusmodi lubrica ratiocinia, quibus ipſorum fides hac parte nititur, dimitterent, & firmiora nobiscum adoptarent.

§. 442.

Sane, ſi quidquam ſensûs ambiguitate fecundum interpretes judicant, hoc certe oraculum ex eorum numero eſt. Quare mirandum eſt, *potuiſſe* tantum doctrinæ pondus *incerti ſignificatus teſtimonio ſuperſtrui.* τεταγμένοι poteſt eos denotare qui ſe ordini adminiculorum Pædagogiæ ſubmiſerunt. Hoc ſenſu : *Crediderunt, quotquot in ordine fuerunt collocati ad audiendum Pauli verbum.* Nam ſine ordine Verbi audiendi nemo unquam credere poteſt. Rom. 10. v. 17. Eſt qui ita oraculum non ſine maxima veriſimilitudine interpretatur : τὸ, τεταγμένοι *prorſus puto illud,* εἰς ζωὴν αἰώνιον, *conſtruendum cum verbo* ἐπίστευσαν, *& locum ſic reddendum :* Et crediderunt, quotquot convenerunt, in vitam æternam, *quâ Judæi ſe indignos judicârunt.* τεταγμένοι, *ponitur pro* συνηγμένοι. *nam hebr.* יעד *quod à* LXX. *Sæpe vertitur* συνάγω *&* συναθροίζω, *convenio, congrego, quandoque ab eis vertitur* τάττομαι. *Exod. 29. v. 53.*

§. 443.

Quôcunque igitur modô hoc oraculum interpretemur, fixum ſemper firmumque manet, Adverſariorum ſententiam eô non probari. Quodſi illud τεταγμένοι de æterna electione uſur-

 patum

paratum esse velis; non poteris sine Sophismatis errore asserturum ire, *fidem esse electionis fructum* §. 441. Perinde enim ratiocinareris, ac si cum Pontificiis ex Gal. 5 v 6. probare institueris, *fidem esse charitatis fructum*; hoc argumento: *credunt vere, quotquot amore Dei, & aliorum quorumvis flagrant: ergo*, quia *flagrant*, *fides* igitur *amoris* effectus est. Si verò vocem τεταγμένοι eo sensu accipias, de quo §. 442. ex te ipso intelliges, quod ne speciem quidem tuæ sententiæ in illo reperias Pauli testimonio.

§. 444.

Reliqua quæ subjungit Vir celeberrimus, non argumenta, à me solvenda, sed suæ sententiæ declarationes sunt. *Fides & opera*, ait, *decretum electionis ingrediuntur, non ut eam antecedant, sed ut consequens*, &c. Hoc autem, quantopere à Sacra scriptura abhorreat, hactenus ostensum est. Nihil igitur superest, quam ut ad examen cæterorum progrediamur.

§. 445.

Verba Celeberrimi Viri sequentia ita habent: *Ait quidem V. R. hujusmodi βάθος ratione sufficienti & determinata carere. An vero, quod DEI εὐδοκία liberrima, & sapientissima voluntate nititur, ratione sufficienti ac determinata caret.* Fateor, me credere, sed & probasse, §. 391. seqq. βάθος illud, quod sola DEI εὐδοκίᾳ rationibus objectivis libera fundatur, vel nullum, vel contradictioni obnoxium esse. Nihil potest esse *βάθος, quam rationum connexarum infinita multitudo, quam finitus intellectus emetiri non potest.* Sola εὐδοκία UNA tantum *ratio* est, ac si nihil accedat, minus determinata, βάθος igitur esse non potest. Ille autem

rationum

rationum infinitarum concursus, *quare alter fidem concipit, alter non concipit*, ubi invenietur, quàm in eo ordine fatorum, cui *eligendus* ab æterno *inserendus prævidebatur*. Sunt igitur solæ objectivæ rationes id, quod possumus appellare βάθος.

§. 446.

Quærit Vir celeberrimus, *an id possit carere determinata ratione, quod liberrima & sapientissima Dei voluntate nititur?* Respondeo; *Si rationes illæ* sapientissimæ sunt, *omnino* determinatæ sunt, *sed &* objectivæ, quod Adversarii sententiam totam evertit. §. 320. 321. seq, Sapientem *electionem statuere. nec tamen concedere* rationes objectivas, tantundem significat, ac negare hominem factum, qui tamen est animans ratione præditum. *Sapientia respicit ordinem adiumentorum & finium.* Si igitur Johanes sapienter est electus ad finem salutis; *num potuit DEus*, abstracta cogitatione, *de scopo salutis cogitare*, nec tamen unà fidem, tanquam salutis adminiculum, propositam habere? Dicis: *est utique Johannes* AD *medium salutis electus: non* IN *eo.* Atqui id perinde est, ac si doceres, Johannem electum AD sapientem *salutis exsequutionem*, non IN sapiente *salutis destinatione.* Quô, quid potest esse à veritate alienius?

§. 447.

Illi profecto habent obscuras sapientis electionis notiones, *qui verbis quidem semper decreti* sapientiam *laudant ac deprædicant, re tamen vera, & si ad explicationem ventum sit, cum* objectivis rationibus sapientiam *ex electione tollunt*.

Quod ſiniſtra manu dare videntur, dextrâ dudum & ſuis, & aliorum oculis ſubtraxerunt. Itaque hic non poteſt eſſe, quod Viri celeberrimi volunt, *diſtinctus*, *ſolidus*, *ac realis electionis conceptus*. *Aut ſapientia conſilium* deſtinandæ ſalutis, nec ſolum exſequendæ, *præcurrit*, *aut non præcurrit*. *Si prius* viſum fuerit, *tum Deo Johannes obverſatur* ſapienter *eligendus*, i. e. *in ordine ſalutis*, quem fidem eſſe novimus: *Si poſterius* tum non ſapienter, ſed caſu Johannes eſt electus, caſu *autem electum ſapientia demum ſequitur*, per quam ad ſalutem *conſequendam*, non *decernendam*, pervenit.

§. 448.

Ex his etiam Vir inclutus perſpicit, id quod mera εὐδοκίᾳ, ſine rationibus objectivis, nititur, ratione determinata carere. Quid eſt *ratio determinata*? ex qua intelligitur, *non ſolum* cur res ſit, *ſed etiam* cur ita ab aliis differat? §. 446. cur hoc diſcrimen habeat? εὐδοκία DEI verò ejusmodi eſt, ut intelligam ex ea tantum, *cur res ſit*, non, cur hanc differentiam ab aliis habeat? *Quid ita?* inquis. Accipe argumentum. Quærenti: *cur Johannes electus?* bene reſpondes: quia ita DEo placuit: Sed ſciſcitanti: Cur præ *Juda* ſit potius *electus*, quàm *reprobatus*? non dextre eandem reſponſionem repetis: quia ita DEo placuit. Nam ſimilium quæſtionum, non autem diverſarum, datur una eademque reſponſio. Illa autem quæſtio ab hac longiſſime diſcrepat.

§. 449.

§. 449.

Dicis: *Meum non est definire:* cur præ Juda Johannes electus, *datur distincta ratio* εὐδοκίας *sed illa me fugit, est enim* βάθος. An & id tibi ignotum est, *sitne ratio* differentis *circa Johannem & Judam* decreti in objectis, an in solo eligente DEO? *Utrum vero perspectum habes, quod sit in* solo DEO eligente? Si prius tibi obscurum & βάθος est, tum significas, βάθος esse, & ignotum: *num* TUA, *an* MEA *sententia vera sit?* Ego enim objectivas decreti rationes credo. Tu nescis, credendæne sint, nec ne? *Cur igitur adversus me disputas?* Cur me impugnas? Quodsi vero tibi exploratum est, *rationem discriminis, quod est inter Johannem & Judam, in solo DEo eligente & volente sitam*; recurrunt eæ difficultates, quas objeci. §. 436. Scilicet eidem εὐδοκίᾳ *non possunt* diversa *arridere, (eligere Johannem, reprobare Judam)* si nihil in objecto discriminis sit, sed omnia diversa sint per ipsam.

§. 450.

Casus est, quum res exsistere fingitur absque ratione. Contra id, quod §. 335. C.III. S.I. diximus. *Ponamus* A. & B perfecte *similia*. Fac. *displicere vehementer ambo*, ita ut si B. in A locum, vel vicissim, A. in B. stationem substituatur, *idem affectus improbandi*, eadem indignitas displicendi *utrobique maneat*. Quodsi cogites, *incipere* εὐδοκίαν v. g. in A. *continuatâ* τȣ̃ B. *improbatione, ratio* εὐδοκίας illius *non potest esse* in A. *quia ex hypothesi* τῷ B. *perfecte simile cogitatur: nec* ratio potest quæri *in voluntate*; cui utrumque ex æquo paulo ante displicuit,

displicuit, nec in εὐδοκίᾳ modo orta, *nec* enim illa potest ratio esse sui ortûs: Ergo nata fuit εὐδοκία sine omni ratione, i. e. existit εὐδοκία cœcu casu. per def.

§. 451.

Atqui talem casum Adversarii fingunt. *Johannes & Judas* obversantur DEO *ut* ex æquo *rebelles*, i. e. odio dignissimi. Incipit autem εὐδοκία in Johanne. Quæritur: *quæ ratio? Non est illa ratio in Johanne vel Juda*, fatentibus Adversariis, quæ perfecte vero similia sunt, non habent fundamentum differentiæ. *Nec ratio est in voluntate*, nam propterea quod paulo ante utrumque displicuit, non potest nunc alterutrum placere, cum utique similia in εὐδοκίᾳ manere dicantur. Nec denique ratio εὐδοκίας potest esse ipsa hæc εὐδοκία, *cum aliâs exsisteret, ordine natura, antequam exsisteret.* Illud, *utpote* εὐδοκία, HOC, *utpote ratio sui ipsius.* Ergo casu cæco *Johannes est electus*, si quidem huic sententiæ præbeatur assensus.

§. 452.

Nulla demonstratio mathematica certior esse potest hôc ratiociniô, nullus etiam patet è difficultate exitus. Non licet amplius ad βάθος provocare, §. 449. clarissime enim cognoscimus, si electionis ratio in sola voluntate eligente quæratur; nullam eam esse, *& contradictioni obnoxium figmentum*, §. 451. *non autem ignotam, non arcanam, nôn absconditam.* Quæ intelligimus *plane nullam rationem* habere, *ea non possunt habere arcanam, nisi forte contradictioni obnoxia credas posse* arcanam habere

habere rationem, *cur esse queant*, non obstante illa, quam intelligimus, idearum pugnâ. Qui in voluntate sola, *nec* vero objectis, rationem delectûs esse contendit, ille vel petit rationem ex voluntate qua est indifferens *adhuc*, i. e. quà nullam differentiam in ordine ad objecta proposita habet: sed ut id rationem differentiæ objectorum habeat, quod non habere talem concipimus, non permittit axioma: *Idem non potest, simul esse, &c.* Vel desumit rationem à voluntate, quatenus est jam determinata, i. e. *quatenus jam eligit*, tum non reddit rationem, sed ludit vocabulis; quærimus enim cur elegerit; non potest autem voluntas elegisse, quia eligit, ne elegerit, antequam elegerit. *Non potest determinata esse*, quia determinata est, ne determinata fuerit, antequam determinata fuerit.

§. 453.

Quantis contradictionibus implicetur illa sententia de voluntate eligente sine rationibus objectivis, gravissime fuit ostensum. Addo adhuc unum. *DEus Johannem electurus, aut suam gloriam, eligendô hôc, propositam habuit, aut non habuit. Non habuisse sibi hanc præfixam*, cave dicas: Habuit ergo præstitutum illum finem. Electio itaque Johannis habuit cum gloria divina nexum. Jam accipe decretorium argumentum: *DEus eligendo Johannem, nexum electi cum sua gloria, reprobando Judam, nexum reprobati cum sua gloria*, aut fecit, aut jam præcurrentem invenit. *Si nexum illum, cum sua gloria*, eligendo *demum*

mum fecit, *tum res est bona ac* DEo gloriosa, quia DEus vult, *non autem vult, quia bona & sibi gloriosa est, contra canonem* §. 120. *Si vero nexum illum cum sua gloria in Johanne & Juda* præstructum invenit, *tum eligit, quia Johannes nexum habet cum sua gloria, tum reprobat, quia reprobatio coniungitur cum sua gloria, præsto igitur sunt rationes eligendi & reprobandi objectivæ.*

§. 454.

Potuit, ais, *DEus in omnibus justitiæ suæ gloriam, quippe lapsis, comprobare, nexus igitur aderat peccatorum cum laude justitiæ, Sed placuit tamen misericordiæ gloriam cum aliquibus coniungere, statutô in cæteris justitiæ documento.* Nunc eodem ratiocinio arctius constringeris. Novum *hunc Johannis cum gloria DEi*, interveniente misericordia, nexum, *aut Deus eligendo* fecit, *aut præcurrentem electurus jam* invenit. *Si prius placeat*, sequitur, *bonum*, & *misericordiæ gloriosum aliquid esse, quia* DEus velit, non autem velle DEum, quia jam bonum, & misericordiæ gloriosum sit, quod est contra §. 120. Si posterius arrideat, stabiliuntur rationes objectivæ, *habuit enim Johannes præ Juda* novum nexum *cum misericordiæ gloria*, ob quem electus fuit, quique nullus alius esse potest, quàm fides.

§. 455.

Postquam ex omni parte dubiis feci, quod satis est, progredior ad reliqua. Verba Viri celeberrimi sequentia hæc sunt. *Asserit, decretum electionis, ut Evangelico-Lutheranis concipitur, obscurum esse secundum rationes speciales non generales:*

Petrum

Petrum exclusis aliis servari, quod convenientius fuerit, id fieri ob fidem hominis hîc & nunc in his circumstantiis præ aliis collocati conceptam, quam cæteri neglexerint. Atqui cum fides non alia sit, nisi fides in Christum, quæ Ephes. 4. v. 5. UNA *dicitur, nescio cur hæc electionis ac discretionis unius individui ab alio caussa generalis non specialis dicatur?*

§. 456.

Non recte assecutus est sensum allegatorum verborum Vir summus. Dixi supra §. 387. seqq. distinguendum esse *inter* electionem ad gloriam, cujus *caussa specialissima* sola fides est; & *inter* destinationem ad gratiam, *quâ βάθος continetur*, §. 388. seqq. & cujus destinationis nullas rationes cognitas habemus, quàm *generalem*, quæ ponitur in opportunitate fatorum, quâ fit, ut, cùm omnes quidem adminicula pædagogiæ habeant, ac sequi possint, tamen non omnes velint. Nam si quæras: *cur hic sit ad gloriam electus*? recte quidem, & specialissime respondetur: *quia fidem ab æterno concepturus prævidebatur.* Quodsi vero roges, *quomodo factum fuerit, ut hic præ altero fidem conceperit*? Nulla alia, nisi generalis ratio afferri potest, quæ indicat, *alium præ alio, ob certum fatorum ordinem*, cui insertus fuerit, *fidem omisisse, vel concepisse.* Sacer enim Codex docet, Matth. 11. v. 21. complures ad meliorem mentem redituros fuisse, si eâdem, ac alii, opportunitate fuissent usi.

§. 457.

Hæc ratio generalis est, reliqua vero specialia immensum βάθος constituunt. Nam si investigare tibi constitutum foret, annon aliter fata contemperari,

temperari, ac res universi omnes, seu eventus hujus mundi ita dirigi potuissent, *ut* v. g. *Incolæ Tyri ac Sidonis resipuissent*; immensum tibi Mare infinitarum meditationum aperiretur, *quod nulla limitata*, qualis omnium est, qui non sunt DEus, *perspicaciâ exhaurire, & satis expendere posses unquam.* Sufficit, *DEum*, pensitatis his eventibus cunctis, quotquot, æternis retro spatiis, possibiles erant, *divina rectitudine judicasse*, quod SATIUS sit *rerum concursus* TALES *coordinare, quàm* ALIOS *quosvis.* Sufficit, nemini certam pædagogiæ ad salutem mensuram deesse, quam si in rem vertere velit, fidei concipiendæ potestas ei proposita sit.

§. 458.

Nunc facile exputari potest, quid de verbis Viri celeberrimi sequentibus judicandum sit? *Cum fides non alia sit nisi fides in Christum, quæ Ephes. 4. v. 5.* UNA *dicitur, nescio, cur hæc electionis & discretionis unius individui ab alio caussa generalis, non specialis dicatur?* Fides igitur, meâ sententiâ, est caussa specialissima, quamobrem homo discernatur ad vitam æternam, sed non est ratio, quare idem discernatur ad gratiam. Immo vero, quia fides gratiæ pars præcipua est, non potest in ea latere ratio, cur homo gratiam in se sentiat efficientem. Una etiam, teste Paulo, fides *manet*, nec plures caussæ salutis *ex parte hominis*, stante hâc sententia, finguntur. Sunt igitur omnia expedita, plana, & veritati consentanea, quæ diximus.

§. 459.

Videamus cætera. *Si hæc fides*, inquit Vir summus,

summus, *prævisa caussa fuit electionis, cur Apostolus dicit, cognitionem, quâ DEus novit, quos, & cur hos, non alios servare velit, profunditatem esse imperscrutabilem? An consilium de singulis individuis, generale: vel consilium, cujus rationes evidentes sunt, imperscrutabile dici meretur?* Fateor me nescire locum, ubi disertis verbis Apostolus significaverit, *cognitionem, qua DEus novit, quos, & cur hos, non alios servare velit, esse βάθος impervium.* Judæorum quidem rejectionem, & adoptionem gentium βάθος esse, ex Rom. cap. 9. & 11. constat, sed non tale, cujus primam rationem nesciamus, i. e. *quæ primo* sciscitanti: cur Judæi rejecti sint? dari potest, nempe *à fidei vacuitate desumta.* vid. Rom. 11. v. 20. Fracti sunt, ait Vir divus, propter perfidiam. Verum potius illud βάθος hoc sensu intelligendum est, quod infinita culparum succedentium pariter ac simul admissarum series, DEum ad subtrahendam Judæis gratiam induxerit, quæ nunquam satis à nobis pervestigari, aut constitui possit, *prævaluerintne illæ rationes, nec ne? potueritne gratia* ulterius relinqui Judæis, necne? *Semper remansura* infinita, *quæ ad decidendam quæstionem, necessaria sint; à Deo* SOLO *posse subduci calculum; nostram capacitatem justo angustiorem esse, quam ut hæc omnia possimus definire;* DEO fidem habendam, quod non sine gravi ratione fecerit, quæcunque fecit.

§. 460.

Et si vel maxime βάθος ullibi referretur ad voluntatem DEI, in conferenda salute, non tamen, illud excluderet cognitionem rationis, quæ vitam

 æternam

æternam proxime attingit, i. e. fidem, *sed arcet potius notitiam rationum* specialium, *quibus ad ipsam* fidem & gratiam, *aditus præbetur*, quæ rationes sua multitudine immensum βάθος constituunt. §. 389. 390. &c. Itaque stat sua DEO impervestigabilium viarum gloria, nec tamen inde continuo sequitur, *electionem rationibus objectivis solutam.* Immo vero βάθος potius tolleretur, si omnia ad solam DEI εὐδοκίαν, rationibus ab electo petitis oppositam, revocarentur. Id quod §. 379. 380. 387. seq. commonstratum est.

§. 467.

Denique Vir celebris ultimam machinam, quâ nos subinde oppugnare solent, admovet, quæ his verbis describitur: *Illa sive fides, sive opera* (eadem enim hactenus illius, & horum ratio) *quorum prævisio DEum movisse dicitur, ut Petrum præ Juda eligeret, num à DEI beneficio, an à libera hominum voluntate, congrua dispositione &c.* manat? *Si à DEI beneficio, nulla electionis dabitur ratio objectiva. Si hominis fœtus est, Pelagio & Semipelagianis applaudendum, rejiciendus Paulus 1. Cor. 4. v. 7. negans esse in homine quidquam, quo unus ab alio in consilio & foro DEI discernatur: negans etiam quemquam habere in se aliquid, quod non acceperit, de quo gloriari possit, & propter quod ab alio discretus fuerit.*

§. 462.

Quo minus faciam cum Viro Doctissimo, affirmante, *eandem esse fidei & operum in electione rationem*, multa & gravia obstant argumenta. In electione *fides* à DEO *non respicitur* ut opus, sed ut instrumentum *recipiens merita Christi.* DEus igitur

igitur ob fidem eligens nihil homini. *sed* filio suo, i. e. SIBI, & suæ gloriæ, *electionis amorem tribuit*, contra si propter opera eligeret, præsertim ea, quæ nonnulli à consensu arbitrii in gratiam excitantem profecta dicunt, cum homine communicaret.

§. 463.

Ubi per fidem Christus sive ab æterno cognitus, sive in tempore obvius est, ibi jura salutis, Joh. 14. v. 6. locum inveniunt. *Si igitur electio justa est, tribuit* credenti, i. e. Christo, Gal. 2. v. 20. (*credens enim & Servator sunt unus* Joh. 17. v. 21.) quod SUUM *est, nempe salutem.* At *diversissima operum ratio*, in quibus nulla sunt salutis jura. Nam cum imperfecta eo usque sint, dum ipsa salus confertur, fieri non potest, ut ab æterno operum rationem electio habuerit, aut habere potuerit.

§. 464.

Quod in tempore *DEum inducere potuit*, ut salutem adjudicaret, imputatâ Christi justitiâ, id & ab æterno *inducere potuit*, ut salus destinaretur: Atqui, fatentibus Adversariis, justi declaramur, à peccatorum culpa absoluti, *interveniente* fidei *intuitu*, in tempore; ergo eodem intuitu ab æterno potuimus eligi. Ratio nexus est hæc: si DEO inglorium est, *fide ad eligendum quemquam moveri, ab æterno*, ne scilicet pendere videatur à re ulla, tum etiam ad minuendum ejus honorem valet, in exsequenda *salute respicere adminicula*, v. g. fidem. Qui à nemine pendere potest, nullo tempore pendere potest, *nec in* consiliis, nec in consiliorum

expeditione. Dicis: *Talem exſequendæ ſalutis ordinem DEus* libero *conſtituit arbitrio; non igitur ipſo indignum eſt, illum ſequi, i. e. reſpicere fidem.* Sed primo idem tibi eſto reſponſum. Libere DEus in deſtinanda *ſalute fidem intuetur*, nullus ergo hîc divinæ obnoxietatis metus. Secundo, ſi Deus neceſſario talis eſt, qui à nemine, ne ullo unquam tempore, pendet, ideoque ob hanc cauſſam fidem reſpicere electurus non poteſt, quomodo fingis, *poſſe illum* in exſequenda *ſalute, ſemet abdicare ill αὐπεροχῇ, quâ à nemine pendet*, adeoque poſtliminiô *ſe fidei obnoxium*, in expediunda *ſalute*, facere, qualem ſe præbere in deſtinanda noluit?

§. 465.

Fidei igitur & operum non eſt eadem ratio. §. 462. 463. 464. Quô præmiſsô reſpondemus ad argumentum. §. 461. *Fides*, cujus prævifio DEum induxit, ut Petrum præ Juda eligeret, *eſt utique divinum beneficium: Sed inde non ſequitur, quod Vir celeberrimus ſequi putat*, nullam dari electionis rationem objectivam. DEus enim ſpectat in Petro, quod ei vel ipſe ab æterno largiendum decrevit. *Hem*, ais, *habeo te conſtrictum meis vinculis. Si DEus fidem ipſe conferendam decrevit, tum eam ſine intuitu alterius cujusdam fidei deſtinavit, reſolvuntur igitur omnia in decretum, objectis rationibus vacuum. Si quis illud affirmaret, ei conditionis conditiones, vel per infinitam ſeriem, ſingendæ forent.*

§. 466.

DEus uno decreto, ut ſæpe dixi, & fidem & ſalutem

ſalutem deſtinat, ſed pro ratione capacitatis hominum, (mere paſſivo ſenſu,) *quâ vel reſiſtunt, vel non reſiſtunt*, i. e. *quatenus adminicula pædagogiæ adhibent, vel non adhibent*. Ut autem adhibere poſſint, in ipſorum poteſtate ſitum, ſæpe dixi. §. 292. *DEus, cùm ab æterno præſagiret, in hoc fatorum poſſibilium ordine, quem ſe digniſſimum judicavit, futurum, ut alius adminicula pædagogiæ adhibeat, alius prætermittat*, uterque arbitrio libero, *ut & agere id, & non agere potuiſſet, in uno hujus ordinis homine fidem poſſe excitari vidit, in altero, non poſſe excitari ordinarie præſenſit*. Quodſi igitur hunc ordinem exſiſtere juſſit, profecto *ſalutem* non ob aliam rationem deſtinare potuit, niſi ob fidem, quam ipſe in homine, *non obluctato*, accendi poſſe, ab æterno cognovit. Beneficium igitur fidei, quantum quantum eſt, à DEO eſt, nec tamen ſequitur, *nullas dari electionis rationes objectivas*.

§. 467.

Sed ſi DEus, ais, *ſalutem ſub ordine fidei deſtinat, quo ordine ipſam deſtinat fidem? An datur ordinis ordo, vel conditionis conditio per infinitam ſeriem?* Jam reſpondi, *fidem ut conſequare*, & ut ab æterno in hoc eventuum ordine conſequi potueris, nil requirebatur, quam *dexter adminiculorum pædagogiæ uſus*, qui viribus naturæ præſtatur, nec ex Pelagianiſmo tamen vel tantillum limi trahit, per §. 360. 361. 362. ſeq. Hæc conditio ex Te eſt, nec ex operatione DEI, niſi forte de generali divino, ad omnes naturæ actiones concurſu, ſermo ſit, cujus tamen, in plantanda nova vita, ratio habetur nulla.

§. 468.

Nunc ultimo impetu aggrederis hanc sententiam. *Si ex usu adminiculorum pædagogiæ pendet, ut DEus fidem operari queat, homo discernit semetipsum, cum tamen Paulus neget in homine esse quidquam, quo alius ab alio in DEI foro discernatur.* Hæc jam in antecedentibus soluta sunt §. 302. 303. 304. seqq. Addo responsionem hanc. Quoniam *omnis destinctio* realis *arguit* rerum *limites, qui,* quia tales, *à Dei efficacia non sunt, fieri haud potest, quin omnes res finitæ* ex se ipsis *discernantur, eo ipso* quia fines *habent,* quia tales *habent,* nec alios. Advertamus, si placet, sequentibus.

§. 469.

An DEus in bruto non minus novam Spiritûs S. vitam accendere potest, ac in homine emendando? Forte me tibi ludibrio fore suspicaris, sed non est jam his locus. An recte tuam mentem sum assecutus, si nomine tuo respondeam? id fieri non posse, *abhorrere à rerum natura, ut in bruto DEus æque operetur, ac in homine,* quà sancto, quà pio. Sed jam liceat quærere: *Quid* hominem *secundum* hanc capacitatem *novæ vitæ* à bruto *discernit?* Numquid sola DDI εὐδοκία, an si, DEus vellet, etiam bestiæ divini illius luminis ac sancti ardoris possent fieri participes? Profecto non est mihi metuendum, ne dicas, ex arbitrio DEI solo, rationibus objectivis soluto, *pendere, ut bruta nequeant ad Christianam cognitionem pietatemque revocari; affirmabis potius,* naturam bestiarum talem esse, quæ hanc operationem excludat,

limi-

limites naturæ brutorum, nisi bruta quidem non bruta fieri posse deliraverimus, *ejusmodi esse, ut sint à gratia remotissimi; addes, rerum fines non permittere, ut dilatentur ad recipiendum Spiritum S. opus futurum esse in bestiis majori percipiendi capacitate, quæ intellectum pariat, quod si autem perceptionis eorum fines eousque amplificarentur, non amplius* futura bruta, sed homines; *Itaque homines à brutis, quæ plane nullius gratiæ consortia esse queunt, discerni per ipsam suam naturam, quà limitatam, quà* his dotibus nec pluribus præditam.

§. 470.

Recte hæc omnia dicuntur & solide. Sed *quæ ratio est integrarum classium*, (hominum, brutorum) *ea etiam est rerum in classibus individuarum*, (hominum singulorum inter se mutuo) sicuti propterea DEus in una rerum classe, (specie) operari sapienter nequit, *quod in altera tamen potest, quia* talem *habet* limitatam naturam, quæ aliter effici, *salvâ hac specie*, non potest: ita etiam in singulis *unius classis* rebus, v. g. individuis hominibus, ob hanc DEus caussam præstare sapienter non potest, quod in aliis individuis hominibus potest, quia in HOC eventuum ac fatorum ordine, *qui salvô hoc individuô mutari nequit, tales limites vel habent*, vel sibi *liberrime* constituunt, ut eos gratia attingere nequeat. *Uti discernuntur integræ classes* suis ipsarum finibus, majorem DEI benignitatem efficaciamque non admittentibus, *si ipsa species non mutanda sit: Sic distinguuntur etiam* ejusdem speciei res singulæ per suos fines, qui non admittunt majorem grati-

am, nisi totus fatorum ordo mutetur, quo ipso autem alia individua res emergeret. Nam *individuum est, in quo determinata cogitantur omnia, quæcunque cogitantur, & secundum* ordinem temporis, & spatii. Quodsi igitur alius v. g. *temporis* ordo in individuo cogitatur, non amplius *idem*, sed *diversum*, animo repræsentatur. Quippe nullum dubium est, quin, si ego Abrahami temporibus natus fuissem, non idem essem homo individuus, atque nunc sum.

§. 471.

Quemadmodum igitur homines individui à cæteris *discernuntur non* merâ DEI εὐδοκίᾳ, sed quia HIS præcise *donis*, *nec* ALIIS *instructi*, quia HOC *tempore nec* ALIO *vivunt*, quia HOC loco, nec ALIO morantur, quia hoc fatorum ordine, nec ALIO, utuntur; Sic etiam gratiæ discrimen iisdem rationibus continetur; quippe ejus effectus & vestigia determinantur per conditiones individuas eorum, quos attingunt. Nam *cum Spiritus S.* in ME operans non distinctus sit AB EO, qui operatur in *Christianis* reliquis, profecto ab eodem *spiritu non possunt pendere tot effectuum discrimina*, quæ fines alterorum ab alteris distinguunt, oportet potius *differentias illas*, quà tales, *oriri à* limitatione rerum.

§. 472.

Paulus utique ait 1. Cor. 12. *exsistunt donorum varietates, quas omnes idem impertit Spiritus*. Sed uti non sequitur: *Uno eodemque vento afflantur omnes in organo musico tibiæ: ergo &* ipsa *tibiarum* differens capacitas *vento originem debet:* Sic & nullo sunt nexu ligatæ propositiones hæ: *Idem Spiritus in*

regno

regno gratiæ omne bonum perficit, quodcunque perficitur: ergo rerum finitarum diversa capacitas, *æterna DEI præsensione repræsentata, quæ efficaciam DEI diversis modulis excipiendo varias ejus effectus parit, soli εὐδοκίᾳ DEI originem debet.*

§. 473.

Pendet à DEO, inquis, *capacitatem rerum* augere, minuere. Recte tu quidem suo sensu. Nam his verbis significas, *posse DEum* his individuis alia *substituere*, aliis *finibus circumscripta*, *quod nemo negat.* Sed quæstio est, an, *si DEus individuum* HOC *tempore*, HOC *loco possibile*, HIS *donorum* terminis, *circumscribendum, exsistere jubeat, termini, per quos ab* aliis rebus differt, à mero DEI lubitu *pendeant, salvô tamen eodem individuo?* Non affirmabis quæstionem, ne contradictione impedita affirmes. Itaque intelligis, ut primum DEus HUNC gratiæ ordinem, HANC administrationem & oeconomiam individuam, i. e. cum omnibus determinationibus HIS consideratam, exsistere jusserit, *personarum*, secundum gratiæ mensuram, *distinctionem ortam fuisse ex rerum limitibus*, sese mutuo definientibus, qui æterna retro repræsentatione sic, nec aliter, possibiles DEo obversabantur, *si* eadem *quidem individua series manere debuerit.*

§. 474.

Ut hæc, *quæ paulo subtiliora, & à sensibus remotiora sunt*, non solum ulterius illustrentur, verùm etiam probentur, exemplo Petri Apostoli utar. *Quid hunc à Christo Servatore discrevit?* Cur non eadem *immensa in Petrum gratia fuit à DEO collata, quæ Sospitatori à Patre tribuebatur?* Sane in solvenda hac

quæstione non recurris ad solam DEI *εὐδοκίαν*; quasi vero voluntas DEi indifferens, *rationibus objectivis soluta*, facere potuisset, ut, si modo fuisset visum, Petro idem gratiæ pondus obtigisset, quod Christo: provocas potius ad naturam ipsorum objectorum, de quorum gratiæ differentia sermo est. Dicis: *Si Petro tantum fuisset concessum ac Christo* Petrus desiisset esse Petrus, *& exstitisset θεάνθρωπος*, quod ipsis rerum ideis ab æterno repræsentatis adversum sit. *Eundem enim non posse simul esse Petrum, & tamen non Petrum* i. e. *θεάνθρωπον*. Itaque *discrimen gratiæ* ex ipsa *objecti* finita *natura*, quà tali, resultat.

§. 475.

Sed simile judicium formari debet, ubi res finitæ comparantur inter se ipsas. *An Judas, si omnibus iis opportunitatibus* internis, externis *usus*, *si* iisdem *parentibus*, eodem *temperamento*, iisdem *donis instructus fuisset, quo fuerat Petrus, non venisset in spem salutis certissimam?* Venisset *ais*, procul dubio. Pendet igitur ab individuis Judæ conditionibus, ut gratia non eandem in ipso consecuta effectum fuerit, quem attingebat in Petro. *Cur ergo DEus Judam non eidem fatorum ordini inseruit*, cui innexuit Petrum? Ratio est in promtu. Quia *Judas* non amplius fuisset Judas, sed Petrus, si omnia fuissent in *illo*, quæ in *hoc*, idque per §. 336. Atqui, cum Petrus jam exstiterit, aliud ab eo individuum creandum fuit.

§. 476.

Unicum restat dubium. *Quare igitur DEus non*

non alia, ac Judæ similia, ex eorum numero, quæ æternis abhinc spatiis possibilia erant, prodire in hoc exsistentium Systema jussit, quæ sua individuâ natura gratiam allabentem non exclusissent? Recurrit hîc eadem responsio, quæ dari solet de mali permissione generatim sciscitantibus, exposita §. 224. seqq. quorsum velim remissos.

§. 477.

Si igitur, inquis, *contradictioni obnoxium est, cogitare Judam, alio eventuum ordine collocatum, ne Judas sit non Judas*, §. 476. *sequitur geometricam peccandi necessitatem Judæ fuisse impositam.* His & ejusmodi argutiis solet doctrina de prædestinatione implicari. Sed nodum quærimus in scirpo. Si individui notionem formo, cogito rem ex omni parte, *ratione* temporis, loci, actionum, &c. *determinatam*; per §. 470. sensu composito igitur contradictioni obnoxium est, quod ITA determinatum est, aliter determinatum cogitare. §. 216. Sed, sensu diviso, nihil obstat, quo minus id ipsum facultate polluerit, se aliter determinandi. Ita Judas libertate instructus erat utendi adminiculis pædagogiæ, i. e. rectius considerandi admonitiones Christi, quod si fecisset, HOC individuum *non mansisset* amplius, QUOD, rebus sic cadentibus, fuit, nempe improbum, *sed* evasisset, Christi efficaciâ, credens, *pium*, DEO *probatum*.

§. 478.

Si *individua personarum conditiones* gratiæ effectus non determinant, nec, *ratione fructus*, alium hominem ab alio discernunt, eadem gratiæ mensu-

ra

ria in contrariis personarum individuisque conditionibus, eundem effectum ex se pariet, v. g. Si Titius hâc gratiæ mensurâ non resipiscit, tum nec eâdem resipiscet Sempronius, licet refragantium affectuum minori tumultu sese opponat. *Atqui Christus negat id fieri, confirmans* Matth. 11, v. 21. Si *eâdem gratiæ mensura Tyriis fuisset concessa, qua usa Bethsaida, futurum fuisse, ut illi ad frugem rediissent*: itaque personarum individuæ conditiones gratiæ divinæ limites ponunt, iisdemque alium ab alio distinguunt, quod Celeberrimus Hottingerus impugnare conatur.

§. 479.

Venit in mentem, Paulum dixisse: 1. Cor. 4. v. 7. *Quis te anteposuit?* Non igitur *gratiæ discrimen inferri per conditiones personarum individuas; Sed vicissim conditionibus personarum individuis discrimen addi à gratia.* Hoc argumentum eadem fallacia nititur, qua sequens: navim commodam & expeditam nemo graviori & impeditiori anteposuit, quâm utriusque Faber: ergo discrimen, quô illa citius, hæc serius portum attingit, *non infertur arti* Fabricatoris *per diversam* materiam, *sed* potius vicissim *materiæ discrimen* illud *additur* ab arte.

§. 480.

Gloria DEo nulla eripitur, tametsi ipsæ hominum naturæ, *aliæ ab aliis, in respuendis, aut admittendis gratiæ præsidiis pædagogicis, decernantur.* Nam cum primo DEus ex *infinitis* naturis, *ab æterno possibilibus, iisdemque individuis*, talem v. g. exsistere suo tempore jusserit, quæ alterâ, etiam expossibilium æternorum numero prodire jussâ, in eo præstantior

ſtantior eſt, ut pædagogiæ adminiculis non ſolum NB. (uti omnes) recte uti poſſit, ſed & velit: omnis laus ſarta tectaque ipſi *ſervatur*, *quippe* à quo *pendet*, *ut unius præ altera prærogativa* NB. exſiſtat. Secundo, cum & id Numini ſit tribuendum, *ut naturæ omnes ab æterno ſint* poſſibiles, *ideoque* ut etiam *illarum* prærogativa, ex natura ipſa fluens, fuerit ab æterno poſſibilis, profecto nihil DEo detogatur, quamvis gratia ejus à naturis determinatur, ideoque hæ, in adhibenda aut reſpuenda pædagogia, ſemet ipſæ diſcernant.

§. 481.

Nam uti non poſſunt non habere ex ſe ipſis, (quia limitatæ ſunt) fines, aliæ aliis ampliores, v. g. majorem minoremve adtendendi *promtitudinem ac voluntatem*: ita etiam fieri non poteſt, quin à ſe mutuo, ex ſe ipſis, & interventu illorum finium, *diſcernantur*, *ideoque gratiæ allabenti* differentiam *contrarii eventûs afferant.* Neque enim res, ut in ſuperioribus paginis dixi, à ſe aliter quam ſuis finibus, diſcerni poſſunt. Quodſi omnes homines eadem donorum gradu ac numero præditi forent, nulla eorum amplius foret diſtinctio.

§. 482.

Recitabo nunc cætera à celeberrimo Viro profecta verba. *Quodſi vero ſcapham ſcapham appellare licet, qui ſibi fidem, opera &c. arrogant, quicunque illi ſint, divitias DEi: plenam rationem cur DEus alios amârit, alios odio habuerit, reddentes, judiciorum DEi imperſcrutabilitatem: media ſalutis ab hominis voluntate, diſpoſitione, in aliis, aliisque circumſtantiis* colloca-

collocatione suspendentes. viarum DEi impenetrabilitatem tollunt.

§. 483.

Respondebo verbis alienis: *Consonat Dannenhauerus inquiens: Voluntas DEi arcana est vel revelata, vid. Lutherus T. III. lat. p. 189. Arcana (1.) in non revelato providentiæ divinæ generalis ductu, reductu, deductu, subductu (2.) in viis revelatis ipsis, in quibus multi adhuc recessus latent. Rom. 11. v. 33.* conf. *1. Cor. 13. v. 12. Κατὰ το βάθος mysteriorum. Non diffitemur inquit Kœnigius, esse quadam in mediorum salutis dispensatione inter æquales sæpe inæqualia, arcana & impervestigabili DEi judicio committenda. Rom. 11. v. 35. Ut adeo fallantur, qui nobis exprobrant, quasi in hoc argumento nullum βάθος agnoscamus.*

§. 484.

In hac nostra sententia, quâ rationes objectivæ urgentur, SOLA, τῷ βάθει posse esse locum, supra demonstravimus. Tantum igitur abest, ut viarum DEI impervestigabiles recessus negemus, ut potius ii, qui omnia ad solam, *objecto non motam, DEI* εὐδοκίαν, referunt, DEO gloriam non perscrutandæ sapientiæ, vel non opinantes, eripiant. Absit tamen, ut hanc consequentiam, ex eorum dogmatibus prono alveo fluentem, invitis illis obtrudamus, vel ex ea Viros optimos, doctissimosque ipsos metiamur. Maximum βάθος, idque non revelatum, ponitur in aditu ad gratiam & fidem, *qui aliis facillimus, aliis difficilior, aliis denique difficillimus præbetur,* de quibus omnibus supra à me dictum.

§. 485.

DEum, ait Vir celeberrimus, *volunt & à consilio, & à merito hominis, voluntatis suæ munere DEo præro-*

prærogantis, præveniri. Exprobrationi huic locum non esse, ex iis cognoscitur, quæ disputata à me sunt in antecedentibus. DEus nos proprie loquendo non eligit propter fidem, sed in fide. *Quare si non-nisi credentes eligit, non prævenitur à credentibus; sed inducitur sui Filii* divino merito, *nobis ab æterno imputabili per fidem*, i. e. movetur se ipso. Ipse enim & Filius unum sunt. Joh. 10. v. 30. Qui autem per fidem inserti Christo, *etiam unum sunt cum Filio.* Joh. 17. v. 21. *Non eligitur fides, sed Christi meritum homini imputatum.* Non virtus hominis, sed infinita perfectio DEI, quatenus collata in hominem, forensi judicio, intelligitur ab æterno. Non prævenimus DEum eligentem, sed nos à DEo, NB. quatenus per ingeneratam fidem præventi, eligimur.

§. 486.

Postrema denique verba Viri celeberrimi hæc sunt. *Et quia per hominem stabit, ut, si non possit, saltem si velit, ipse operetur, neque ex DEo, neque per DEum, neque ad DEum, omnia erunt, sed salutis gloria ad hominem redibit, qui homo, si nolit, omnia quæ DEus faciet & volet, frustra erunt.* Hæc verba significant, non satis assecutum esse Virum Celeberrimum, ea, quæ, ad integram hanc sententiam pertinent, in superioribus etiam passim exposita.

§. 487.

Non possumus velle gratiam, à qua quippe semper, *non naturæ* tantum depravatæ *instinctu*, sed & *moroso affectu*, quanti, quanti sumus, abhorremus, possumus tamen adhibere adminicula pædagogiæ. *Nec* sub initium, nec in progressu,

nec

nec ſub finem quidquam valemus ad impetrandam novam vitam, eo ipſo quia exanimes ſumus, in noſtra tamen poteſtate ſitum eſt, reſpuere, aut ſequi pædagogiam.

§. 488.

Mea facio verba ac ſententiam ſummorum Virorum, quorum unus ita: *Non ſolum itaque homo nihil ad ſui converſionem confert poſitive: Sed nec negative: quando enim, & quod moroſe ac perſeveranter non repugnat, prævenienti motui divino, converſionem ejus intendenti & aggredienti, abſentia repugnantiæ adſcribenda venit, adeoque ejusdem prævenientis gratiæ beneficium eſt.* item alibi: *Verum eſt, Deum hos ſolos prædeſtinaſſe ad fidem, fideique perſeverantiam, qui primos motus gratiæ ad converſionem moventis, non repudiârint, quod per eosdem primos motus, ſeu prævenientem gratiam omittere poterant.*

§. 489.

Occurrit hîc dubium, cujus ſubtilitas forte Viros celeberrimos adhuc ſuſpenſos tenet. Dicimus, *poſſe nos gratiæ DEI reſiſtere, reſiſtendi vires*, quippe malignas, *proprias eſſe, ſed facultatem non reſiſtendi, etiam temperandi moroſum affectum, proficiſci à gratia præveniente, ita ut nemo moroſam obluctandi malitiam cohibeat, niſi idem ſit à gratia præveniente comprehenſus, gratiam vero prævenientem* omnium Chriſtianorum communem eſſe. Sed nunc quæritur, an etiam primo gratiæ prævenientis allapſui reſiſtere poſſumus, nec ne? Poſſe ei à nobis reſiſti, certum vel ideoque eſt, *quoniam Sacrarum litterarum periti profitentur, gratiam illam* inevitabilem *quidem eſſe, quippe ſæpe repulſam ſemper deer-*

redeuntem, sed non talem, cui nemo obluctari *queat*, i. e. ejus effectum impedire, qui in præparatione ad ulteriorem gratiæ progressum ponitur.

§. 490.

Aut igitur id, ut primo *gratiæ pravenientis allapsui* non resistamus, *in nostra situm est potestate, aut non est. Si est*, cur diximus, *à Deo pendere, ut non obluctemur morose? Si* NON *est*, tum nova vita confertur operatione, *cui absolute* non potest resisti, i. e. operatione tali, quæ omnem resistendi malitiam, à capite instaurationis, ad calcem usque, ex se ipsa tollit; itaque ubi DEus sic operari constituit, *omnes effectus non possunt non sequi*; ubi id non faciendum decrevit, homo primo gratiæ prævenientis allapsui resistat necesse est, adeoque effectus secuturos sufflaminet.

§. 491.

Si dicas: ipsam gratiam prævenientem præstare, ut ipsius primo allapsui nemo se opponat, *tum vel omnes nova animabuntur vita; quia in* omnibus omnis *resistendi morositas*, omnibus *momentis per gratiam prævenientem, qua* omnium *est, tollitur: vel gratia illa sine rationibus objectivis, in* ALIO *resistendi motus comprimit*; in alio non *comprimit, quod adversarii volunt.*

§. 492.

Fatendum igitur est, *stare penès hominem*, ut non resistat *primo gratiæ pravenientis pulsui*. Sed ne hoc in sinistram partem interpreteris, observes velim, *alium esse illum motum, quô resistimus*

primo gratiæ prævenientis appulſui, *alium iſtum,* quo reſiſtimus gratiæ jam appulſæ, non dico: jam operanti, vel penetranti, quippe cui non poſſumus non omni modo & ſemper ponere obicem, illum motum *auferre,* penes nos eſt, *non vero* hunc.

§. 493.

Quid eſt gratiæ prævenientis *primus adpulſus?* Eſt verbi divini *adhuc vel plane ignorati* (ut apud gentes) *vel ab aliis oblati, eiusdemque non meditati,* primum præconium. Quid maxime ſignificat, huic gratiæ non reſiſtere? *Innuit ad oblatum extrinſecus verbum adtendere, nec aures nec mentem aliorſum vertere,* ſed, *uti in rebus naturalibus quoque poſſumus, eſſe præſenti animo, nec aliorſum cogitando evagari.* Ut primum hoc factum eſt, concipit animus gratiam prævenientem. Exiſtimo hanc non reſiſtendi facultatem homini concedendam, niſi puram impulſuum affluentium machinam *velimus illum adpellare.*

§. 494.

Poſtquam *concepta* eſt gratia præveniens, i. e. *attentione ad verbi primam propoſitionem,* una aut altera *veritas* qualicunque modo *cognita,* quidquid motuum moroſe aut naturaliter renitentium tollitur, id gratiæ prævenienris interventu tollitur. *Ebulliunt* v.g. *affectus, tumultuantur adpeditus contra paucas veritates dinini verbi agnitas, exſerit ſe acedia naturalis,* quæcunque autem his ſuſpiria, quæ preces, quæ deſideria opponuntur, pro gratia, i. e. pro efficacia, illius qualiscunque cognitionis, impetranda, ea omnia oriuntur à gratia præveniente. Niſi enim

quas-

quasdam veritates de nostra ipsorum corruptione, ac necessaria medicina, perspectas haberemus nec novi cordis donum optaturi, nec pro eo impetrando precaturi, nec ullo ejus adpetitu essemus commovendi. Itaque *initium, progressus & finis* instaurationis à gratia est. Itaque etiam, quum non resistimus morose, id verbo sane DEI debetur, à quo ad id fuimus excitati.

§. 495.

Nihil hic ad hominem pertinet, nihil ex ipso est, nisi *quod* primùm prædicato verbo voluerit aurem attentam præbere, ideoque quædam summa fidei capita *de suo peccato, & oblato servatore*, cognoscere. Ipsa deinde hæc notitia suis viribus efficaciam infert, dummodo Auditor veritatum non obliviscatur 1. Cor. 15. v. 2. Psal. 119. v. 11. nec negotiis hujus mundi, complures dies, sine ulla ejus recordatione, implicetur, nec memoriam ejus, per regulam phantasiæ, occasione perceptionis præsentium rerum, recurrentem, supina negligentia dimittat.

§. 496.

Nescio an quisquam Adversariorum hanc homini facultatem adjudicare audeat. Nam, *si homo ad verbum DEi*, ea ratione, quâ ad res alias naturales, *animum advertere nequit, sine vi ipsius verbi*, tum verbum operabitur, antequam operabitur, vel certe operabitur efficaciâ à verbo distinctâ. Nullum verbum in nobis unquam excitare ideas potest, nisi simus animo præsenti, id, ad quod non attendimus, nulla sui nos afficit cogitatione. *Verbum enim generatim est signum cogitationis alte-*

rius, articulato linguæ sono, expressum, vel litteris descriptum. Quodsi ad signum non adtendimus, quomodo cogitatio rei signatæ animum subire potest? In verbo DEI accedit *ad illud signum mentis divinæ*, de salute nostra, vis quædam incomparabilis, à Spiritu S. profecta. *Est igitur* non solum verbum, sed & divina præditum efficaciâ.

§. 497.

Finge nunc, *illam divinam Spiritus vim operari antequam homo adtendat*, (quod fieri deberet, si ipsa hæc vis & attentionem excitaret, ne attentio esset, antequam esset) tum illa efficacia, utpote à verbo sejuncta, operabitur. *Nam si cum verbo conjuncta ageret, tum & verbum in partem actionis, suo modo, veniret, ad quod requiritur attentio:* per §. 496. Atqui in prima verbi operatione nondum præsto est attentio, juxta Te, verum nunc demum per illam ipsam excitanda: efficacia igitur illa sine verbo ageret, *quia attntionem* non præstrueret, sed efficeret demum, *Hoc autem figmentum proxime a Fanaticismo abest.*

§. 498.

Nunc demum intelligitur, *quomodo* omnis *quidem* resistendi *conatus* excepto uno, §. 496. *per gratiam prævenientem*, & secuturos gradus *tollatur*, *nec tamen DEi homines instauraturi consilium ab omnibus* objecti, quod Spiritus S. sua operatione afficit, conditionibus, *sejunctum sit.* In quo summa hujus doctrinæ difficultas omnium judicio sita.

§. 499.

Simul atque per attentionem cœlestes aliquot veritates v.g. *de nostro morbo, & Servatore solo Medico,*

co, cognitæ ſunt, & aſſenſus, & fiducia, & inde natum pietatis ſtudium, reliquaque bona Spiritûs omnia, quotquot, & quanta ſunt, ab eadem gratia præveniente, i. e. à cognitis veritatibus, pendent. Si quæſivero: *Cur Petrus neceſſarias aliquot de ſua ſalute veritates cognoſcat?* recte reſpondetur: *quia eas ex verbo adtente audito hauſit.* Ebr. 3. v. 15. Sin ulterius rogavero? *Cur eis veritatibus præbet aſſenſum?* ſolide regeritur: *quoniam iſthæc doctrina ſe ut veram homini adprobavit.* Rom. 10. v. 17. Joh. 6. v. 69.

§. 500.

Sciſcitanti: *cur in Chriſto omnem æternæ ſalutis fiduciam collocet, peccatorumque veniam ſuorum exploratiſſimam habet?* Dicendum; *quia generali de Chriſto, culpas expiante, propoſitioni aſſenſum præbuit, eandemque veritatem ad ſe applicando, convictus fuit,* & ſuas ipſius individuas culpas à Chriſto, oblatâ hoſtiâ, expiatas. 1. Tim. 1. v. 15. 16. Quærenti: *cur tanto Chriſti amore flagret, ejusdemque impulſu, exactum præſtet obſequium?* 1. Joh. 5. v. 3. cauſſa aperitur hæc: *quia, à quo ſua novit peccata erroresque condonatos, eundem non poteſt non amare.* Luc. 7. v. 47. Vides ſubinde alium gratiæ gradum ex alio ſequi, nec intervenire quidquam, quod operationi divinæ non deberetur.

§. 501.

In progreſſu *gratiæ*, ut primum gratia præveniens concepta eſt, §. 493. ipſa attentio ad verbum DEI, quam non reſiſtendi facultatem eſſe, ſuo modo, dixi, §. 493. iam à gratia præveniente eſt, jam non eſt, Non eſt, ſi, ob nullam aliam

caussam moventem, verbo DEI adtendo, quam ut id cognoscam, quo consilio & alias artes scientiasque addiscimus. Est autem illa attentio *à gratia* præveniente, si propterea animum adverto, ut qualicunque illa cognitione ulterius in meam salutem utar. Primo casu, gratia præveniens, quamvis continuata accedat adtentio, non parit ulteriores gratiæ fructus: Sed casu posteriore. Quodsi porro novæ collatæ gratiæ propter hanc caussam solicitius, ác diutius animo præsens sum, ut & ipsam possim ad confirmandam spem novæ vitæ adhibere, tum & illa attentio à gratia est, & propius iterum ad novam fidei vitam accedit, & sic deinceps.

§. 502.

Omnis veritatum de salute cognitio, quôcunque gradû, *addit animo quendam divinum instinctum, cognitionis gradui respondentem magnitudine, quem omnis homo*, adhibita animi præsentiâ, *sentire potest* Nam uti luminis ad oculos allapsus, sic & gratiæ instinctus sentitur per se ipsum, eô ipsô, quia instinctus est. Ipsa attentio ad hunc instinctum à gratia est, quia non esset illa, nisi hic solicitasset. Alia ratio est attentionis primæ, de qua §. 439. & illius, §. 501. quæ saltim tendit, ut verbum, ceu alias naturales scientias, intelligam, non ut divinam ejus vim sentiam. Hæc enim attentio à viribus naturæ proficiscitur.

§. 503.

Quodsi contigerit, *ut homo arcanos gratiæ prævenientis instinctus tumultu pravorum affectuum interstrepat*, caducarum rerum nimia cura comprimat, imo ipsum verbum sensim dimittat ex memoria, quod fieri potest; 1. Corinth. 15, vers. 2. tum

tum utique gratiæ resistitur, repercussâ in hominem totius perniciei culpâ. Sed tantum abest, *inglorium DEO esse*, ut quidquam operetur, quod successu fructuque careat, *quantum abest*, *ut ei ignominiosum* sit, *si solis radii*, *quorum agendi vim suo concursu sustentat*, *à densis cavernarum subterranearum muris*, nullâ earum secutâ illuminatione, *reflectantur*. Uti enim ipsi limites rerum hoc poscunt, ita requirunt etiam exigui attentionis fines, ut gratiæ vis, *juxta sapientiam & ordinem*, animos impenetrabiles relinquat.

§. 504.

Ex his varia solvi dubia possunt. Primum potest peti ab exemplo Lydiæ, de qua testantur Acta cap. 16. v. 14. *DEum cor ejus aperuisse*, *ut verbo DEI adtenderet*; ex quo colligi posse videtur, *ipsam quoque adtentionem ad verbum DEI gratiæ effectum esse*. Verùm non est sermo *de ea attentione*, quæ verbo primum prædicato dedicatur, quam exposui §. 493. Nisi enim Lydia divini verbi famâ commota fuisset, locô illô publicô, ubi Paulus prædicabat, non comparuisset: Sed potius hîc mentio fit *attentionis illius*, quæ divina est §. 505.

§. 505.

Addunt, *DEO volente*, *complurium animos ita induruisse*, *ut verbo præbere aures non potuerint*; *itaque & attentionem à DEO oriri*, *quâ verbum Christi primo excipimus*: Sed, ut omittam *attentionis esse genera aliquot*, alterum naturale, alterum divinum, §. 501. certum est, mortales, quorum cor adeo pinguefactum, ipsos ejus miseriæ auctores esse, *quoniam gratiam sæpe illapsam non animadvertendo*,

 habi-

habitum non adtendendi, eadem spernendi, ita *contraxerunt*, ut posthæc imperium mentis tam improbæ capessere gratia nequeat, *accedente justâ DEI pœnâ*, qua gratia aufertur, & funesta illa animi propensio confirmatur. de quibus supra dictum.

§. 506.

Christi etiam testimonio cognitum, *Cacodæmonem obliquare animas*, ad quos verbi divini præconium dirigitur. Matth. 13. v. 19. Sed id non eo valet, ut plane non ullam relinquat adtendendi facultatem; aliter etiam impedire posset, quo minus Livium cum attentione legeres: Sed id modo consequitur, Diabolus ut varia sensibus impedimenta objiciendo, mentem ita distrahat, *quò ipsa amplius adtendere* nolit, *cum tamen serium adtendendi propositum impedimenta dissipare* possit.

§. 507.

Quum in homine, divinis viribus adtento, *crebras gratia victorias à repetitis variisque resistendi conatibus reportavit*, quoniam vestigia eorum, quorum conscientiâ afficimur, pleraque, imo, me judice, omnia, in animo conservantur, colligitur tandem innumerabilium meditationum, notitiarum, sensuum, motuum instinctuumque multitudo; *quæ omnia* in abyssum *animi descendentia, & occasione* perceptionum præsentium, cum quibus aliquid commune habent, *suo tempore reditura, si eousque augentur, ut hominem tandem*, quâvis vera cognoscendi, bona adpetendi, exsequendique occasione, *ad obsequium Sospitatori, tam bene merito, adprobandum instigent*, ideoque for-

fortiora evadant, quam infiniti malorum instinctus, ex labe originaria, ad malum irritantes, & rapientes in partem contrariam; tum demum, novæ vitæ adhuc embryo, primùm nascitur, *variis posthac accessionibus ad magnitudinem divinam formandus*, Ephes. 4. v. 13. continua Christianæ pietatis exercitatione, & gratiæ præsidiorum strenuo usû.

§. 508.

Quam altas in animo radices agat fides, pietasque Christiana, hinc intelligitur. Nam uti planta, (huic enim DEI in anima opus comparat S. Scriptura e. g. Matth. 13. v. 32.) sustentatur radice minus conspicua, tellure obruta ac tecta: sic, *quæ ab homine pio profecta* in oculos cadunt, *fundantur* minus conspicuis, *& animi* fundo *comprehensis*. Sed, quemadmodum ipsa radix ab innumerabili tenuium fibrillarum multitudine initium capit; quæ variis recessibus per terram repunt: ita quoque datur in mente, pie Christiana, immensa abyssus *notitiarum, luminum, instinctuum, affectuum*, olim sensim collectorum, nunc *occasione præsentis exercitationis, & perceptionis*, redeuntium, quæ *abyssus* alteri, per naturam ingeneratæ, de qua S. I. C. I. è diametro *opposita* Spiritûs vocabulo insignitur.

§. 509.

Ex eadem ratione intelligitur, cur illa inenarrabilia dicantur, quæ mens fide in Servatorem imbuta in se experitur. *Sicuti enim nemo*, quanta vis sit novæ vitæ, *cognoscit, nisi qui iisdem innumeris affectibus luminibus, instinctibus & olim perculsus est, &*

hodie percellitur: ſic &, qua mente affectus ſit is, quem S. Spiritus animat, *quos motus*, *quæ deſideria*, *quam voluptatem ſentiat*: propter immenſam animi abyſſum, imperitis harum rerum explicari nequaquam poteſt. vid. 1. Cor. 2. v. 9.

§. 510.

Sæpe uſu evenit, ut, quamvis Eruditus infinitas cum vocabulorum ex variis linguis, tum rerum & veritatum ideas animo complectatur, tamen vel ob animi, corporisque ægritudinem, vel ob aliam cauſſam facile emergentem, in memoriam plerarumque rerum venire non poſſit. *Siquid ejusmodi hominibus*, nova vita animatis, *obtingit*, ut, ob afflictionum vexantium *gravitatem ac dolorem*, infinitas illas in animi abyſſo jacentes, olim collectas §. 507. *convictiones*, *lumina*, *affectus*, perceptiones, *ſentire confeſtim nequeant*, ſi argumenta v. g. ex verbo DEI pro veritate hujus aut iſtius graviſſimæ doctrinæ cognita, cum tanta efficacia, uti olim factum, vel non continuo ſuccurrant, vel obſervata, non ex æquo dejectos animos percellant; tum incipit triſtis quædam fidei imbecillitas, multis dubitationibus interpolata. Jacent *quidem in animi abyſſo omnia bona, quæ antehac præſto erant*, *ſed non* ſentiuntur; *non deleta ſunt operationum Spiritus veſtigia*, *ſed uno tumultuario adſpectu conſiderata*, *variata* adparent, non ſunt.

§. 511.

Tandem, quid de poſtremis Viri celeerrimi verbis ſentiendum, facile ex dictis cognoſcitur. *Homo ſi nolit*, *omnia*, *quæ DEus faciet & volet*, *fruſtra erunt*. Neque enim fruſtranea DEI opera in hominibus

nibus sunt, si hi, non attendendo ad illius verbum, gratiæ vires repellunt. Propositum est DEI verbum vel adtendentibus in odorem vitæ, vel negligentibus in odorem mortis. 2.Cor. 2. v. 16. *Non minus DEi gratia suo effectu potitur*, si homo adtendit, quam si non adtendit. Illinc *secutâ resipiscentiâ*, hinc, si ab omnibus discesseris, *ἀναπολογησίᾳ*. Nam *etsi resipiscentiæ eventum* gratia in omnibus intendat; tamen *tantum abest, ut frustanea DEI operatio adpellari queat, quum nonnullos ob horrendam in tractando verbo incuriam penetrare non potest, quantum abest, ut solis fulgor effectu cassus dici mereatur, si cellas densis circum muris clausas collustrare nequit*. Quod alterum in regno gratiæ absurdum ac DEO inglorium foret, esset & alterum in regno naturæ, cum idem in utroque DEus *imperet*, Quæcunque dicentur adversus hoc simile, extra tertium comparationis erunt, & vim argumentandi ipsam non evertent.

§. 512.

Hæc sunt quæ de electione dicenda suscepi. Qui electionem objectivis rationibus solutam docent, doctrinæ suæ Systema solis DEI theoreticis perfectionibus, v. g. *independentiæ* (liceat ita loqui) *æternæ præscientiæ rerum*, ac similibus, superstruunt, *nullâ habitâ practicarum DEI perfectionum*, v. g. *justitiæ*, *sapientiæ*, *bonitatis*, *ratione*. Quare & has practicas ita definiunt, ut à justitia, sapientia, bonitate hominum, non solum secundum infinitam naturam, sed & secundum speciem, differre pronuntient, v. §. 247. seq.

§. 513.

§. 513.

Contra clarissimi Doctores, quos ab Arminio nomen traxisse constat, in alterum extremum latus excurrunt, doctrinam de electione sic perfectionibus DEI practicis, v. g. bonitati, justitiæ, inædificantes, *ut nullam immensæ DEI, ad res omnes futuras ac possibiles, pertinentis præsensionis, unà considerandæ, curam gerant.* Illinc *nimium* tribuitur dubiis metaphysicis, hinc dubiis moralibus. Media igitur via veritatis est, quæ ita *DEum* in eligendo omniscium ac à nulla re pendentem judicat, ut & justus ac benignus eo sensu maneat, quô omnes spiritus finiti justitiam ac bonitatem discernunt. Vera est illa doctrina, quæ tale electionis Systema format, quod metaphysicis considerationibus faciendô quod satis est, non exponatur difficultatibus moralibus; & vicissim: quod moralia dubia soluturum, non implicetur gravioribus metaphysicis.

§. 514.

Potissima fulcra quibus suam Viri celeberrimi de electione doctrinam sustentant, *fundata sunt in divina rerum omnium scientia, quâ* DEus impediatur ea velle, quæ non futura certissime præsentit. Inde colligunt, *salutem pereuntium DEum noluisse, esse igitur gratiam DEI non ad omnes exporrectam*, sed ad nonnullos duntaxat restrictam, cæteros omnes, nullô modô, nulla conditione, ad vitam æternam vocatos fuisse, eo ipso, quia DEus cognitione, falli nesciâ, præsagierit, *nunquam futurum, ut hi æternam consequantur felicitatem;* neque enim sapientissimum, qualis

qualis DEus est, ea intendere posse, quorum eventu se videat certissime privatum iri.

§. 515.

Sed ad hæc & alia ejusmodi respondimus suo locô, v. g. §. 139. 140. seqq. *Sapientissimus etiam ea vult, quæ licet non eventura certissime prævidet, tamen ejusmodi sunt, ut ad ea consequenda fecerit, quantum* sapienter debuit. Sæpe numero non possunt non quædam esse bona, judicio sapientis, ideoque ab hoc adprobari necessario; quia tamen aliorum quoque officia injuncta adeo sunt, ut sapiens contra suam prudentiam faceret, si ea ipsa bona, quæ serio vult, ipse solus exsequeretur, sine determinatione alterius, ideoque futurorum numero insereret; efficitur omnino, *ut bona illa,* & non futura *certissime prævideantur, & nihilosecius à sapientissimo intendantur. Intendere enim bonum generatim nihil aliud est, quam pro eo impetrando tantum facere, quantum per sapientiam licet.* Quodsi igitur & aliorum officio bonum aliquod injunctum est, cui tamen hi desunt, & sapientissimus aliquid intendere, nec tamen id non evenire potest.

§. 516.

At enim, inquis, *pendent à DEO omnia quæ fiunt, quæ facta olim, & quæ futura sunt. Quodsi v. g. salutem pereuntis reprobi intendit, cur ipse non præstat effectum? Quis resistet ejus voluntati?* Rom. 9. v. 19. *Quodsi quidquam operatur, quis objiciet impedimenta?* Esai. 43. v. 13. Consideras igitur DEum tantum ut machinarum Artificem, pro mero fabricantis arbitrio agendarum, non ut Rectorem Civium, libertate præditorum, qui suâ

voluntate

voluntate privatâ complures actiones determinant. A DEO utique omnia ſunt, quæ & quatenus bona ſunt, ſive præterita, ſive præſentia, ſive futura, quæ NB. in rerum natura res ſunt, non rerum modi, limites, ſeu determinationes. *Has enim Deum auctorem, cum ad* NIHILUM pertineant, *non agnoſcere*, probavi §. 191. 192. 193. 194. 195. ſeq. Modi enim rerum ac determinationes naſcuntur generatim ex rebus ipſis, quia finitæ ſunt, ſpeciatim ex earum coordinatione, *quia in hoc temporis, loci, &c. ordine ſunt.*

§. 517.

Cum igitur determinatio actionis, qua talis, non ſit actio, ſed ejusdem limitatio, multa determinata ſunt, & determinabuntur olim, quæ à DEo non ſunt. Oracula illa §. 516. citata non loquuntur de voluntate DEI, rerum libertatem abſorbente, *aliter* ſibimet ipſi voluntas DEI reſiſteret, ac dum res liberas, i. e. *facultate ſe ipſas varie limitandi præditas*, condere vellet, quoniam ipſa determinatura eſſet, libertatem *volendo nollet*: Sed potius illa teſtimonia agunt de voluntate divina ſapiente, quæ, dum in res fertur, *ſalvis earum naturis*, à nulla vi, quantumvis maxima, quippe à ſe pendula, impediri poteſt.

§. 518.

Itaque, ſi hominem verbo DEI adtendere nolentem DEus extra ordinem revocaret ad adtendendum, non ageret modo liberæ huic naturæ conformi. *Quamvis igitur attentionem velit, nec nolle poſſit*, quippe quæ & publice & privatim, i. e. tam DEI gloriæ, quam hominis ſaluti conduceret;

ret;

ret; tamen, quia homo facere, quantum in se est, non vult, *cum DEus illam negligentiam supplere*, ac nolentem *naturam*, volentem *præstare sapienter*, *nequeat*; efficitur, ut tanquam sapientissimus aliquid intenderit, quod tamen non futurum præsagiit certissime, quia sapientia suasit, ut id intentum bonum non à solo exhiberetur, i. e. ut attentio HÆC suo modo in potestate etiam hominis esset, quem extra ordinem, obtortô velut collô, ad intentionem verbo dicandam revocare, divinæ sapientiæ gloria indignum foret.

§. 519.

Simulatque hæc Doctissimis Viris respondentur, nova lis, ut fieri solet, oritur de notione libertatis ac divini concursûs, quarum rerum explicatiores ideas superiori discursu exhibui. §. 165. seq. item §. 177. Nam cum celeberrimi Viri existiment, determinandarum actionum *cum liberarum, tum naturalium rationem*, non esse in rebus ipsis, aut earum mutua coordinatione, sed in sola voluntate DEI, quæ præviâ operatione omnia determinet; fieri non potest, quin libertatis notionem variatam sibi forment, ideoque actionem liberam cum lubente confundant. Negant *hominem suæ actioni hos aut illos modos, limitesque figere posse*; hanc potentiam DEO adscribunt, *à quo determinatio proficiscatur*; *cum tamen rectius impotentia dicatur, quâ, quod infinitum, & cunctis limitibus destitutum, ideoque summa potentia præditum est, omnino caret.* Quôcunque enim DEus caret, illud, qua tale, imperfectionis numero habendum. Cum igitur illa potentia actionibus limites

limites ponendi, à DEo non ſit, nec ab ejus concurſu pendeat, utpote imperfectio, facile judicatur, habere hominem capacitatem actiones ſuas jam ſic circumſcribendi, jam aliter, v. g. *attentionem ad has res dirigendi, atque etiam ad alias*, i. e. competere homini libertatem, hoc agendi, aut iſtud, &c. *non* igitur *in* ſola lubentia, ſi ita loqui fas eſt, libertatem *quærendam, cum multa* lubenter, *ſed non* libere, *& multa* libere, *ſed non* lubenter *agamus.*

§. 520.

Similis ratio eſt concursûs divini, qui tantum pertinet ad *vim agendi*, non *ad ejus modum, ad actionem ipſam, non ad ejus limitationem*, ad actionem, quatenus aliquid in rerum natura ponit, non quatenus ulteriori efficaciâ deſtituitur. Sed exploratiſſimum eſt, omnem actionem, *quatenus ab alia diſtinguitur*, eſſe circumſcriptam nihilo; hoc enim, quia interjacet, aliud ab alio diſcernit: Itaque ex ipſis rebus, non ex DEI concurſu eſt, quod jam ita agant, nec aliter, jam actionem ſuam huc exporrigant, nec aliorſum. Namque id, *ut actio* hoc loco, hoc tempore hoc gradu, in hoc nec aliud objectum *feratur, eſt actionis* finis, limes, modus; patet igitur eo usque concurſum divinum non extendi.

§. 521.

Quare porro cognoſcitur, DEum *concurrere quidem ad actionem individuam*, hoc loco, hoc tempore, hoc efficaciæ gradu, *ſuſceptam, ſed* non quatenus *hæc individua*, i. e. quatenus


hoc

hoc loco, tempore, gradu, hoc limite circumscripta est. id enim habet actio ex fundo nihili, quo â potentissima DEI operatione, omnia in omnibus perficiente, distinguitur.

§. 522.

Si prævia igitur DEI ad actiones rerum penetrans determinatio intelligitur, de collatis, à Homine agendi viribus, & sustentata actione ipsa in se, certissimum est, talem dari, quascunque enim agendi vires res habent, à DEO habent, sine ulla sua in partem ventura operatione; aliter res possent operari antequam possent, quod est absurdum. Quodsi autem præviam illam determinationem actionum, quibus res operosæ sunt, ita interpretemur, ut affirmemus, DEUM actionibus rerum limites ponere, nutu immediato, si ita loqui fas est, concursum extendi etiam ad actionum varietatem, *quà talem*, quippe quæ ex nihilo ortum trahit; fatendum est, talem determinationem in figmentis esse numerandam. Sed de his tandem satis dictum.







DE CAUSSA FUTURI AB ÆTERNO PECCATI,

SIVE

QUÆ CAUSSA, CUR PECCATUM AB ÆTERNO FUERIT FUTURUM: DEI NE VOLUNTAS AN RERUM CREATARUM PRAVA CUPIDO.

§. 523.

CUm hujus decisio quæstionis magnopere cum antecedentibus connexa sit; ad quorum lucem uberiorem non mediocriter facit: consentaneum instituto esse videtur, istam hoc loco prius, & continuo quidem superioribus adjunctam exhibere, quàm ad reliqua, ex Viri illustris judicio, persequenda, progrediamur.

§. 524.

Præcipua difficultas, quæ Virorum eruditissimorum animos, ne nobiscum faciant, obseptos tenet, præstatque, ut, quidquid fit boni malive, non necessario tantum; sed &, volente omnino Numine, fieri affirment, hæc est: Fieri sine divina voluntate nihil potest: ne peccatum quidem unquam futurum fuisset, ac nunc reapse committeretur, nisi ita DEus destinasset. Si absque divina voluntate futurum fuit: quæritur, quæ illius rerum status, quo futurum fuit, caussa exsistat: num Manichæorum quispiam DEus? an fatum stoicum? an hominis voluntas. Cave concedas ambo priora: idcirco tertium si cooptas, hominis voluntatem divinâ & prio-

rem

rem & ab eadem minus pendentem facies, propterea quod fieri quidquam potuit, quod, ut non contingeret, maximo DEus contendit opere.

§. 525.

Partium à studio ut eo alienores judicemur, ipsa, si non grave Lectori est, dissentientium dabimus verba. Est, inter eos, qui ita ratiocinatur. (*) *Si futura sunt per naturam suam futura,* (scil. non à divina voluntate) *sequitur, quod semper futura essent, nunquam* (fierent) *præsentia. Quæro igitur quæ caussa sit, ut futura dicantur? Cùm enim naturâ sua indifferentia sint (tam ad futuritionem, quam ad non futuritionem) requiritur caussa, quæ determinet hanc indifferentiam, & ea ex pure possibilibus transire faciat in conditionem futurorum. Hujusmodi caussa vel intra DEum, vel extra DEum.*

* Tvvissus, fol. 112. seq. c. 28. seq.

§. 526.

Extra Deum nihil occurrit, quod res mere possibiles transire faciat in conditionem rerum futurarum. (ideoque nec Manichæorum malignus quispiam DEus, nec brutum fatum hîc allegari fas est) *Ratio est, quia transitus iste, sive migratio facta ab æterno: nam ab æterno futura erant, quæcunque futura sunt, alioqui ne à DEO cognosci quidem potuerunt tanquam futura, idque ab æterno. At ab æterno DEO nota sunt, quæcunque futura erant. Ergo transierunt jam ab æterno ex conditione mere possibilium (qualia sunt naturâ suâ) in conditionem rerum futurarum.*

§. 527.

Ab æterno nihil fuit extra Deum, quod transitus istius caussa fingi posset. Ergo intra Deum caussa illa reperitur. At etiam intra Deum, nihil quod caussa

esse possit, reperitur, præter scientiam & voluntatem. Scientia autem caussa non est, cum prius sit esse cognoscibile in genere futuri, quàm ut de facto cognoscatur tanquam futurum. Ergo scientia DEi per se considerata potius supponit futurum, quàm facit.

§. 528.

Superest ergo, ut divina voluntas causa sit transitûs, ut ex mere possibilibus evadant futura. Unde conficitur, quæcunque futura sunt, ex Dei voluntate habere, quod futura sint, quia sc. DEus decrevit, ut fiant. Hactenus ille, qui tanti hoc argumentum facit, ut omni solutione superius putet.

§. 529.

Ut huic dubio, ea, quâ par est, veritate satisfiat, res altius, & ab ovo velut repetenda erit, ut adpareat, responsiones nostras, cum ultimis cujuslibet scientiæ veritatis connexas, non mera effugia, non glaucomata, quæ objectam §. 525. 526. 527. 528. difficultatem obvolverent magis, quam resolverent, esse, sed firmissimis superstructa fundamentis dogmata, quæ sua se perspicuitate, suo veritatis charactere, commendent.

§. 530.

Distinctæ rerum, de quibus quæstio, notiones præmittendæ, non claræ solum, nedum obscuræ. Impossibile dicimus, etiam cum iis, qui in discutienda quæstione à nobis dissentiunt, *quidquid notiones partiales habet, semet mutuo destruentes.* Ei igitur efficiendo vel DEI potentia summa, ut ita dicam, impar est, quoniam secum ipsa collideretur, destructura, dum adstrueret, adstructura, dum destrueret.

§. 531.

§. 531.

Poſſibile igitur adpellari meretur, *cujus notiones partiales ſe non deſtruunt* mutuo, i. e. in quo efficiendo potentia DEI non colliditur ſecum ipſa.

§. 532.

Exſiſtere *dicimus* illud *poſſibile*, §. 531. *quod completur*, i.e.cui efficiendo uti divinæ vires adplicari poſſunt; ita nunc revera adplicantur. Non detrectabunt hactenus Diſſentientes his definitionibus calculum.

§. 533.

Futurum vocari debet, quodcunque ex poſſibilium §. 531. ſtatu, in ſtatum exſiſtentium §. 532. tranſit. Futuritio eſt tranſeundi actus. Ratio illius actus eſt futuritionis fundamentum.

§. 534.

Diſtincta inter poſſibilia vides, ſi, *quod alteri deeſt, alterum habet.* Si enim A. perfectiſſime poſſidet, quod B. B. vero quod A. quomodo, aut quibus characteribus, cum omnes iidem ſint, alterum, ab altero diſcernes?

§. 535.

Sequitur ex §. 534. inter duo diſtincta ſemper vel alterutrum, vel utrumque eſſe limitatum. Cum enim id nullis limitibus (uti DEus eſt) circumſcriptum adpellitetur, quod habet, quidquid boni haberi poteſt; ſane nihil ab eo diſtingui poteſt, niſi quod per §. 534. aliquo careat, quod tamen illud poſſidet, i. e. niſi ſit limitatum.

§. 536.

Cum DEum DEus condere non poſſit; crearet enim à ſe pendentem, quia crearet; eundemque

 ipſum

ipſum non pendentem, quia crearet, ex hypotheſi, DEum ; quæ manifeſta repugnantia eſt : conſequitur nihil DEum præſtare poſſe, extra ſe, i. e. nihil extra DEum poſſibile, niſi quod à DEO diſtinctum i. e. quod innumera non habeat, quæ DEus tamen poſſidet. §. 535.

§. 537.

Cum, quidquid eſt extra DEum, limitatum ſit, §. 536. oportet id omne, ea omnia habere limites, i. e. à ſe mutuo eſſe diſtincta : per §. 535. aliter eſſent UNUM quiddam, nec niſi UNUM, extra DEUM, poſſibile foret, quod nemo dixerit.

§. 538.

Extra DEum nihil eſt poſſibile, niſi limitatum; per §. 537. Quod cum ita ſit, nec DEus ſua poſſit præſtare potentia, ut quidquam ſit, extra ſe, non limitatum : §. 536. limites poſſibilium utique non pendent à DEI potentia.

§. 539.

Poſſibilia vocabimus res. Res igitur à DEI potentia habent, ut ſint poſſibiles, ut ſint res ; ex ſe ipſis vero, *ut ſint* limitatæ. §. 538.

§. 540.

Omnes res §. 539. & ſingulæ, extra DEUM, tales aut tales à nobis adpellantur, quia ab aliis diſtinctæ §. 534. ſic & aliter : diſtinctæ vero res ſunt, quia limitatæ ſunt : §. 535. Itaque TALES ac TALES ſunt, quia his illisve limitibus coarctatæ. Nihil hactenus dixi, quod non omnis diſſentientium chorus, mecum adprobare cogatur, niſi velit primis refragari veritatibus.

§. 514.

Sæpiſſime homines voce (determinari) utuntur,

tur, nec tamen aliam ejus notionem habent, aliamque ei adjungunt ideam, quam claram, i. e. quæ in obvio exemplo cognoscitur: minime distinctam, quæ accurata, & ab exemplis particularibus mente sejuncta, continetur definitione.

§. 542.

Quin igitur definiamus vocabulum, in sequentibus adhibendum. Id nos determinamus, quod, quomodo ab aliis omnibus distinctum sit, accurate explicamus. Qui ergo rei ab aliis omnibus discrimen indicant, eandem determinant. Quousque aliquid, ad plenam ejus, à cæteris, distinctionem superest, eo usque determinatio manca, parum completa, aliquando præsenti instituto casu quodam sufficiens, sæpe non item.

§. 543.

Uti vero res sunt TALES, vel TALES ex se ipsis, non à DEI potentia, quod probatum; §. 540. ita quoque DETERMINANTUR ex se ipsis, non intercurrente hîc divina potentiâ, quæ nec facere potest ut res limitibus priventur, per §. 538. nec ut alios habeant, nam si, alios ut haberent, præstaret, non amplius TALES, sed ALIAS præstaret, quod est contra hypothesin, quâ unumquamque rem ut TALEM à DEO præstabilem consideramus.

§. 544.

Affectio rei, de qua §. 539. vocatur, quidquid, *posito hoc possibili, necessario ponitur unà*, nec sequi non potest. Uti posito sole, ponitur lux. Modus rei vero dicitur ille, *qui aliarum demum rerum concursu in illa adparet*, nec necessario inde consequitur. v. g. ut sol speculi caustici ope naves incendat.

§. 545.

Res omnes, quæ easdem affectiones §. 544. habent, eidem adſcribuntur claſſi. Per affectiones igitur claſſes determinantur, i. e. aliæ claſſes ab aliis diſtinguuntur. §. 542.

§. 546.

Res ejusdem claſſis, diverſis affectæ poſſunt eſſe modis. Id vel hominum exemplo omnium cognoſcitur, qui rerum externarum, temporis, loci, parentum, gradûs in cognoſcendi viribus concurſu, à ſe mutuo diſtinguuntur, quæ omnia ad affectiones, accurate loquendo, non pertinent.

§. 547.

Liceat illam rei affectionem, quæ primo in re qualibet, ſi ut TALIS cogitanda ſit, repræſentari debet, nominare eſſentiam TALEM.

§. 548,

Quia res quælibet per affectiones ſuas §. 544. & modos §. cit. illinc diſtinguitur à rebus alterius claſſis §. 545. hinc à rebus ejusdem claſſis, quæ ſunt individuæ: Sequitur per affectiones & Modos, quà TALES, rebus poni limites, ut tantum ſint in hac claſſe, ſint hæ, nec in eadem aliæ.

§. 549.

At enim vero, lucendi vis, inquies, *ſolis affectio eſt*, §. 544. *nec tamen per hanc lucendi facultatem, ſeu potius, vim, ſol dicitur limitatus, coarctatus, ſed ornatus, mactatus, ut quidquam maxime.*

§. 550,

In viribus lucendi tria concurrunt, duo rerum nomine digna, tertium limitis titulum meretur, facitque, ut res ſit TALIS, i. e. *lucendi vis*. Primum eſt

est *materia lucis*, quæcunque tandem sit, sive æther Cartesianus, sive alia quælibet res aut materia: Secundum in viribus lucendi est *motus ille celerrimus*, & hæc duo rerum nomine veniunt.

§. 551.

Tertium est directio motus secundum *lineam rectam*: quodsi enim lucis materia, §. 550. per orbem in se agitatione sua rediret, si alia motus directione uteretur, quam secundum lineam rectam: profecto, quod Physici nôrunt, ac demonstrant, id oriri non posset, quod nos vocamus lucem. Itaque per limites suos res sunt DISTINCTÆ TALES vel TALES. Quem enim fugit, directionem motus, non motum, non rem, quæ aliquid in natura ponit, sed modum rei, sed limitem, qui res circumscribit, distinguit, TALES facit, esse; facit enim directio, ut motus, ex multis quaquavorsum plagis, in quas ferri & tendere posset, unam sectetur, ab aliis distinctam, i. e. limitatam. per §. 534.

§. 552.

Ita se res habent in sola adhuc Ontologia spectatæ, sejuncta tantisper consideratione Theologiæ naturalis, quæ, quâ schesi DEum respiciant illæ, uberius postea docet, ac declarat, quomodo, & quas velit, sapienter deligat, efficiat potenter. Quæ vero in Theologia naturali traduntur, non destruunt ea, quæ docet Ontologia. *Si quid in hac verum est, non incipit esse falsum in illa.* Ut primum ex Ontologia demonstraveris, esse possibiles ejusmodi homines, qui, dum agunt, etiam non agendi, (*sensu non composito, sed diviso*) facultate prædititi sint: vel, quod tantundem significat, non esse destruentes ideas, nec secum collidi

ipsa, §. 530. potentiam DEI, quæ exsistere jubeat, hominem ejusmodi dono instructum; nihil tum ex Theologia naturali accedere poterit, quod ex possibili faciat impossibile, nec DEI proin voluntas, nec decretum præstabit, ut, si liber homo in exsistentium Theatrum prodire jubeatur, libere acturus, i.e. ita, ut, dum agit, & non agere potuisset, hæc libertas cesset, ideoque ob decretum immutabile ipsa actio immutabilis esse cœptet. Ipsum enim hoc Voluntas DEI decernit, ut actio libera fiat, uti possibilis est, nimirum, dum determinata §. 542. ratione suscipitur, ut etiam non suscipi potuisset.

§. 553.

Ex Ontologia adhuc, ad solvendum, quod §. 525. seqq. proponebatur, dubium, est, cur sequentia prius hoc loco addam, quam ad reliqua necessaria accessero. Cùm extra DEum nihil possibile sit, nisi limitatum, limitatio autem sit ulterioris perfectionis penuria, qua fit, ut res PLUS ULTRA, suis viribus, non exporrigatur: perspicuum est, res omnes extra DEum suis laborare imperfectionibus.

§. 554.

Generalis rerum omnium, quæ non sunt ipse DEus, imperfectio, & limitatio, *malum appellari potest methaphysicum. Specialis* vero limitatio & defectus, qui in rebus inest, *speciale* etiam meretur nomen.

§. 555.

Divinarum legum quarumvis fundamentum est divinæ civitatis, quâ omnes res intelligentes, sub DEO copulantur, bonum publicum. (*) *Detrimentum igitur, seu defectus huic illatus immenso bono publico, est* malum morale.

(*) de-

(*) demonstratum hoc est in Jurisprudentia Civ. DEI p. 266. seq.

§. 556.

Damnum, quod facit conservatio nostra, recte dicitur malum physicum: quod cum nihil sit nisi felicitatis nostræ contractior velut limitatio, defectus rerum, quæ statum perficere nostrum possent: simili ratione, uti §. 554. intelligitur, malum ejusmodi, qua tale, in limitatione positum.

§. 557.

Quorsum hæc omnia, tam prolixa ratiocinatine? Ut præstruamus ea, ἀποδείξει quadam indubia, quæ removendæ §. 525. seqq. difficultati inserviunt. Jam enim in eo est, ut ad institutum accedamus propius.

§. 558.

DEus volendo bonum non facit, sed in id, aliunde præstructum, tendit. Hoc, si quidquam aliud, invicta ratiocinatione probavi? cap. 1. de prædest: supra. *Bonum enim est* possibile harmonicum; uti vero possibile pendet à DEI potentia, quæ divina affectio necessaria est, ideoque tanquam necessaria radix, possibilium arborem necessariam protrudit: non vero pendet possibile à libera DEI voluntate, quæ sic, aliter, decernere potest: §. 530. ita quoque bonum omne, (non advertendo animum, exsistatne hactenus, annon?) quippe possibile harmonicum, necessario bonum est, non ob liberam DEI voluntatem, nec potest non esse.

§. 559.

Quod §. 558. si ita est, cùm adhæc Voluntas DEI sit infinita promtitudo adplicandi vires ad bonum §. 558. OMNE & SOLUM, ex §. 106. Cap. 1. de prædest: nullo sane pacto voluntas DEI, in malum

ferri

ferri posse, intelligitur: aliter enim, aut divina non esset, quia non tenderet in bonum OMNE & SOLUM: aut adpetendo bonum faceret, quod per. 558. fieri neutiquam potest.

§. 560.

Quando igitur malum futurum est, *accurate loquendo, propter* voluntatem DEI futurum non est.

§. 561.

Ergo, inquis, *sive à Manichæorum DEo, sive ex se ipso futurum est.* Falleris opinione terna. Futurum est malum, quia cum illo cohæret, quod DEUS futurum vult. *Atqui*, instas, *qui A. futurum cupit, quod cum B. connectitur, futurum quoque vult τὸ B.*

§. 562.

Erras. Tum enim B. quod cum A. connectitur, unà cum A. futurum volumus, si B. sit cum A. NATURÆ SIMILIS. Sed si sit A. bonum, cum quo B. malum conjungatur: qui A. futurum cupit, non continuo B. futurum VULT, sed futurum PERMITITT, etiamsi B. τὸ A. sequatur.

§. 563.

Bella, pergis, *excusatio. Nemo* permittit *malum, nisi* velit *permittere, id perinde est, ac si ipsum malum* vellet. Minime gentium. Velle DEus nihil potest, nisi SEMETIPSUM. Cum vero malum generatim omne §. 554. à DEO non pendeat, §. 543. nec sit, quod ipse præstare potest, ideoque sit non possibile, *sed possibilis* defectus *& limes*, aliud quid, extra se, DEUS vellet, si malum vellet.

§. 564.

§. 564.

Quod DEUS efficere non poteſt, id nec velle: ſed malum non efficit, verùm potius, una cum iis, quæ efficit, admittere cogitur, tanquam adhæreſcentem limitem: non igitur malum VULT, ſed PERMITTIT.

§. 565.

At enim vero perſiſtere adhuc difficultatem ſubinde putas. *Qui futurum vult unum, futurum quoque cupit alterum, quod cum illo cohæret. Si DEus, Protoplaſti futuri ut fuerint ab æterno, voluntate ſua SOLA eſt aſſecutus, tum EADEM quoque cupivit, ut deploranda illa futura eſſet defectio.*

§. 566.

Deſcendendum tandem eſt ad exempla particularia, propoſitionis tuæ hiatus ut appareat illuſtrius: quod antequam cum Viro illuſtri Leibnitio faciam, quædam annotanda videntur ad illud verbum §. 563. (SOLA voluntate, DEUM Protoplaſti futuram deſtinaſſe exiſtentiam.)

§. 567.

Eorum, quæ non mala ſunt, ratio, quare ab æterno ex poſſibilium ſtatu tranſierint in ſtatum futurorum, duplex eſt: alia *objectiva*, alia *formalis*. (liceat uti his vocabulis, barbariei aliâs obnoxiis) Ratio *futuritionis* objectiva ex ipſis objectis, Voluntati divinæ obverſantibus, prodit.

§. 568.

Futuritionem. ſenſu, quo §. 533, explicavi, nonnullæ res, ab æterno, ſine divina voluntate, in ſe ipſis habuerunt, ſc. OBJECTIVAM. Cum enim ab æterno res aliæ aliis optabiliores fuerint, ordo rerum alius alio præſtantior; quæ præſtantia, ut res gene-

generatim possibiles omnes, non à DEI arbitrio seu decreto pependit, 531. sed à divina potentia; ideo enim res possibiles aliæ aliis ab æterno optabiliores erant, quòd ab æterno HIS, quàm illis perfectius exhibendis, potentia DEI sufficiens erat: ab æterno etiam, ut olim exsisterent, à DEO exegerunt.

§. 569.

Quemadmodum vero sapiens divina voluntas in majorem rerum, præ aliis, excellentiam certissime vel ideo fertur, quoniam aliter prudens & sciens in tenuiora tenderet bona, quod cum eo, qui non potest non esse longe perfectissimus, conciliari nequit: ita, cum major illa rerum præstantia divinam voluntatem præcurrat, §. 568. & in rebus locum habeat, non quia sic DEus LIBERE VOLUIT, sed quia NECESSARIO POTUIT, fundamentum quoddam futuritionis, §. 533. res *in* se ipsis habent, si vel maxime à divina discesseris voluntate.

§. 570.

Illa ratio futuritionis potest appellari objectiva, quam pone sequitur formalis, quæ nulla alia est, quâm divina Voluntas. *Cur igitur rerum possibilium aliæ in futurarum statum ab æterno transierint, aliæ non transierint*, formalis quidem ratio DEI decretum est; sed rationis hujus ratio in ipsorum objectorum majori præstantia, qua supra reliqua eminent, fundata est. Non igitur absque ulteriori ratione SOLA h. l. intervenit DEI voluntas: id quod ad illud dubium §. 325. seq. propositum meretur observari, quo quæsitum fuit: *quæ caussa ab æterno fuerit, ut res aliæ futuræ fuerint aliæ non item?*

§. 571.

Res innumeris potest illustrari similibus. Suffi-

tnaci

ciant nonnulla. Offerantur Regi, majestatem suam quam splendidissimis ædificiis comprobaturo, palatiorum in charta delineationes aliquot, aliæ aliis præclariores; cum Rex in futuri ædificii magnificentiam, quæ obtineri potest, longe illustrissimam propendeat: illa profecto delineatio futuritionis fundamentum habebit in se IPSA, non solùm in Regis ARBITRIO, quæ alios ædificiorum typos admirabilitate antecellit, quæ plus artificii, plus commoditatis, plus amplitudinis ac nitoris habet, quam typi cœteri, quæ, inquam, delineatio reliquas sciagraphias notabilii ratione vincit.

§. 572.

Ut futurum sit ejusmodi ædificium, decretum Regis accedat oportet; sed cur ipsum Regis decretum futurum fuerit, ratio in delineationis præstantia ponitur. Ipsa futuri ædificii idea, nihil conferente Regis arbitrio, sic determinata est, ut in futuritionis veniret spem & expectationem: quanquam spes expleri non potuerit, deficitiente Regis nutu ac voluntate. Facilis est ad præsentem materiam adplicatio, si in Regis locum, DEUM, si in delineationis istius conditionem, æternam DEi, quam de præstantiori rerum ordine fovit, ideam cogitando obstitueris.

§. 573.

Sed nunc à rerum bonarum futuritione, §. 567. proposita, ad malarum, à diverticulo redibimus in viam. *An malum*, inquis, *sine divina voluntate potuit esse futurum? an à se ipso exstitit, vel an ab idea hominis, æternis retro spatiis, DEo obversata? atqui, quicunque hominis ideam ab æterno futuram esse jussit,*

jussit, idem quoque futurum voluit, quidquid hominis idea ab aeterno complectebatur, i. e. MALUM.

§. 574.

An qui post miserandam Protoplasti defectionem, hodie prolem generant Parentes, certissima instructi scientia, futurum, ut malo sit infecta haereditario: dum gignendo praestant, soboles ut futura sit, etiam unà labem in prole volunt haereditariam? *An intendunt, ut unà cum prole horrendum illud malum futurum sit? An ad ornamentum, pulcritudinem, splendoremque* matrimonii connatam illam detestabilem culpam pertinere credunt? An non solùm volunt, ut sobolem, sed & ut venenatam sobolem procreent? Quis mentis omnino sanae dicat, intendi à parentibus non solum prolem, generando, sed etiam lue illa contaminatam?

§. 575.

Quodsi à parentibus, cum quolibet, cui sanum est sinciput, generaturis, culpam haereditariam INTENDI negas: Si dixeris *finem matrimonii* prolem *esse*; *sed non* ut venenatam; Si contenderis abhorrere ab illo malo pios parentes, dolere eas vices, ac, si alia ratione finis matrimonii impetrari posset, lubentissimos labem illam evitaturos, & ejus propagationem impedituros esse: facis recte mecum, quod ego volo. Permittunt sc. illud malum Parentes, non volunt, adhaerescit praeter finem ei instituto, quod ob alias caussas hîc & nunc omitti sapienter non potest. Non volunt igitur futuram culpam illam haereditariam, prolem volunt futuram, cui illa adhaerescit.

§. 576.

§. 576.

Atqui similis est DEI conditio. Dum res FUTURAS destinat, non destinat eas ut malas, sed ut bonas, futuritio igitur mali non est ab ejus *voluntate*, sed ab ejus *permissione*. Quidquid pro Parente dixeris, pro DEO dictum erit.

§. 577.

Scio *DEum omnium optimum esse*, à parentibus contrà pravis pravam procreari sobolem; Scio hodiernam prolem lue hæreditaria non posse non esse pollutam, potuisse vero Adamum, qui à DEo conditus est, ab arbore vetita manum abstinere: *Sed vero* novi quoque hæc esse extra comparationis tertium, *totum exemplum veritatem accuratissime repræsentare*, quam hoc capite delineatam volo: scil. QUI UNUM FUTURUM DESTINAT, NON CONTINUO FUTURUM DESTINARE ALTERUM, QUOD ILLO DEFINITO CERTISSIME SEQUITUR: quam veritatem Adversarius negavit. §. 552.

§. 578.

Quodsi igitur eventus, quem, certissima scientia, cum actione quadam mea connexum iri, præcipio ac præsentio, etsi actionem suscipiam, tamen propterea non confestim à me intenditur: si non intendere ea possum, quæ ex meo negotio evidentissime consecutura video; idque per invictum argumentum: §. 574. 575. tum & DEUS peccatum prævidere, post vero bona nonnulla destinare potest, quibus aliunde mala adhærescant, nec tamen continuo illa mala VELLE.

§. 579.

Nullum illustrius exemplum allegari poterit

quam hoc, ad quod confiderandum fi animum appellere dignentur Diffentientes, nullus dubito fore, ut veritatem ex noſtra ſtantem parte ſint agnituri propius.

§. 580.

Si porro ſapientiſſime non intendere ea potes, quæ ex tuo negotio conſequutura, ratione falli neſcia, præſentis; idque per §. 578. tum & viciſſim ſapientiſſime ea intendere potes, quæ tamen non eventura certiſſime præſagieris. Atqui duplicis hujus veritatis propoſitio oppoſita eſt, qua totum Diſſentientium Syſtema, de neceſſitate peccati ex divina voluntate, ac de particulari gratia, nititur: lubrico igitur ſuperſtructum fundamento eſt.

§. 581.

Audiamus igitur illuſtrem Leibnitium negantem, ea omnia, inprimis mala, á nobis intendi, quæ ex noſtro negotio conſequutura, firmiſſima ſcientia, præcipimus: Pour ce qui eſt du peché ou du mal moral, quoiqu'il arrive auſſi fort ſouvent, qu'il puiſſe ſervir de moyen pour obtenir un bien, on pour empecher un autre mal; *ce n'eſt pas pourtant cela, qui le rend* un objet ſuffiſant de la volonté divine, on bien un objet legitime d'une volonte creée, il faut qu'*il ne ſoit* admis ou permis, *qu'entant qu'il eſt regardé comme une ſuite certaine d'un devoir indiſpenſable.*

§. 582.

Deſorte que celui qui ne voudra point permettre le peché d'autrui, manqueroit lui même à ce qu'il doit; comme ſi un Officier, qui doit garder un poſte important, le quittoit, ſurtout dans un tems

de

de danger, pour empecher une querelle dans la ville entre deux soldats de la Garnison, prêts à s'entretuer.

§. 583.

Nihil his disertius, nihil verius, nihil ingeniosius dici poterat. An militum Præfectus suis opportunissimam, nec sine periculo deserendam stationem tuens, cædem gregariorum vult, qua alter alterum sustulit, inspectante è longinquo centurione, ex loco, quem deseri è re Exercitûs non est? *Num, quia hic dimicaturos vidit, impedire potuit, nec tamen accurrit, ideoque futurum esse sivit, quod, ipso obluctante, non fuisset*; optavit, voluit, desideravit cædem? Nonne hic distinguendum manifestissime est, inter Præfecti voluntatem ac permissionem? Nonne dicendum cædis futuritionem à permittente Præfecto pependisse, non à volente?

§. 584.

Sed, quæ ratio est hujus ad malum relatæ futuritionis, eadem profecto cæterarum omnium. Quæ distinctio ad explicatiores humani facti notiones pertinet; eadem etiam spectat ad profundiorem divinæ circa malum providentiæ cognitionem.

§. 585.

Quâ ratione malum velle potest, etsi ex sua consequatur actione non improvisum, DEUS; cum rerum determinationes quà tales à rebus ipsis pendeant, non à DEo? §.543. Quomodo malum intendere potest, cum malum non sit res, sed rei defectus; defectus vero non eget DEI potenti arbitrio, sed impotenti humana voluntate; per §.539.

§. 586.

Qui malum scopi loco præfixum habere potest DEus, cum v. g. continuata ad extremum usque halitum perfidia, ceu grande malum, in iis referri debeat, quæ faciunt hominem TALEM, i, e. distinctum à cæteris, reprobum, quorum omnium origo ex demonstratis §. 543. non à DEO, sed ab ipso homine petenda?

§. 587.

Quo pacto divina in malum ferri potest voluntas, cum malum in DEO non sit, §. 535. nihil autem velle *DEus potest, nisi quod sit* divinum

§. 588.

Ita tandem ad illud à Twisso propositum §. 525. seqq. responderi dubium potest. Quæris, *unde ille transitus, ab æterno factus, quô malum ex possibilium ordine locatum fuerit in classem futurorum?*

§. 589.

Accipe responsionem: malum ex possibilium ordine in futurorum classem non transire à DEo jussum: Sed rebus bonis, transire eò jussis, adhærescens, unà irrepsit. Transitûs illius ratio non divina voluntas, per §. 578. sed permissio. §. 583. 584. *permissionis* caussa vero est Systematis, in quod irrepsit, ob compensantium bonorum infinitam multitudinem prærogativa: permissionis caussa, prudentissima cautio, ne majora mala admittenda sint, si hæc quæ obrepserunt, excluderentur.

§. 590.

Imo vero, rigorose loquendo, cûm malum sit non res, sed rei defectus, §. 554, id circo nec transitus ex possibilium numero in classem futurorum eidem

tribui

tribui poteſt: non enim, quando malum fit, idem ex poſſibilium conditione in ſtatum futurorum tranſiit, ſed potius multa BONA QUÆ TRANSIRE DEBUISSENT, NON TRANSIERUNT, id enim malum eſt, quod bonorum cumulo derogat: non igitur quærendum: *cur* tranſierit, *in futurorum claſſem malum, ſed cur non* tranſierint, *innumera bona?*

§. 591.

Atqui, celeberrime Twiſſe! DEus eſt auctor *eorum omnium*, quæ tranſierunt, ſc. bonorum, *eſt Actor* ipſius tranſitûs: non tranſitûs autem actore haudquaquam egemus, *cum non tranſire, ſit non agere, quæ vero non aguntur, actore indigere.* i. e. agendo non agi, manifeſtiſſima idearum repugnantia eſt §. 530.

§. 592.

In auras igitur tenues abit ſubtilis ille Diſſentientis diſcurſus §. 525. ſeq. Quid porro facilius eſt, quam reliquis in illo occurrere? Si de bonorum, *ex poſſibilium numero, in claſſem futurorum, tranſitu,* quæſtio ſit, habes *rationem* primò objectivam, ex ipſis rebus tranſire jubendis ſcaturientem, quod probavi: §. 568. 569. 570. habes deinde rationem formalem, quæ nulla eſt quam ipſiſſima DEI voluntas §. citat.

§. 593.

Si vero ſciſciteris: *cur mala tranſierint:* quæſtionis tuæ vocabula te decipiunt ſua ambiguitate: *malum* enim *cum ſit abſentia boni*, adeſſe debiti, non ſunt ei prædicata, quæ rebus competunt, tribuenda, ſed quæ cadunt in rerum nævos. CUR NON

 TRAN-

TRANSIERINT MULTA BONA? quærendum tibi est, non, cur mala?

§. 593.

Atqui intelliges evidentissime, ad id, ut aliquid non fiat, *haudquaquam* requiri conditoris *potentiam*, sed rei conditæ impotentiam: haudquaquam actorem, sed in agendo deficientem: *haudquaquam* decretum operandi, quin potius decretum permittendi omissionem.

§. 594.

Uti vero non agere, quod debeas, agentium defectus & limes est; ita quoque agentes creati id habent ex se, non à DEO, eo ipso, quia limitati, ac à DEO distincti sunt. §. 543. Quære igitur futuri mali rationem in ipsis delinquentibus, nullo in DEI arbitrio. *Qui ex officio malum permittit*, uti militiæ præfectus, necessariæ invigilans costodiæ, conspectâ procul gregariorum binionis singulari decertatione, §. 581. 582. non est futuri mali ratio, sed suæ ipsius permissionis. Permittente enim hoc vel maxime, illi nebulones etiam non certare, suamque ipsorum conservationem (quantum, quæso, bonum?) potuissent procurare.

§. 595.

Uti absurdum est, inquis, *velle ut Trianguli idea, quæ tribus spatium angulis terminat, quatuor describenda sit: ita non minus absonum, si putes, DEum præsentis, quod conditum est, Systematis ideam alteratam, i. e. plurium bonorum ex possibilium ordine in futurorum classem transitu instructam voluisse: voluit itaque, quia hujus Mundi æterna in divino Numine delineatio plurium bonorum à possibilibus ad futura transitum exclude-*

cludebat, voluit, inquam, horum bonorum exclusionem, cumque bonorum exclusio, seu penuria malum sit, voluit malum.

§. 596.

Falleris mirifice. Uti, qui mensam sibi quadrangularem fabrefaciendam proposuit animo, alieniore post hæc loco non permittente, talem triangulari mensa contentum esse, non magnopere insolens est, & inauditum; non enim ipsam trianguli ideam, hoc casu, cum repugnantia notionis, interpolatam cupivit; sed huic ideæ aliam, sc. quadrangularem statuit substituendam; ita DEUS, hujus deligens mundi ideam ab æterno; cum plura bona non exclusa voluit, queis præsens Systema caret, i. e. cum malum deletum intendebat, non hujus mundi delineationem, quippe variari nesciam, si mundus HIC manere debeat, turbatam voluit, sed aliam, i. e. quæ malum excluderet, illi subornatam: cum vero alia non daretur, hâc ita contentus fuit, ut tamen, quòd includitur malum, nequaquam adprobaret.

§. 597.

Præfecto militiæ, quem Vir ill. Leibnitius finxit §. 581 duo sunt actionum velut objecti typi, vel eo tempore, ubi nondum quidquam agendum decrevit. Alter typus agendi militis gregarii cædem repræsentat, alter stationis, ob majus periculum non deserendæ, continuatam custodiam. Quod si igitur gregarii militis cædem declinatam optat, non id vult, ut primus agendi typus maneat, qui est, sc. includens cædem, & tamen ut cædes evitetur: Vellet enim hoc casu, ea, quæ se mutuo destruunt. §. 550. Sed eo consilium præfecti tendit, ut primo typo, cæteris paribus, alter possit sufici, qui cum

tamen majus utilitati publicæ detrimentum minetur, quàm primum agendi typus, cædem duntaxat privati exhibens, id circo illi agendi typo hunc sapientissime anteponit, ut tamen illam cædem improbet.

§. 598.

Quam vero absurdum foret ratiocinium, in accusando ejusmodi militiæ Præfecto, sequens? Elegit Præfectus ejusmodi agendi typum, qui futuram gregarii cædem certissime complectebatur: ergo cædem propter arcanas, gregariis non scrutandas, rationes, vult, adprobat. Item: Elegit Præfectus ejusmodi agendi typum, qui, quia HIC typus erat, cædem gregarii NECESSARIO continebat: ergo gregarius gregarium necessario cecidit.

§. 599.

Nihil sane hoc ratiocinio, seu potius sophismate potest effingi ineptius. Primus ille agendi typus, qui militis stragem continet, si HIC manere debeat, sensu composito, necessario gregarii mortem complectitur, sed NON TANQUAM NECESARIO COMMITTENDAM: *est illa cædes in idea actionis necessario*, aliter non esset HÆC actio: *sed necessario est in illa idea* tanquam cædes libere commissa, *committenda:* non possumus concipere non futuram cædem, si Præfectus sua exacerbatos auctoritate non terreat; sed iidem nos non possumus non concipere cædem futuram LIBERE, i. e. ita, ut à militibus evitari potuerit, ut facultatem non agendi, dum alter alterum cecidit, retinuerint, *ut culpa proin magnitudo* ex ipsis pendeát, *non à* permittente *Præfecto*.

§. 66o.

§. 600.

Perfacile est, hæc omnia, nominibus tantum (*Præfectus*, *milites gregarii*) cum vocabilis (*DEus*, *homines*) commutatis, ad DEum applicare, &, quâ ratione à peccato, etsi permiserit, vehementer abhorreat, commonstrare.

§. 601.

Novo forte obliquaris dubio, quod hoc est: *Qui unum facit, aut omittit, ex quo, tanquam naturali caussa, alterum non sequi non potest, is alterum illud vult, aut si non vult, certe quidem alterum istud, propter caussarum antecedentium, ex quibus nascitur, concatenatam seriem, necessariò eveniet. Ut si ferreum globum ex declivitate demittas, in subeuntes impetu ruentem, eisdemque nocentem, mali illius, ex naturalibus caussis necessario orti, vel Auctores, vel certe occasio.*

§. 602.

Caussæ, quibus adducti milites, de quibus §. 581. singularem ingressi sunt decertationem; offensio gravis, æstus iræ, irritabilis indoles, instigantium commilitonum malitia, &c. &c. *Sunt ejusmodi*, ut *illis admissis, malum nefandæ necis non possit non oriri; quales cum DEus in hoc irrepere Systema permiserit, mali inde nati vim adprobasse intelligitur.*

§. 603.

Equidem ex parte jam respondi, §. 574. Sed quia tamen nova quædam hîc intercurrunt, eorum hîc quoque solvendo habebo rationem. Uti primo illius cædis, de qua sæpe, militiæ Præfectus, licet permittat eventuram, nec auctor est, nec etiam occasio, futuræ quippe, si Præfectus multis inde lo-

corum intervallis fuisset remotus: ita nec DEUS mali in mundo occasio, nedum caussa est §.598.

§. 604.

Quibus velim addas sequentia: In DEO potentiam fuisse, & Esavi olim non minus familiam Ecclesiæ conspicuæ honoribus ac prærogativis mactandi, quam posteros Jacobi, indubium ait Paulus Rom. 9. v. 11. Nemo dixerit, defuisse DEO facultatem Esavum cooptandi, postquam Jacobus electus erat.

§. 605.

Si quis ex eo, quod, uti omni DEI decretum, ita etiam illud de anteponendo Jacobo, immotum, inconcussum, & veluti ferreæ sit constantiæ, Rom. 11. v. 29. ratiocinetur, Jacobum non potuisse non præferri Esavo, DEum decernendo, sibi ipsi necessitatem imposuisse, is Libertatem DEO in actionibus abjudicabit, illius veritatis immemor, DEum, dum ita egit, agendumve decrevit, habuisse tamen facultatem aliter agendi, eo ipso, quoniam Esavo quidem Jacobus antepositus, sed libere prælatus fuit, nulla re divinam potentiam, aliter ut facere potuerit, coarctante.

§. 606.

Quantacunque nimirum sit decretorum DEI constantia, est tamen eadem semper cum liberrimo conjuncta arbitrio. Quid tali verbo significamus? *Certe hoc*, constantiam illam decretorum DEI pertinere duntaxat ad agendi sapientem ordinem, qualis revocari temere nec à nobis, humana sapientibus, solet, non vero ad agendi divinam facultatem: *certe id declarat*, *DEum sui facti ac nutûs* non pœnitere, dum vero ipsum non pœniteat,

pollere

pollere interim aliud agendi viribus: certissimum quidem esse *decreti*, quippe non revocandi, eventum, sed non necessarium, sed non ita comparatum, ut per DEI potentiam haud aliter præstari potuisset.

§. *607*.

Quæ si vera esse non concedas, quin potius divinæ actioni, decretô ejusdem DEI, necessitatem intrudi contendas, certe quidem hypotheticam, *vi cujus, formato decreto, vel DEus ipse aliter agendi potentiam amiserit;* nescio sane, quæ vera adhuc, cum exploratissima neges, tibi videantur?

§. 608.

Cum in ea te extrema incursurum equidem haud suspicer, sole clarior mihi tecum veritas videtur, ALIUM EVENTUM ESSE CERTUM, ALIUM NECESSARIUM, posse quid irrevocabili (si actionis exercitium spectes) evenire consilio, & tamen liberrimo arbitrio, (si actionis facultatem consideres) *ita ut, dum evenit, non evenire potuisset.*

§. *609*.

Etiamsi igitur Jacobus Esavo antepositus fuerit libere, *non tamen sine ratione* objectiva, i. e. tali, quæ vel ab ipso *Jacobo, vel à Systematis præcipua quadam* conformitate, cui Patriarcha Ecclesiæ DEI prærogativam convenientius gessit, quam alius quilibet, petita fuit, Jacobus fratrem ante ire jussus est.

§. *610*.

Si in ipso Jacobo (objecto divini decreti) rationem illam, ob quam Populi divini honores consequê-

sequebatur, latere potuisse dico §. 609. non id significo, *vel* meriti, *vel alterius* juris *in Jacobo caussam fuisse, quæ DEum, fratrem ut fratri anteponeret; potuerit obstringere:* sed id maxime innuo, convenientiorem *forte Jacobum DEo visum*, non indigniorem; major autem illa convenientia, *ad DEI* gloriam *refertur, non ad illam* Jacobi præstantiam: in magnis enim rebus publicis homines vel ignobiliores huic aut isti exsequendo principis consilio aptiores opulentissimis celebratissimisque esse, quotidiana loquitur Politicorum experientia.

§. 611.

Omnis vero divini consilii rationes objectivas, i. e. ab objecto, circa quod divina voluntas versatur, petitas esse, i. e. esse sapientes; sapientia quippe finibus subordinat media, & eo ipso voluntatis objectum *respicit*, ita ut NULLA VOLUNTAS POSSIT DECERNERE SAPIENTER, NISI OBJECTIVAS RATIONES SECUTA; id est quod superiori discursu de prædestinatione Sect. II. §. 116. dedi probatum.

§. 612.

Quod cum ita sit, rationes illæ §. 609. voluntati divinæ, quà libera est; i. e. ad agendum & non agendum, ad præponendum Iacobum & Esavum, perinde comparata, nullo adhuc discrimine, suadent, ut, cum adhuc, si vim ipsâm agendi spectes, ad utrumque oppositorum indifferens fuerit, nunc eliciat actionem differentem Jacobo magis quam Esavo fauturam: ut licet, secundum

ipsam

ipsam libertatem in se consideratam sine distinctione uterque potuerit *eo honore beari*, tamen, ob rationes §. 609. 610. laudatas, nonnisi Jacobus, *distincte ab* Esavo, prærogativa mactatus fuerit.

§. 613.

Quemadmodum vero ea determinata dicuntur, quæ, *cur ab omnibus aliis rebus ita* distinguantur, luculenter cognovimus: §. 542. ita exploratissimum est determinata se divinam voluntatem, i. e. distincta actione in hoc aut istud ferre, ita, ut tamen ipsa agendi vis, ulla distinctione, ad solum illum agendi modum, qui eligitur, exclusis cæteris non restringatur.

§. 614.

Determinatio igitur divinæ voluntatis. quæ ex rationibus objectivis nascitur, §. 609. exercitium agendi ad unitatem revocat, non ipsam agendi vim. Cumque id necessarium dicatur, cui aliter eveniendi facultas *erepta est*: Sequitur, quod in tota hac lite decidenda longe momentissimum est, OMNE NECESSARIUM quidem ESSE DETERMINATUM, sed NON OMNE DETERMINATUM ESSE CONTINUO NECESSARIUM.

§. 615.

Quod, si altius ad animum revocassent doctissimi Viri, profecto omnis absolutæ electionis doctrina inculta jaceret, atque deserta.

§. 616.

Nam, quæ ratio est divinæ voluntatis, libertatisque, §. 584. eadem, si ab eo solo, quod in hac infinitum occurrit, discesseris, est etiam voluntatis

libertatis;

libertatisque Hominum. Uti primo DEI decretum, suæ, in quam tendit, actioni ne ullam quidem necessitatem intrudit: §. 606. 607, ita nec idem imponit necessitatem actioni humanæ: ea enim ratio, quâ in actionibus humanis divina destinatio necessitatem gigneret, duram isthanc legem divinis quoque præscriberet actionibus. Quod est absurdum.

§. 617.

Uti secundo salva & incolumis persistit libertas divina, licet agendi determinantes § 613. *rationes ab* objecto, circa quod illa occupatur, *desumi soleant;* etiamsi quoque illæ *rationes sint alteris, pro non agendo militantibus*, fortiores, *graviores:* §. 612, ita etiam hominum in operando libertas illibata manet, non destruenda quarundam præpollentium rationum, ad hoc, præ illo, sequendum, accessu: quippe *qui* exercitium *duntaxat facultatis dirigit, non restringit ipsam agendi* facultatem. vid. §. 606. determinat duntaxat, *non imponit* ullam necessitatem: nec enim omne determinans confestim necessarium est. §. 614.

§. 618.

Quidquid ergo homines LIBERE egerunt, id ita egerunt, ut, non obstante DEI decreto, POTUISSENT ETIAM NON AGERE, etiamsi rationes pro *agendo* fortiores fuerint, quam pro omittendo, quæ quippe DETERMINANT modò, NON ulla necessitatis lege constringunt. Quo ipso tandem, facta digressione, ad illud argumentum pro contraria parte allatum §. 602. solutione nostra redimus.

§ 619.

§. 619.

Nimirum, qui fortioribus ad aliquid agendum rationibus ducitur, minime impellitur ratione simili, qua ex declivitate ferreus per præcipitia ruit globus. §. 601. Est enim hujus motus caussa à rationibus fortioribus, quæ actionem liberi hominis eliciunt magis, quàm extorquent, suadent potius, quam protrudunt, consiliô potius promovent, quam brutô impulsû mechanicô, est, inquam, illa motûs caussa ab ejusmodi rationibus GENERIS DIVERSISSIMI.

§. 620.

Argumentum Veritatis invictum est in promtu. Omnis necessitas, sive *idearum*, sive *eventuum*, i. e. sive *absoluta*, sive *hypothetica*, aliarum idearum, alterorumque eventuum possibilitatem excludit: sola autem *determinatio* non excludit, ex fortioribus licet rationibus enata. §. 619.

§. 621.

Idearum necessitas, seu absoluta, ex ipsa rerum definitione oritur, ita, ut, quousque HAC naturâ, HAC definitione contineantur, ALIA continere nequeant, nisi velis idearum admittere repugnantiam, contra §. 530.

§. 622.

Necessitas eventuum (naturæ corporeæ) *seu hypothetica*, non ex ipsa rei definitione, & essentia fluit; uti §. 621. sed ex conditione rei extrinseca, quâ posita, res ita contingit, ut nullam habeat alterius eventûs facultatem.

§. 623.

Illius §. 621. exempla sunt, *nullum montem esse sine valle, DEum esse omniscium, bis duo esse quatuor:*

quæ

quæ prædicata omnia ex subjecti definitione intelliguntur necessario. Hujus vero necessitatis §. 622. specimina: *pluente cœlo rivos oriri in vallibus: spirante aquilone exsistere frigus &c.*

§. 624.

Cum motus exsistat nullus, nisi viribus corporis agendi, quæ adhuc majoribus obsistentibus retardatæ fuerunt, carcere quasi suo liberatis, & sponte velut effervescentibus; 151. Cap. II. de prædest: neque enim vis minor propellere majorem potest, quin omnes potius vires, si AGUNT VERSUS LOCUM MINORIS RESISTENTIÆ AGUNT: Sequitur, omnem corporis naturalis actionem ita fieri, ut, posita HAC conditione, POSITO hoc resistendi, ab alias opposito, gradu, aliter fieri non possit, ideoque omnem in Natura corporea motum necessitate hypothetica, ex definitione §. 622. excitari.

§. 625.

Ruit globus v. g. per declivem montem: Sed nulla in eo vis inest per acclivitatem ascendendi? cum nulla in eo vis sit gravitate, quæ deorsum nititur, major, in contrarium agens, ideoque globum tollens in acclivia. Materia enim, gravia faciens corpora, quæcunque tandem sit, versus centrum pellit, nulla alia huic obsistente, aut contraria vi nitente majori in peripheriam.

§. 626.

Similis necessitas est directionis in motu quolibet. Cur corpus motum hanc lineam potius, quàm proximam huic, vel aliam quamlibet emetitur? Quia per omnia hujus puncta minor resistendi vis obstitit, quam in alia quacunque vicina. Finge in vicina linea punctum esse B. in quon proclivior corporis

poris motus detur, i. e. quo minori resistendi conatu motui se opponat, quam punctum A. illius lineæ, per quam corpus agitari supponis; si illud punctum B. huic A. proximum fit: aut corpus ex A. in B. tuet, quod est contra hypothesin, quam docendi caussa tantisper fingimus: aut non movebitur versus locum minoris resistentiæ, contra §. 624.

§. 627.

Quandocunque igitur *corpus movetur*, secundum OMNES *vires movetur*, quarum exercitium, circumstantia corpora resistendo non sufflaminant; illæ enim corporis vires, quæ non exercentur, ad compensandam exsistentium reactionem impenduntur. Nihil igitur in corpore virium superest, quam id quod exercetur, aliter ergo moveri non potest, i. e. movetur necessitate hypotheticâ ex definitione. §. 622.

§. 628.

Diversissima vero est Mentis humanæ natura & indoles, quæ sæpe multa omittit, *non quia* externa *quædam corpora, in contrariam partem nitendo obluctantur*, quod corporibus quibuslibet obtingit; per §. 627. Sed quia deliberato consilio non vult agere, i. e. quia facultatem agendi non minus quàm omittendi habet, certo autem judicio, ob rationes sibi graviores VISAS non agit, ideoque omittit.

§. 629.

Illæ rationes sive agendi, sive quidpiam omittendi, pro alterutra parte, fortiores, non eripiunt Menti humanæ vires, quas habet agendi pro parte altera ob rationes debiliores VISAS: non enim illæ rationes, id quod circa corporum motus evenit, Mentem circumfundunt, trudunt, pellunt, ut nul-

lam majorem haberet resistendi vim, sed docent, suadent, alliciunt, invitant, eblandiuntur, & vires ad utrumque æquales, huc potius, quam illuc dirigunt, id quod secus fit, si corporum motus consideres.

§. 630.

Corpus aut quiescit (coram nostro sensu: *revera* enim omnis materia subtilior continuo agitatur motu) tum ob majorem resistentium, quibus ambitur, vim, quiescit: aut movetur, tum ob vires, quibus resistentia superat, itidem movetur. Major vis cum minori collisa tantum ad minorem compensandam impendit, quanti minor est, ut igitur minor eodem loco habenda sit, ac si non esset, solo majorum virium superpondio in æstimationem veniente. Corpus igitur, quamdiu non movetur, viribus id faciendi caret, quamdiu movetur, vi quiescendi PER SE destitutum est.

§. 631.

At dispar humanæ mentis conditio, quæ duabus agendi occasionibus propositis, æqualibus ad utramque prensandam viribus est instructa, etiam ei, quam prætermittit, nulla vis major, quæ facultatem eligendi ademisset, obstitit, uti §. 630. non igitur eam NON POTUIT, sed NON VOLUIT sequi: rationes pro alterutra anteponenda fortiores, vires ad utramque æquales, ex æquilibrio non trahebant, sed exercitium earum in alterutram inclinârunt partem.

§. 632.

Quid? quod ex eo etiam manifestissima corporum mechanismi & rationum *agendi* fortiorum, quibus Mens humana movetur, differentia cognoscatur

catur. *Corporum motus causa semper* externa est; (non loquor de elementis corporum; quæ propriis viribus ornantur) *quidquid enim movetur ab alio movetur*; cùm MAJOR vis præsto sit, quam eorum, quæ resistunt §. 624. At vero mentis humanæ actio, ac destinatio caussam sui extrinsecam non agnoscit: se determinat ipsa, non determinatur aliunde; quod supra satis superque demonstratum est. Nihil forâs est, quod mentis vires ad certam mensuram revocaret: ipsum potius Mentis judicium, rationes in utramque ponderans, SALUIS, AD UTRUMQUE AGENDUM, VIRIBUS, huc potius revocat, quam illuc.

§. 633.

Quæ cum sole mihi clariora videantur, dubium potest esse nullum, quin necessitas hypothetica, sensu, quem §. 622, explicavi à mentis humanæ natura abhorreat vehementissime. *Aliud igitur est* determinatum, *aliud* necessarium: *determinata* sunt mentis humanæ actiones, *non necessaria*: illud, ob rationes fortiores, (non dico: digniores) quas semper sequitur: HOC vero, quia nulla ratio fortior aliter agendi facultatem extinguit. Quô observatô, in prædestinationis doctrina, dici vix potest, quantæ difficultates evanescant.

Hi motus animorum, atque hæc discrimina tanta
Pulveris exigui jactu compressa quiescunt.

vid. caussam DEI assertam Leibnitii. p. 33. §. 103. seqq. &c.

§. 634.

Hæc igitur est illius argumenti, quod §. 629. proponendum suscepi, explicatio, non improbanda

da ab illis, qui, quæ de præsenti negotio supra dixi, paullo attentius meditari non dedignabuntur. Sequitur nunc, ut properante discursu, alia quædam dubia excutiam, quæ decisioni obstant, qua, quod quæstionis caput est, & ad æternam futurorum caussam pertinet, hactenus declaravi.

§. 635.

Peccata ab æterno, inquiunt, *aut* volente *DEo, futura erant, aut* nolente: *non hoc: invito enim ac repugnante DEO non potest fieri quidquam: ergo illud verum est, quidquid futurum sit, volente DEO esse.* Non vult DEus aliquid duplici modo: vel ita, ut ei physica opponat impedimenta, quo pacto, quod non vult fieri, aut futurum esse, prorsus non potest: vel sic, ut nulla quidem obstacula ex eo genere objiciat, ne scilicet, iis objectis, majus incommodum admittendum sit, ex alio velut latere, *interim tamen cujus eventum physice non sufflaminat,* effectumque *exsistere permittit,* affectu *vehementissime improbet.*

§. 636.

Rem ita semet habere, ex iis intelligitur, quæ §. 614. ostendi. Piorum parentum proles labe hæreditaria inficitur invitissimis illis: nec tamen non Parentes aliquid faciunt, ex quo istam culpam futuram esse certô certius præsentiunt. NOLLE ergo aliquis POTEST ID SERIO, CUJUS IMPEDIENDI PLENSSIMAM HABET POTESTATEM, NEC TAMEN REVERA IMPEDIT. Id quod ad argumentum destruendum sufficit.

§. 637.

Permissio, ajunt præterea *voluntati substernitur: si DEus peccata fieri permittit, aliquo modo vult.* Vult utique permissionem eorum, non ipsa peccata.

Qui

Qui vult rem PERMITTERE, non continuo VULT *ipsam rem.* Nam quæ permittimus, AB ALIIS fiunt: quæ volumus, volumus & agimus ipsi. Sed, quis nescit, nobis quidquam permittentibus, alios, quibus non obstamus, non illico necessario agere, posse, &, nobis permittentibus, non agere. Haud quaquam igitur id volumus, quod à nobis permittitur.

§. 638.

Ne hæc absque argumento dicta videantur, teneamus sequentia. Sæpe horrendi latronis, ad extremum vitæ resipiscentiam contumaciter spernentis, supplicium decernit ultimum pius Magistratus, etiamsi, eo destinato, æternas latronis plagas apud inferos secuturas certissime præsagiat: nec tamen pius Magistratus æternas hominis pœnas VULT, sed PERMISSIONE sua evenire sinit.

§. 639.

Numquid hoc casu ratiocinio tuo ad increpandum ejusmodi sapientissimum Magistratum uteris? Dicesne: *Permissio voluntati substernitur: cum igitur cruciatus Latroni æternos accidere Judex* permiserit, *perinde est ac* si voluisset, approbasset, & sententiam *propterea talem* tulisset, *ut illud æternum malum*, quod ex suo supplicio certissime secuturum prævidit, *inevitabili modo consequeretur.*

§. 640.

Licetne contra talem Judicem §. 638. argutari: *aut plagæ æternæ volente eo secutæ sunt, aut nolente: non sane eo nolente, sublato enim mortis supplicio resipiscendi spatium latroni potuisset obtingere, quod cum Judex sua eripuerit sententia, intelligitur, volente eo illam æternam perniciem consecutam?* Quæso, quis ferat ita contra

homines ratiocinantes, cum Tu vero eo argumento in divinis utaris, nescio qua ratione in divinis verum esse possit, quod in humanis (personis tantum mutatis) falsissimum est, cum tamen eadem ratiocinandi vis maneat, nec personarum variatio ad argumenti robur referatur.

§. 641.

Aut omnia fallunt, quæ vera sunt, aut pro tuendo Magistratu negandum est, idem esse, VELLE aliquid & PERMITTERE: affirmandum potius; *Magistratum* velle permissionem (quæ SUA EST) illius mali æterni, idque ob rationes à bono publico aliunde petitas: non vero velle ipsum malum æternum, (quod ALTERIUS NON MAGISTRATUS VOLUNTATE) consequitur: etsi enim Magistratus permiserit, ut latro in ea rerum serie collocetur, in qua ulterius resipiscendi spatium decurtatum plagas æternas comites habet: tamen vel hoc permittente, latro necessario contumax non fuit.

§. 642.

Atqui similem DEI caussam, idem ejus consilium statuo in circa malum providentia. Tametsi DEus viderit, futurum, ut, si Judas in hac rerum serie collocetur, & Servatorem proditurus, & sempiternam sibi perniciem maturaturus sit; tamen DEO hoc Systema vel maxime creante, & id fieri permittente, Judas necessario, ea quæ fecit, non fecit. Erat comprehensus necessario in hac serie, tanquam ejusmodi designans, sed tanquam LIBERE designans: uti latro, qui, si hodie plectetur, ad inferos detrudendus est; Sed resipiscentiam in carcere oblatam non respuit necessario: potuisset, supplicio non obstan-

obstante, æternum evitare malum. Quidquid contra hoc exemplum *dixeris*, id ad indivduas ejus conditiones pertinebit, in quibus ejusdem classis res cum rebus comparare nec debemus, nec possumus: sufficit, iis affectionibus, quæ ad institutum faciunt, quæque ostendunt, PERMITTI à TE POSSE RES, alias te obstante non eventuras, A QUIBUS TAMEN ABHORREAS VEHEMENTISSIME, exemplum casui nostro exactius respondere.

§. 643.

Id quod caussa est, pergunt, *caussæ, dici etiam potest caussa effectus: sed caussa nostra voluntatis DEus est: ergo etiam peccatorum, quæ per illam futura sunt.* Plus millies ad hoc ab aliis responsum. DEus est caussa nostræ voluntatis, sed non defectuum nostræ voluntatis: defectus enim sunt rerum limites, qui nulli à DEO esse possunt, uti demonstravimus §. 517. seq. Nec qui rem vult. (v. g. hominis voluntatem) continuo ejus defectum VVLT, sed potius cum RE ADMITTIT: quod probavi §. 541. 542. 543. seq. Atqui omnia peccata defectus esse, exploratissimum est.

§. 644.

Peccata ponuntur in eo, quod â rebus, *quà* limitatis, omittitur boni. Nam etsi morali significatu inter omissiones & actiones plurimum interfit: illud tamen discrimen Ontologia non curat, quidquid mali est, aut designatur, ad rerum defectus revocatura. Jam vero ad id ut aliquid NON FIAT divina voluntate perfectissima opus non est, sed imperfecta, sed limitata rei ipsius natura quod ex §. 588. 589. 590. 591. 592. 593. seq. cognoscemus.

§. 645.

Actio, instant, *omnis à principio rerum pendet: at DEus est rerum omnium principium; peccatum est actio: pendet igitur peccatum à DEo.* Jam ex parte responsum cap. II. de prædest: ubi de concursu actum. Actio omnis, quà agendi vires à DEO est: sed quà *vires agendi* in exercitio deficiunt à DEo non pendet, nec pendere potest. §. 538. 539.

§. 646.

Si DEus, verba eorum, qui dissentiunt, recito, *aliud de Adamo decreverat, quàm quod accidit, aut non fuit omnipotens: cujus consilia satanas turbaverit, aut inconstans, qui mutaverit consilium.* Si de pœnis, legum violatorem manentibus tibi sermo sit, voluntate consequente, aliæ omnino Protoplastis evenire non potuerunt, ac DEus decrevit voluntate eâdem. Hanc autem voluntatis distinctionem ratione solida niti, cap. II. de prædest: probavi.

§. 647.

Si vero de culpis Adami loqui instituas, respondeo: Accidit Adamo quod DEus decreverat, *non per Adamum* facere, *sed*, quod aliunde ab Adamo faciendum erat, permittere. Pertinet DEI decretum non ad Protoplasti factum, sed ad ejusdem facti permissionem. Bene fundatam vero distinctionem esse inter decretum facti, ac decretum permittendi facti, paginis antecedentibus, ni fallor, evici. §. 639. 640. 641. 642. seqq.

§. 648.

Hominem DEus condidit, inquiunt, *aut ut* staret, *aut ut* laberetur: *non ut staret, alioquin stetisset: Ergo ut laberetur.* Perinde ac sic contra Præfectum

Leib-

Leibnitii §. 581. seq. ratiocinareris: Milites Præfectus inter se dimicare sivit, *aut ut alteruter occideretur, aut ut occideretur neuter: non hoc spectavit, aut spectare Præfectus potuit: aliter enim miles alteruter occisus non fuisset, quod ille, cum potuit, non impedivit: ergo Præfectus eos decertare voluit, alteruter ut necaretur.* Quidquid pro Præfecto responderis, tibi à me ad argumentum allatum eodem respondebitur jure.

§. 651.

Quodsi DEus Protoplasti defectionem noluit, cur potentia labendi, antequam laberetur, affectum condidit. Ex dubiis est adversariorum. Si tali Adamum DEus condidisset potentia labendi, quæ proclivitatem innueret peccandi, certe Deus in culpæ veniret partem unà: at contrarium ex divina, qua ornatus est, imagine patet. Si labendi vero potentia, vel impotentia denotet libertatem limitatam, cui non repugnat, ob cognitionis limites, rei obiter attendere, eandemque desultorie consideratam, volendo sequi, licet facultatem plenissimam accuratius expendendi objecta habeat, si, inquam, hoc sensu impotentia labendi tribuatur Adamo, ex limitibus finitæ Personæ oriunda, nego inde sequi, voluisse Deum, ut Protoplastus descisceret à DEo.

§. 652.

Denique sunt, (*) qui ita ratiocinantur: *oportuit hominem labi, ut declarandæ bonitati & justitiæ locus aperiretur.* Respondet Leibnitius. (*) *Et sane si DEus maximam hominum partem ideo tantum creasset, ut æterna eorum malitia miseriaque justitia sibi gloriam vindicaret; nec bonitas in eo, neque sapientia, neque ipsa vera justitia laudari posset. Et frustra regeritur, nos apud eum nihili, nec pluris quam vermiculos,*

apud nos, esse; excusatio enim ista non minueret, sed augeret duritatem, omni utique Philanthropia sublata, si non magis DEus hominum curam gereret, quam nos vermiculorum, quos curare nec possumus nec volumus, &c.

(*) Zvvingl. Serm. de Provid. c. 5. 6. Beza Vol. 1. 2. th. 7. Piscator in disp. contra Sch. th. 27.

(**) Leibnitius in caussa DEI asserta §. 115. 116. seqq.



Cap. II.

NUM SENTENTIA VIRI ILLUSTRIS, DE ELECTO OPTIMO SYSTEMATE PARTICULARI GRATIÆ DEI ERGA HOMINES FAVEAT, NEC NE?

§. 551.

NOn desiderantur illi, qui propositam quæstionem affirmant, his usi verbis: *Neque facilius mihi quidquam esse potest, quam ex sapientissima, divinisque perfectionibus omnibus dignissima sententia,* (Leibnitii) *Lutheranam sententiam evertere, soloque æquare.* Quam facile id fieri possit, mox, procedente discursu judicabimus, si partium seponere studia placuerit.

§. 552.

Quodsi enim DEus mundum eum, in quo hunc malorum ordinem cum omnibus antecedentibus & consequentibus accuratissime ab æterno perspexit, tanquam OPTIMUM *elegit, decrevit, produxit: nihil DEus velle potest ab iis diversum, quæ ad hunc optimum mundum pertinent.* Responsionis fundamentum §. 599. seqq.

§. 553.

§. 653.

Militiæ præfectus, de quo 681. §. inter duos, quos propositos, & accuratissime perspectos habet, agendi typos, quorum alter cædem militis privati *impediendam*, stationem vero eum utilitatis publicæ detrimento deserendam suadet; alter vero necem illam permittendam, privatim quippe duntaxat *malam*, contra, servata statione, salutem publicam tuendam consulit, hunc OPTIMUM, illi BONO quidem, sed non æquali gradu, agendi typo anteponens, inæqualiter præstantis agendi typi bonum, v. g. militis incolumitatem, eo sensu, etiamsi futura non erat certissime, voluit, adprobavit, quo exploratum est, præfectum, si plura pro militis salute, salvo bono publico, agere potuisset, paratissimum utique futurum fuisse; quô certum est, abhorrere ab illa cæde Virum fortissimum, detestari, exsecrari illam, quamvis, quod quidem potuit, ob sublimiores rationes sapienter non impedire debuerit.

§. 654.

Falsum igitur est, quod § 652. habet: *nihil potuisse DEum velle ab iis diversum, quæ in optimo Mundo eventura sunt.* Præfectus militiæ (DEus) optavit, voluit & illud bonum, quod erat in altero agendi typo, quem non electurus erat, sed prætermissurus ob rationes celsiores.

§. 655.

Fingamus jam porro militiæ præfectum, antequam assignatam ingrederetur stationem, gregarios illos, jam ad funesta jurgia pronos, satis superque monuisse, addidisse pacis inter illos componendæ remedia (restituta pecunia, quam alter ab altero ereptam exprobrando litis præbuerat fatalis dete-

standum

ſtandum fomitem) cogitemus in illo typo, qui gregarii cædem continebat, nihil fuiſſe omiſſum quod ſuſcipi à præfecto poterat, ad eam declinandam: ponamus porro præfectum ex utriusque gregarii ſummo animorum paroxyſmo prudentiſſime conjectaſſe, immo vero præſciviſſe, fore, ut, ex eo primum tempore, quo aſſignatam ſit ingreſſurus ſtationem, milites ſæpe dicti, abſentia illa animati, dimicationem ſingularem ſint ſuſcepturi, ideoque alteruter incurſurus in vitæ periculum: num dicendum hoc caſu erit, præfectum ideo militis incolumitatem noluiſſe, quia eum agendi typum eſt ſecutus, qui militis ſtragem certiſſime comitem habiturus erat? Equidem non ita ſentio.

§. 656.

In eo enim agendi typo, quem Præfectus elegit, tametſi militis cædes comprehenſa erat, ea tamen omnia incluſa erant, quæ ad ſtragem futuram devitandam accommodatiſſime faciebant. Vere igitur dici poteſt: INTENDISSE PRÆFECTUM SAPIENTISSME EA, QUÆ NON FUTURA PRÆSENTIEBAT, æqualem præfecti erga utrumque militem, & pereuntem, fuiſſe favorem. Similem vero præſentis Syſtematis conditionem eſſe, in quo unicuique facultas, (ſive propior ac naturam ſupergreſſa, ſive remotior & pædagogica, apud non chriſtianas gentes) competat, ſuperioribus paginis & Cap. I. & II. ſatis, opinor, probatum eſt. Salus igitur & pereuntium, non qua ſunt pereuntes, ſed qua ſunt cum toto mundo amati, Joh. 3. v. 16. DEO cordi eſt.

§. 657.

Ergo nugæ ſunt, & febricitantium ſomnia, pergit

git dissentiens Auctor, *quæ Lutherani plenis buccis, proflatisque naribus*, satis amanter, & ad pacem postulatam accommodatè, *de universali sua misericordia, redemtione, gratia inepte garriunt. Eo ipso enim, quo DEus hunc mundum* OPTIMUM *elegit, decrevit produxit*, SOLOS *illos salvos non potest non velle*, *qui* SOLI *in hoc mundo tanquam salutis in Christo per Spiritum S. participes repræsentabantur; neque eorum ullum velle potuit non damnatum, qui tanquam extra Christum propter peccata sua damnati* NON MINIMAM HUJUS MUNDI OPTIMI PARTEM *constituunt.*

§. 658.

Dabo ad hæc dubia primo verba illustris Viri in caussa asserta §. 123. *Nos igitur rejecta illa odiosissima Misanthropia tuemur merito in DEo summam Philanthropiam, qui* NB. OMNES (omnis generis) *ad veritatis agnitionem pervenire*, OMNES *à peccatis ad virtutem converti*, OMNES *salvos fieri* SERIO *voluit; voluntatemque multiplicibus gratiis declaravit. Quod vero non semper facta sunt, quæ hic voluit, utique repugnanti hominum malitiæ attribui debet.*

§. 659.

Convincimur hoc discursu, saltim ex illius mente, qui mali permissionem ab optimi Mundi ratione repetiit, (quidquid interim sit de re ipsa) nimirum ex Leibnitio, falsum esse, quod, cum DEUS præstantissimum Systema elegerit, idem eos omnes à salute æterna exclusos voluerit, quos Mundi optimi æterna in divino intellectu idea, ut pereuntes repræsentavit. Voluit enim DEus, secundum hæc verba §. 658. OMNES salvos, OMNES veritatis

cogniti-

cognitione illuſtratos; cur? *quia ſuam voluntatem multiplicibus gratiis declaravit*, adeoque etiam ii, qui perierunt, tamen non perire potuiſſent.

§. 660.

Pergit Vir laudatus l. c. *At hanc inquies ſuperare potuit ſumma potentia ſua. Fateor, inquam, ſed ut faceret, nullo jure obligabatur, neque id ratio aliunde ferebat, Inſtabis: tantam benignitatem, quantam DEO merito tribuimus, progreſſuram fuiſſe ultra ea, quæ præſtare tenebatur, imò optimum teneri ad optima præſtanda, ſaltem ex ipſa bonitate naturæ ſuæ. Hic vero tandem ad ſummæ ſapientiæ divitias cum Paulo recurrendum eſt, quæ utique paſſa non eſt, ut DEus vim ordini rerum naturisque ſine lege menſuraque inferret, ut turbaretur harmonia univerſalis; ut alia, ab optima, rerum ſeries eligeretur. In hac autem continebatur, ut* OMNES LIBERTATI, *atque adeo* QUIDAM IMPROBITATI SUÆ *relinquerentur.*

§. 661.

Idem Vir celebertimus §. 111. in cauſſa DEI aſſerta ita pronuntiat *Etſi enim multi populi nunquam ſalutarem Chriſti doctrinam acceperint; nec credibile ſit, prædicationem ejus apud omnes, quibus defuit, irritam futuram fuiſſe; Chriſto ipſo de Sodoma contrarium affirmante: non ideo tamen neceſſe eſt, aut ſervari aliquem ſine Chriſto, aut damnari, etſi præſtitiſſet*, QUICQUID PER NATURAM POTEST. *Neque enim nobis omnes viæ DEI notæ ſunt, neque ſcimus annon aliquid extraordinaria ratione præſtetur* MORITURIS. Pro certo enim tenendum eſt, etiam Cornelii exemplo, ſi qui ponantur bene uſi lumine, quod accepere,

cepere, eis datum iri lumen, quo indigent, quod nondum accepere, etiamsi in ipso mortis articulo dandum esset.

§. 662.

Ex his manifestissime intelligitur doctrinam, de optimi mundi delectu, longe alio significatu à Viro illustri stabilitam, ac Dissentientes eam amplectuntur, quin in toto SUO, quod statuere videntur, OPTIMO Systemate, nescio quid necessitatis velut ferreæ locum habere putant, qui OPTIMUM MUNDUM, necessario, non libere, i. e. cum facultate declinandi, peccaturos, necessario, non cum libere contracta culpa damnandos complexum, sibi imaginantur.

§. 663.

Inde particularis gratiæ cum SUO, NON LEIBNITIANO, optimi Systematis delectu, nexus: inde consequentia: *Optimus mundus hos servandos repræsentat, ergo idem reliquis omnibus, qui pereunt, opportunitatem illam, rite adhibendam, denegat;* ergo, qui in mundo optimo servantur, EOSDEM SOLOS SERVATOS DEus non potest non velle.

§. 664.

Ibimus, allegatis Scriptorum verbis, in rem præsentem. Primo, ut Leibnitius Mundi hujus, *tanquam* optimi doctrinam tenet: ita, si hanc vocem spectes, eandem sententiam suam faciunt Dissentientes, MUNDI OPTIMI toties repetita mentione: unde error natus, convenire Leibnitium inter & eos, qui particularem DEI gratiam tuentur; cum tamen universalem VIR illustris §. 661. statuat.

§. 665.

§. 665.

Verum enim vero Leibnitius SUA mundi optimi ideâ libertatem hominum, i. e. facultatem non agendi, dum agis, contineri sensit, ex §. 166. item ex Cap. 1. Append. Dissentientes omnem Libertatem in mera spontaneitate collocant. Præterea Vir celeberrimus, omnibus omnino, etiam gentibus non Christianis, modo tantum faciant, QUANTUM NATURA POSSUNT, gratiam DEI patere sentit, quod idem significat, ac *omnes pereuntes habuisse facultatem non pereundi*: vid. §. 661. Dissentientes verò id negant pernegantque. Puto id ad utrorumque Optimi Mundi discrimen declarandum omnino sufficere.

§. 666.

Primo, ut dixi, certum est, Adversarios nostros OPTIMI MUNDI facere mentionem. Zwinglius de provid. ad Phil. magn. cap. 5. *nihil*, inquit, *ab isto bono fieri potest*, non absolutum, perfectum, ac integrum. *Nihil enim non videt etiam prius, quam fiat &c.* In fidei suæ confessione p. 522. *Nihil enim*, ait, *quam quod bonum*, *adeoque* OPTIMUM *est*, *velle potest*. (DEus) - - *quemadmodum mechanicus faber omnia sua instrumenta novit, iisdem utitur - - ita DEus omnes creaturas agnoscit, exercet.* Illis semper operibus utuntur tanquam similibus, quæ nihil libertatis, dum fabrefacta sunt, habent: ex quo genere est mechanici opus, id quod arguit, eorum de optimo mundo ideam delineationi domus exstruendæ similem esse, quæ quidquid repræsentat, ut primum domus ædificatur, non potest non, sine omni libertate, tali, vel tali exsistere modo.

§. 667.

§. 667.

Zanchius de natura DEI Cap. II. q. 15. *DEus jubet id quod novit esse* OPTIMUM, *ac proinde quod vult, quia sibi probatur &c.* Alibi libr. cit. q. 9. th. 8. *si omnia in sapientia facta sunt: nihil igitur est factum, aut fit sine ratione. Proprium enim sapientiæ est omnia agere cum ratione. Quare, quod etiam mala volens permittat, non sine summa est ratione, sineque sapientissimo consilio.* BENE hæc de Systemate præstantissimo, ac præclare dicuntur, sed non PLENE, cum in optimo mundo talis hominum natio statuatur, quam DEus voluit cadere, ideoque, cum divinæ voluntati, secundum dissentientes, resisti nullo pacto possit, natio, quæ non potuit non peccare. Talem optimum mundum nos cum Leibnitio damnamus.

§. 668.

Atqui talem Adversarii imaginantur: Martyr, fol. 236. *DEum Adamum* voluisse *cadere, dubitari non potest, alioqui non cecidisset* fol. 828. *cum DEI agitatione omnes & vivamus & moveamur: opera certe omnia, quæ facimus, necesse est, ut quo quo modo* ejus impulsu *fiant. Item. DEus præterea & quidem juste subministrat reprobis occasiones peccandi, & mirabiliter* inclinat *hominum corda*, non tantum ad bona, sed & ad mala.

§. 669.

Zwinglius de Provid. cap. 6. ita disserit: *nec dicat quisquam: innocens est latro: DEo enim impulsore egit: nam contra legem peccavit. At, inquies, coactus est ad peccandum. Permitto, inquam, coactum esse, sed in hoc, ut alter transferretur, alter crucifigeretur,*

retur. Multo aliter sentit Leibnitius, in causs. assert. §. 37. *malum culpæ nunquam in DEo objectum est voluntatis in DEo productiva* (i. e. prout Zwinglius loquitur: coactivæ) *sed tantum aliquando permissiva; quia ipse nunquam peccatum facit, sed tantum ad summum aliquando permittit.*

§. 670.

Calvinus in cap. 3. Gen: *Offendit quorundam aures, quum dicitur, DEum* voluisse: *Sed quid obsecro aliud est ejus* permissio, *qui prohibendi jus habet, immo cujus in manu res est posita,* quam ejus voluntas? Sed nos superioribus paginis, ni fallimur, evicimus, NOLLE peccatum etiam illos, in quorum manu fuisset impedire. & qui nihilominus permittunt. §. 637. 638. 639. 640. 641. 642. Cap. I.

§. 671.

Beza in Resp. 2. ad acta Coll. Mompelg: p. 177. *quod primi parentes se se nativa illa bonitate privârunt, nonnisi ex DEI sic* volentis *decreto factum fuisse, dixi ac dico.* Joh. Piscator in disput. contra Schaffm. th. 27. *DEus tales condidit primos parentes, ut labi possent, imo hoc consilio condidit,* ut re ipsa laberentur; *quippe cum nonnisi hac ratione pervenire potuerit ad fines principales, sc. patefactionem justitiæ & misericordiæ.* Aliter sensisse Leibnitium §. 650. probavi.

§. 672.

In appendice disputat. citat. idem: *Etsi homo per naturam potuit non transgredi, quippe præditus libero arbitrio,* tamen per decretum DEi non potuit non transgredi. Martyr. in Rom. cap. 1. ait:

1. ait: *Deum esse aliquomodo caussam peccati*, Nolim tamen Viros eruditissimos hujus sententiæ arguere, quâ DEus caussa peccati *statuitur*: habent enim hujus veneni antidoton, i.e. talem hypothesin, quâ DEum omnia sine culpæ vitio facere posse credunt, nec iis exceptis, quæ ab hominibus designata satis honeste non fierent, Zanchius de Prov. cap.6. *Quod DEus facit, libere facit, & absque peccato, ut Adulterium Davidis*, QUOD AD AUCTOREM DEUM PERTINET, *non magis DEo sit peccatum, quam cum Taurus totum armentum inscendit & implet.*

§. 673.

Quamvis igitur ab hac sententia magnopere abhorrereat Viri illustris placitum in caussa DEi asserta: §. 117. tamen ex ea intelligi debet, *non imputandam esse Dissentientibus horrendam opinionem, qua DEo culparum nostrarum caussa tribuitur.*

§. 674.

Verba scriptorum allegata luculenter docent, quantum intersit inter Mundi optimi notionem, quam Adversarii, & alteram, quam Leibnitius sibi format. In utrorumque præstantissimi systematis idea malum, quod experientia tristis loquitur, inest: sed ex diversa sententia, diverso utrinque modo.

§. 675.

Adversariorum conceptu mundus optimus malum complectitur, quia alias ad finem suum DEus pervenire non potuisset; uti verba habent. §. 671. at ex Viri illustris mente, si vel maxime homo labis expers mansisset, scopum DEus suum tamen fuisset assecutus: quod vel simile illud Leibnitii indicat à militiæ præfecto petitum, §. 587. qui scopum suum (tuendam cum salute publica stationem) nihilo-

minus attigisset, etsi cædes gregarii, libere commissa, fuisset evitata. Adde quod ibidem vir celebris expresse neget, malum morale voluntatis divinæ objectum esse posse, tametsi bono inservire fini queat.

§. 676.

Dissentientes si audias, in optimo hoc mundo DEus bona quidem per se, at etiam mala (VERE) vult, propter aliud, i. e. *propter bonum:* uti Zanchius scribit de Natura DEi, alias optimum Systema electum docens; per §. 667. Similis igitur est hic Mundus optimus Medicinæ ad certum finem maxime salutari, quam, præter herbas per se non noxias venena, alias occisura extra compositionem, ingrediuntur; quo casu pharmacopola venenum non tantum admittit, sed & admiscet, i. e. revera *vult, quamvis* propter aliud, neque tantum ab aliis admisceri, præter intentionem, sinit: At si Leibnitium consulas, *malum optimo systemati à DEo non propter fines præclaros, additur,* id enim fieri nefas esse dixit §. 581; *sed optimo mundo,* quem creandum sapientia judicat, liberâ malitiâ adspersum invenit. Uti militiæ præfectus illum agendi typum eligens, qui stationem cum salute publica tuendam repræsentat, alterius typi, non æquo gradu boni, qui cædem militis declinandam docet, malum, i. e. *militis necem* non adjunxit, *sed* libere additam reperit, *gavisurus vehementer*, si uterque typus combinari potuisset, quod per milites stetit, adeoque & salus publica & privata militis conservari.

§. 677.

Ex idea igitur optimi mundi, quam Dissentientes figurant, libertas, *quatenus est facultas non agendi, dum agis* (sensu diviso) omnino exulat, substitutâ merâ spontaneitate, ut suo ipsorum, non extrinsecus indito, motu, homines, ut & lubentes agant, quæcunque agunt, impulsi interim, (sic enim loquuntur §. 668. 669.) divinâ efficaciâ, *si non* ad vitium, *certe tamen* ad motum, cum quo vitium necessario connectitur: inducti per divinum decretum ad violandam legem ita, ut legem non violare non possint: ex §. 672. at ex Leibnitiana optimi mundi notione decretum DEI nihil mundo necessitatis addit, sed ut liberos homines scientia ab æterno repræsentavit, ita illud eosdem UT LIBEROS exsistere suo tempore jussit: uti homines ita EX SE IPSIS determinatos in agendo §. 542. Cap. 1. append. seqq. salva libertate i. e. *aliter agendi facultate*, etsi *rationes* fortiores, intercurrerint, §. 618. Cap. 1. Append. scientia DEi ab æterno vidit; ita tales & decretum, nihil in illis, quod illi putant, mutaturum, adprobavit, ob sublimiores rationes, & exsistere jussit.

§. 678.

In idea mundi optimi Dissentientium *malum DEus vult* §. 672. vel certe vult propter aliud, i. e. bonum. §. 676 in idea mundi optimi Leibnitiana malum DEus nec per se, nec per aliud *vult*, uti manifestissime intelligitur ex eo, quod negat voluntatis divinæ objectum esse posse morale malum, etiamsi bono cuidam inservire soleat; vid. §. 580. Cap. I. Append. malum potius in optimo Systemate tantum permittitur, inter permissionem vero &

decretum maximum interjacere discrimen, §. 641. Cap. I. Append. ex mente Viri illustris satis commonstravi.

§. 679.

Parum igitur fundata sunt Verba nuperi Scriptoris: *quidquid DEus sancte* permittere *potest, id etiam ob easdem rationes sancte* velle ac decernere. *Quæcunque excusant DEum* permittentem, *eadem etiam excusant* decernentem. *Quæcunque DEo* decernenti *objiciuntur, ea omnia etiam ad* permittentem *pertinent.*

§. 680.

Quam falsa hæc sint, ex §. 574. sole clarius cernere licet. An, si parentes pii ac sapientia præditi, sobolem generaturi, labem hæreditariam illi adhærescentem, permittunt *(suo jure: tametsi non generando obstare possent; ne propagaretur tanta lues,* *continuo quoque illam labem* volunt? An, *si Davides jus* Regni, armata manu, contra Rebellem Absolonem persecuturus, cruenti ac nefandi Israelitarum *belli eventum* permisit, quem de jure suo cedendo, *impedire* potuisset, an, inquam, si hoc sancte & juste permisit, etiamsi obstare potuisset, *continuo & sancte rebellionem illam erumpentem,* cum strage tot hominum conjunctam, voluit, adprobavit, *aut* sancte velle potuit? *An rebellionem ita voluisse censendus est, ut haberet, in quibus maiestatis suæ rigorem exerceret? An rebellionem voluit propter suam gloriam? Annon distinguendum inter* Regis permissionem ac decretum? Nihil ille ad rebellionem volendo spectavit, sed illam, quæ futura ab aliis erat, ut primum jus Regni erat defen-

defensurus, permisit, magno cum dolore. Fallunt igitur invicta illa axiomata.

§. 681.

Similis est ratio idearum, quas utraque pars sibi de OPTIMO MUNDO format. Uti Davides, ex omnium mente, non voluit rebellionem, *sed detestatus* est, quamvis eam impedire potuisset, *Absoloni cedendo regnum*; *sed* potius voluit permissionem *rebellionis*; inter quæ decreta plurimum interest: nam quæ volo, si nemo obstare volenti potest, ea necessario, *aliorum respectu*, fiunt: *contra quæ* tantum *permitto*, ob rationes sublimiores, ea ab aliis necessario non fiunt, possent etiam, me licet permittente, ab aliis omitti: ita DEus in hoc optimo mundo non voluit peccatum, permissionem potius peccati voluit, quâ licet à DEO decreta, homines necessario non peccarunt, in hoc optimo mundo.

§. 682.

In Adversariorum itaque optimo mundo nemo potuisset servari, quicunque non servatur, vult enim DEus malum, quô volente homo non potest non legem violare, ex §. 672. 681. locum igitur in HOC SYSTEMATE OPTIMO HABET NECESSARIO GRATIA PARTICULARIS: in Leibnitiano mundo optimo, ubi DEus peccatum non vult, *sed tantum* permittit, quæ duo magnopere distinguuntur; ex §. 680. 681. qui vero permittit, aliis aliter faciendi potentiam non eripit, homines, *qui damnantur*, *ex permissione divina, potuissent non damnari*, locum igitur hîc habere POTEST GRATIA UNIVERSALIS.

§. 683.

In Calvini *de optimo Systemate* conceptu DEus res præscit, quia tales & tales decrevit, *non vero vicissim tales decrevit, quia ex* SE IPSIS ita (aliquando, si de humanis actionibus sermo, LIBERE) determinatas præscivit. Libertatem enim cum determinatione, exclusa necessitate, conciliari posse, probavi §. 633. Hæc enim sunt Verba Calvini: *Decretum horribile, fateor: inficiari tamen nemo potest, quin præsciverit DEus, quem exitum habiturus esset homo, antequam* eum conderet, atque ideo præsciverit, quia decreto suo sic ordinaverat. L. III. instit. sect. 7.

§. 684.

In Leibnitiano Systemate rem DEus ideo *talem decernit, quia præscivit: non præscivit, ob decretum.* Manent igitur in hoc systemate actiones humanæ, quales ab æterno scientia repræsentavit, i. e. liberæ, nec decretum aliud quid addit, nisi exsistentiam. *Contra si quid DEus ideo præscit, quia tale voluit. tum DEI voluntas rei naturam possibilem reddit*, nihil igitur aliter possibile est, quâm uti DEus voluit, quod summam necessitatem introducit, quæ in eo ponitur, ut alia determinatio sit impossibilis.

§. 685.

Nunc demum probabimus, quod universalis gratia in Leibnitiano systemate non solum locum invenire possit, uti dictum §. 682. sed etiam REVERA INVENIAT. Argumentum metaphysicum hoc est: qui, duobus bonis, pluribusve, propositis, majus eligit, i. e. optimum, is OMNIA *certe* voluit,

luit, quarundam vero circumſtantium rerum concurſu impeditus, in majori ſolo acquievit. Quod niſi ita eſſet, nulla ratio vel fingi poſſet, cur non ex æquo elegiſſet minus bonum, quam majus, majus enim anteponendo declaravit, ſe eousque bonorum delectu omnium progreſſurum fuiſſe, quousque fuiſſent exhauſta, ſi per res alias obſtantes, i. e. ob rationes ſublimiores ſapienter potuiſſet fieri.

§. 686.

Non eſt cur dicas: *eo ipſo, quod omnia ſimul bona impetrari nequeant, ſapientem, quæ omittenda ſunt, velle non poſſe, niſi ſtulte volentem cogitaverimus:* nam ſi ſapientem decretoria voluntate, quâ optimum, cum omnia non poſſint, anteponitur, adhuc in omnia bona anxie ferri diceremus: bene hæc objicerentur; ſed id non ſpectat ratiocinium: verum potius, decretoriæ *voluntatis, quæ optimum, ſi omnia non poteſt, eligit, nullum fundamentum fore, niſi concipiatur voluntas* inclinans præcedens, *eademque tendens, juxta uniuscujusque menſuram, in bona* omnia & ſingula.

§. 687.

Concinit Leibnitius, in cauſſa DEI aſſerta: *Unde patet voluntates etiam antecedentes non omnino irritas eſſe, ſed efficientiam ſuam habere, etſi, qui effectus earum obtinetur, non ſemper ſit plenus, ſed per concurſum aliarum voluntatum antecedentium reſtrictus. At voluntas decretoria ex omnibus inclinatoriis reſultans, ſemper plenum effectum ſortitur, quoties potentia non deeſt in Volente, uti in DEO deeſſe nequit. Nempe in ſola voluntate decretoria locum habet Axioma: qui poteſt & vult ille facit, quippe cum eo ipſo ſcientiam requiſitam ad agendam ſub potentia compre-*

hendendo jam nihil intus & extra actioni deesse ponatur. Neque vero aliquid felicitati perfectionique volentis DEI decedit, dum non omnis ejus voluntas effectum plenum sortitur: quia enim bona non vult, nisi pro gradu bonitatis, quæ in unoquoque est; tum maxime ejus Voluntati satisfit, cum optimum resultans obtinetur. §. 677.

§. 688

Cum igitur, *voluntate inclinante*, §. 686. DEus OMNIA bona velit, vult certe etiam quæ non eligenda à se sunt *voluntate decretoria*, i. e. vult etiam non futura. Cum vero salus reprobi, non tantum in se, sed & DEI respectu bonum sit, gloriæ nimirum ejus velificaturum, vult etiam hanc, suo sensu, etsi, ob rationes in ipso homine, sapienter, contra ordinem publicum, præstari nequeat.

§. 689.

Sapientissimus quidem ea, quæ non futura certissime præsentit, velle non potest, nempe quatenus non futura sunt, non quatenus bona sunt. Nullus spiritus facultate ratiocinandi præditus cogitari potest, quin simul in bonum quoddam feratur, simul atque illud ut tale cognovit. Quando igitur, duobus propositis, altero majori, altero minori, *non unà impetrabili utroque*, majus eligit, omittit minus: non *sane minus prorsus noluit*, sed qua minus noluit, quà comparatum cum majori *postposuit*.

§. 690.

Bonum vero, quà minus majori comparato postponendum, est inter non futura: itaque DEus salutem

salutem v. g. reprobi, noluit utique, *non qua est bonum, qua est salus in se, sed qua cum* majori, *comparatum bono*, sc. cum constituto ordine resipiscentiæ & fidei, quam culpose neglexit, ob privatum hominem reprobum, non temere mutando, bonum est minus. Vult illam salutem reprobi DEus ut bonum, non vult *ut minus bonum*, majori, nempe constituto resipiscentiæ ordini, cessurum.

§. 691.

Mera, inquis, *barbara* Velleitas, inanis abstractio! Velle *DEum aliquid qua tale*, idem *tamen* nolle, *quà alio ex latere velut spectatum. Indigna hæc non minus DEO, ac vana sunt.* Bona verba quæso! Ad prius respondet Leibnitius in caussa DEI asserta §. 25. *Voluntas* antecedens *omnino* seria *est & pura, non confundenda cum Velleitate*, (ubi quis vellet, si posset, velletque posse:) *qua in DEum non cadit. Tendit autem Voluntas* antecedens *in DEo ad procurandum omne bonum, & ad repellendum omne malum, quatenus talia sunt, & proportione gradûs, quo bona malave sunt. Quam* seria *autem hæc voluntas sit, DEus ipse declaravit, cum tanta asseveratione dixit, se nolle mortem peccatoris, velle omnes salvos, odisse peccatum.*

§. 692.

Quodsi forte vanas mihi porro exprobres abstractiones, quibus DEum EANDEM REM DIVERSO RESPECTU volentem & nolentem statuam: vitio mihi eas verti nolim. Nam & dissentientes à DEO EUNDEM hominem quodam respectu odio haberi, alio amari contendunt, & re-

ctè

cte quidem: eundem hominem *ut labe hæreditaria* infectum DEo perosum, *ut sine merito* electum, eundem Numini dilectissimum affirmant. Quidni igitur verè dici possit, *idem bonum, qua* est bonum, seu quatenus ponit aliquid in rerum natura, à potenti DEo præstabile, v. g. salutem reprobi, *Deo cordi esse: quatenus* vero ea spectatur in collisione cum bono majori, quod exclusurum esset, si præstaretur, *à DEo prætermitti?*

§. 693.

At enim vero quia tamen, inquis, *pro bono non futuro, per majus bonum excluso, â se impetrando, DEus facere sapienter nihil potuit: illa certe voluntas mera* velleitas *est barbara, quam tamen amoliri à nostro dogmate cupimus.* Minime vero. Voluntas DEI etiam pro reproborum salute facit multa. Nisi enim bene cuperet OMNIBUS, non elegisset systema optimum; Contentus eo, in quo & pauciores servati essent.

§. 694.

Itaque, si placet, ad sequens argumentum applica mentem. Qui tale elegit optimum systema, in quo NEMINI, ne ethnicis quidem, facultas desit, sive *major, propior, & naturam supergressa, sive minor, remotior, ac pædagogica*, declinandi æternam perniciem, ac perveniendi ad salutem, is, opinor, te ipso judice, in OMNIUM *procurandam felicitatem, etiam pereuntium, exstitit pronus:* atqui, ex Viri illustris mente, de DEO prius verum est, quod ipsius verba docebunt: non igitur Leibnitiana MUNDI OPTIMI idea particularem DEI gratiam infert.

§. 695.

§. 695.

Celeberrimi Viri verba habent: *interim philanthropia DEI universalis, seu voluntas salvandi omnes* ex auxiliis ipsis elucet, *quæ* OMNIBUS, *etiam* NB. REPROBIS, sufficientia, *imo persæpe* abundantia *præstita sunt*, *etsi* in omnibus gratia victrix non sit. Quid poterat his dici luculentius? quid expressius, quid disertius?

§. 696.

Vult igitur DEus salutem reprobi inter gentes, cui quippe auxilia patent, pædagogica *quidem*, *sed* tamen certa, i. e. *facere quantum natura potest*, *& extraordinariæ gratiæ, fidem in Christum ingeneraturæ, esse certum.* Hæc enim est Leibnitii sententia, ut ex causa DEI asserta §. 111. patet, cui adde supra §. 661. 662. Vult DEus porro omnium, qui inter Christianorum cœtus pereunt, salutem, quibus utique verbum DEI, cum viribus divinis conjunctum, plus, minus patet.

§. 697.

Nec est cur dicas: *gratia si sufficiens datur: cur effectus non sequitur?* sufficiens enim gratia æstimari debet ex viribus, non ex effectu. Gratia, quæ datur, *omnis* efficax est, licet, propter obstaculum, non semper sit efficiens. Non differt gratia *efficax ab efficiente*, discrimine interno, sed externo casu: quod, qui illi obex ponitur, huic non ponatur, quod eadem gratia in *efficacia subsistens, & consecuta effectum*, illinc per majorem hominis malitiam magis *limitata* fuerit, quam id factum hinc. Vid. verba Leibnitii in caussa DEI asserta §. 123. *Quod vero non semper facta*

Eta sint, qua DEus gratia auxiliis voluit, utique repugnanti hominum malitia attribuit. Hæc ille.

§. 698.

Gratia potentiæ eſt eadem cum *gratia* effe-ctus: *gratia ut* poſſis, *gratia* ut velis, non diſ-crepat *à gratia* ut exſequaris, niſi in eo, quod altera *magis in* iniquitate detineatur, altera non; quod *altera munitiorem à prava voluntate aggerem ſibi oppoſitum inveniat*, ut intra meram ſuam efficaciam cogatur ſubſiſtere, *altera non item, ut prorumpere*, inque animam divinas profundere vires *poſſit*.

§. 699.

Quod igitur gratia alia efficiens ſit, alia tan-tum efficax, deſtituta eventu à repugnantia pen-det, quâ homo gratiæ liberô arbitrio limites ponit, ideoque ſe, cum gratia IPSE determinat. Nec enim DEus rebus, quas vel prima creatione condidit, vel etiamnum redemtionis efficacia præſtat, terminos *figere ſive ſolet*, ſive poteſt, per ea, quæ evidentiſſime probavi §. 538. 539. 543. 550. &c. 551. Uti res ex SE IPSIS habent, ut *primo finitæ*, i. e. ab aliis diſtinctæ ſint § 535. *ſecundo* ut ſint finitæ TALES. §. 547. ita quoque, ut hic ſit re-probus, *diſtinctus* ab electo, quatenus ita diſtin-guitur, i. e. his limitibus circumſcribitur, id non aliunde nactus eſt, niſi ex SE IPSO.

§. 700.

Cum igitur à tua repugnantia pendeat, ſi penes te gratia efficax tantum maneat, nec fiat efficiens: §. 699. ulterius quæri poſteſt, pro rite intelligendo UNIVERSALI divino FAVORE, *cur alter, permit-*

tente

tente DEO, gratiæ acceptæ obluctetur, alter vero non item? Reſpondet Vir celeberrimus: Eſſais de Theodic. §. 100. Ainſi le tout revient ſouvent aux circonſtances, qui ſont une partie de l'enchainement des choſes. Il y a une infinité d'exemples des petites circonſtances qui ſervent à convertir, ou pervertir. Rien n'eſt plus connu que le *tolle lege* &c.

§. 701.

Idem in cauſſa aſſerta: §. 138. *Tutiſſimum eſt ſtatuere omnes homines, cum ſint ſpiritualiter mortui,* ÆQUALITER *eſſe, at non* SIMILITER *malos. Itaque pravis inclinationibus different, evenietque ut præferantur, qui per ſeriem rerum circumſtantiis favorabilioribus objiciuntur, in quibus minorem, certe in exitu, exerendæ peculiaris pravitatis* occaſionem (non dicit: NECESSITATEM) majoremque gratiæ recipiendæ congruæ anſam invenere.

§. 702.

Aliquando evenit tamen, pergit idem, §. 129. *ut DEus contra maxima obſtacula, acerrimamque obſtinationem gratia illa triumphatrice utatur, ne de quoquam unquam deſperandum putemus, etſi regula inde conſtitui non debeat.*

§. 703.

Duo tamen ſunt dubia, ne quid diffitear, quæ me obliquarunt olim, ne his verbis, nondum plene ponderatis, aſſenſum præberem. Alterum eſt: *ſi ex rerum*, homines circumſtantium extrinſecus, *concurſu pendet*, ut alter majoris malitiæ, alter vero minoris contumaciæ exercendæ occaſionem nactus, illinc *gratiæ effectum* ſufflaminet, hinc *non* impediat: *cur DEus*, horum eventuum

multo

multo ante gnarissimus, *homines non tali eventuum ordini inseruit*, in quo omnes fuissent, minori malignitate gratiæ effectum admissuri? Hoccine non est PARTICULAREM sectari *favorem*? Omnibus dare vires, periculum evitandi, sed tamen, non omnes ejusmodi fatorum ordini objicere, in quo vires exercere velint. Si seria est UNIVERSALIS GRATIA, cur inter homines distinguit? Cur alteri occasionem præbet acceptas vires *adhibere ut* velit, alteri, *ut* nolit?

§. 704.

Quæ obiter audita speciem, accuratius expensa, nullum robur habent. Si, qui sunt Absolonem rebellem secuti, Israelitæ, Davidi idem respondissent, quod tu, benev. Lector! nobis forte §. 703. opponis: quomodo, tua ex sententia, Israelitis, hæc exprobrantibus fuisset occurrendum?

§. 705.

Non difficile enim erat, Israelitis rebellibus, tuam orationem §. 703. secutis, culpam sceleris à se aversam transferre in Davidem. Oportet Davidem non æquo OMNES subditos amore complecti, qui nostræ rebellionis prudentissimus æstimator, nos ei eventuum seriei objecit, in qua prævidit, fore, ut, etsi omnes rebellionem evitandi vires habeant, tamen non omnes velint rebellionem declinare. *Potuisset nos Davides alii eventuum seriei objicere, in qua rebellionem non modo* potuissemus, sed voluissemus cavere: *Si scil. à persequendo regni jure cessasset, si jura imperii reliquisset sponte Absoloni: si se contulisset aliorsum, nec arma tulisset adversus proprium filium:* quæ, & alia forte,

forte, si à Davide suscepta fuisset, civile inter nos bellum nequaquam exarsisset. *Si æquo Davides cunctos amore complectitur, cur non id egit*, ut potuit, ex quo secutum fuisset, ut rebellionem noluissemus?

§. 706.

Quidquid heic pro defendendo Davide responderimus, & pro tuendo ejus æquali in omnes subditos amore: *idem quoque responsum erit pro liberanda ab illo dubio* §. 703. *DEi* gratia universali. *Duo sunt*, quæ exprobrantibus hæc rebellibus satisfacere debent. Alterum, *etsi Davides libere talem eventuum seriem elegerit, in qua prævidit, fore, ut illi rebellandi sint capturi occasionem:* tamen ille Davidis delectus, illa regis actio nullam consceleratis necessitatem imposuit, ut non potuissent, postquam Rex jus imperii persequebatur, non rebellare: quin potius liberrime adhuc rebellarunt, ne dicam, petulanter: nec illa occásio peccati vel tantilla excusatio est. METIMUR CULPAM VIRIBUS ALIUD AGENDI, NON OCCASIONE INNOCENTI, quam tertius præbet.

§. 707.

Altera responsio hæc est. Fecit Davides pro suo jure. Qui vero suo jure usus, alteri occasionem peccandi præbet, licet multo ante intelligat, ob eam alios acturos inique, *is* certe nullam *necessitatem peccandi illis obtrusit*, nec objurgari potest, tanquam is, qui alieniore in peccaturos fuerit animo. Partes officii ego explens, si aliis provisam nefarie agendi ansam dedero, nihil tamen vitii mea actio habet.

§. 708.

Atqui hæc maxime in DEum cadunt, optimi systematis delectu, i. e. sui juris usu (fas est quippe optimum à DEo eligi) occasionem quidem compluribus daturum, ut gratia, cum possint, uti nolint: sed quis id Numini vertet vitio? Primo enim, uti §. 706. dictum, sufficit, homines pollere viribus periculum declinandi, partim pædagogicis, partim divinis & cœlestibus: deinde, quemadmodum §. 707. monui, *id erat velut* officii, ac divini juris, i. e. hoc SIBI, *omnium officiorum fonti debebat DEus*, ut jus optimi systematis persequeretur, etsi præviderit, fore plerosque in hac terra, qui in illo systemate mala perpetrandi sint pensaturi occasionem. *Sufficit*, id nullo fuisse factum fato.

§. 709.

Particularis gratiæ, ac electionis, conditionibus, ab electo desumtis, solutæ character falli nescius est, ut, *qui gratia excidant*, *non possint non excidere*, *ut*, *qui ea potiuntur*, *non possint non potiri*. *Cumprimum vero*, quidquid discriminis est, *ex quadam contumacia pendeat*, libere contracta; sicuti §. 706. simulitaque, qui peccârunt, etiam non peccare potuissent, quod de Leibnitiani optimi mundi incolis certum est; per §. 708. profecto cessat fatum, cessat opinio gratiæ, in unos tantum conferenda, *non* alteros, evanescit denique, quidquid partium studia redolet, omnis periculi caussâ revolutâ in ipsos contumaces.

§ 710.

At enim vero, qui non jo.nm, inquis, *præstat id*

operari,

operari, *verum etiam teste Paulo*, τὸ velle, is nondum OMNES æquo complexus amore dici potest, tam etsi vires exhibuerit, ut homines possint. Prius gentium Doctor testatur Phil. 2. v. 13. E. Cum enim non solum à DEo repeti necessum sit, periculum declinare ut possis, verum etiam ut velis, nec vero, teste experientia, quicunque pessum eunt, tantum sint consecuti, ut velint sibi prospicere: manifestum est, eos hanc gratiam, quæ maxime necessaria est, ut velint, à *D*Eo non impetrasse, denegatum igitur esse, quô carere ad vitam æternam non possis, id quod argumento est, misericordiam DEi non pertinere ad universos.

§. 711.

Ambiguitas hoc dubium peperit. Τὸ velle tenati jamjam sanctificatum utique à DEo est: juxta Phil. 2. v. 13. at τὸ velle *hominis* sibi relicti, quo in *media pædagogica* fertur, prout potest, ac debet, vel solis naturæ viribus patere, supra de prædestinatione luculenter docui. In tua utique potestate est, velle *DEi verbum in publico cœtu audire*, non velle *audire*: velle *id auditum meditari*, non velle *meditari*: velle *insitis à natura luminibus obtemperare*, *pro virium naturalium modulo*, non velle *obsecundare*. Id ita verum est, ut si neges, nec profanos scriptores, sine cœlesti, & naturam supergresso possis legere, ac meditari, auxilio. Quod nemo facile dixerit.

§. 712.

Si vero hæc feceris, futurum, ut gratia, quæ cum verbo conjuncta, *absque omni tua in partem tanti operis ventura actione*, *te* afficiat, intret,

 tesin-

refingat, *atque ad divinam* reducat frugem, & Confessores celebres docent de libero arbitrio p. 671. ubi verba ita incipiunt: *etsi autem utrumque:* &c. & ipsa sana ratio dictat: *nec enim DEo nos emendanti cum stipitibus & truncis res est:* esset vero id ita comparatum, *si* te traheret, *sive legeres verbum sive non, sive meditareris, sive non:* vel si te obtorto collo *ad verbi meditationem divinitus raptaret.* Cum igitur in omnium, etiam eorum, qui pereunt, potestate naturali sit, posse *media pædagogia* velle, non velle: &c. quam voluntatem, juxta formulam Concordiæ p. 671. certissime gratiæ effectus secuturus est: facile est ju dicatu, reprobos omnes, illis rebellibus Davidis, §. 704. multa licet oggannientibus similes, nec tamen non potuisse periculum amoliri.

§. 713.

Inter ea dubia, quibus olim me occupatum fuisse §. 601. 602. profitebar, §. 603. alterum hoc est: *Si, qui opportuniorum eventuum ordini à DEo inseruntur*, minorem, *certe in exitu, malitiam exerendi occasionem*, majoremque *gratiæ recipiendæ ansam nanciscuntur: consequens est, extrinsecas illas opportunitates gratiam DEi juvare, immo ei addere pondus, sine quo effectum adipisci gratia non possit; quod nihil aliud est, quam res externas ultra potentissimam extollere DEi cœlestem operationem.*

§. 714.

Accedit huic dubio nova confirmatio. Nam si ex Leibnitii mente §. 136. in caussa DEi ass. *indubium est, in rationes eligendi apud Sapientem ingredi considerationem qualitatum objecti: sane naturalis ob-*

jectorum

jectorum dispositio plurimum ad salutem conferet: qua sententia stante, Pelagianismo *lata* utique porta aperitur, qui semper in capitalibus christianæ pietatis pestibus numeratus est.

§. 715.

Primo dubitari non debet, si de divina ad gloriam æternam electione sermo sit, Leibnitium nullam aliam caussam objectivam admisisse, quàm talem, quæ objecto per gratiam superioris ordinis à Spiritu S. indita sit, i. e. fidem. Hoc indicant clarissime verba Viri celebris, quibus §. 138. significat, omnes homines esse *spiritualiter* mortuos, æqualiter, etsi non similiter malos. Mortuus vero, qua talis, nisi accedat vita, haudquidquam habet, ob quod à sapiente eligi possit. Matth. 22. v. 32. *Omnis igitur eligendi ratio extrinsecus demum addi, adeoque vita quædam* (quæ est fides) *conferri debet in mortuum*, qui ex tua sententia talis est, nec tamen non eligendus.

§. 716.

Secundo, si de electione ad gratiam (liceat ita loqui) formetur quæstio: i. e. si examinemus, cur, in tanta præsidiorum gratiæ copia, alii fide mactentur, alii non? cum idoneo argumento negari nequit, etiam hujus, ut ita dicam, electionis dari rationes objectivas, quæ uti speciatim variant, ita in eo tamen omnes generatim similes sunt, ut alius pædagogiæ adminicula respuat, alter adhibeat: hanc solam quippe non resistendi facultatem hominis naturæ viribus relinquo, quæ posita in eo est, ut ad verbum DEI possit advertere animum, idemque meditari, non defuturo effectu.

§. 717.

Objectivas à variis rebus circumstantibus petitas rationes semper præsto esse, quando alius fidem concipit, alius non concipit, tam certum est, quam quod certissimum. Tyrii & Sidonii Evangelio paruissent, si incoluissent Capernaumi urbem. Vel sola igitur LOCI circumstantis conditio hic determinavit. *Veteris Testamenti complures gentes*, in tempora Christi seu nostra si incidissent, resipiscentiam, ipso facto, testificaturas fuisse, non est, cur quisquam dubitet. Temporis igitur etiam ratio hîc aliquid valet.

§. 718.

Quis nescit plerosque Christianos, ethnicis si usi parentibus, pollutoque idololatriæ cultu si imbuti fuissent, in socordia & stupore, quo gentes damnantur, fuisse permansuros. Quanti hæreditaria sacra ad ingenerandam, polluendam, minuendam, extinguendam, excludendam fidem, ponderis sint, in præliminari discursu de caussis dissensûs in religioso cultu, docui. Plures specialiores rationes vide apud Leibnitium Essais de Theodicée §. 100. &c.

§. 719.

Statûs etiam varietas plurimum hîc intercurrit. Nulla ratio est, quamobrem hujus mundi bonis affluentes, Christo auctore passim, fidem difficulter concipiant, quàm divitiarum cumulus, quo animi vires, non obstante verbi monitu, à cœlestibus retrahuntur, ad fluxa, caduca, peritura propediem. Terrestrium igitur rerum quædam hic ratio est, ad concipiendam fidem.

§. 720.

§. 720.

Hinc rerum adversarum Christianis immittendarum necessitas, ut mentis vires peregrinis intentæ rebus ad vocem divinam magis advertant, & advertentes non præcludant aditum operaturæ gratiæ. Hinc accendendi precum studii opportunitas ab iniquiore pendens fortuna: hinc alia multa profecto oriunda sunt generis ejusdem.

§. 721.

His ita obiter recitatis, apparet, quantum ad ingenerandam fidem res circumstantes valeant, aut non valere possint. Qui dixerit, has opportunitates ad ipsam gratiæ efficaciam nonnihil conferre, is perinde sentiet, ac si quis valvas ad augendum solis lumen facere propterea sibi persuaderet, quod, nisi iis remotis, conclave illuminari non potest.

§. 722.

Est hæc Viri celebris sententia: pronuntiat enim §. 138. *homines spiritualiter esse mortuos*, &c. *seriemque circumstantiarum favorabilium aliis minorem*, *aliis majorem exercendæ malitiæ, & recipiendæ gratiæ* (CERTE IN EXITU) *præbere.* Verba sane hæc majusculis scripta, quid aliud significant, quam res circumstantes non pertinere ad gratiæ VIRES, non ad ejus EFFICACIAM, sed ad EXITUM, cui quippe vel obstent, vel expeditam relinquant, ut valvarum remotio lumini, viam.

§. 723.

Nunc demum cognoscitur evidentius, quid de illo dubio §. 713. 714. proposito sit habendum? Non enim recte ratiocinaris: positis his externis opportunitatibus gratia attingit effectum, sublatis,

 non

non attingit : ergo opportunitates illæ per ſe efficaciam habent, aut certe gratiæ DEI vim augent. Fallit omnino hoc ratiocinium. Opportunitates illæ non ſunt per ſe efficaces, ſed efficaci gratiæ non obſtant : non habent ex ſe vires, ſed Spiritus S. vires hîc & nunc admittunt : non proprie loquendo agunt, ſed agentis DEI operationem in animos imperturbatam eſſe ſinunt:

§. 724.

Scilicet externæ opportunitates, *temperamentum humani corporis*, *Conditio parentum*, *bonorum hujus ſeculi copia vel penuria*, *Paſtorum dexteritas*, TEMPUS, LOCUS, aliæque complures commoditates determinant hominem, ideoque & gratiam, ut diſtinctô modô ſit TALIS nec ALIA : nihil autem determinatum, vel diſtinctum eſſe poteſt, niſi ſit ex SE IPSO, non concurrente DEI potentiâ; per §. 543. ſeq. Cap. I. append. opportunitates illæ limitant, circumſcribunt gratiam : nihil vero limitatum eſſe poteſt per DEI efficaciam, *cùm limites oriantur ex natura finita*, *quæ*, *non* quà finita, *ſed* qua natura, à DEO pendet : uti demonſtratum §. 538. ſeq. Cap. I. App.

§. 625.

Tempore & loco res omnes individuis determinantur conditionibus; individua enim TEMPORE & LOCO ab aliis omnibus, & ſuæ claſſis, & alienæ, rebus, §. 546. diſtinguuntur. Quod vero dentur individua, proprie dicta, *à limitatione eſt*, per §. 548. hæ igitur individuæ conditiones nihil operantur, ſed operationem DEI circumſcribunt atque definiunt : nihil igitur conferunt ad gratiam,

gratiam, ſed eam limitant: proinde PELAGIANISMUS hinc remotiſſimus eſt.

§. 726.

Ne dicas: *Si illæ externæ opportunitates efficaciæ divini verbi non obſtant, ſequitur; ab iis* tolli potius limites, non figi: minime vero: id potius inde intelligitur, *limitatam hominum capacitatem*, (paſſivo ſenſu) in aliis ampliorem, in aliis anguſtiorem eſſe, & hanc ſæpe oſcitantia contractam libera: poſſe igitur alios ſubire gratiam, alios, ob arctiores limites, libere interdum contractos, non item. Nihil vero illa limitata capacitas, dum gratiam recipit, operatur, patitur potius *omni caſu*, niſi quod *uno caſu* magis *pati poſſit quam altero*, plus recipere queat, quam alio: quidquid vero habet, aut recipit, à DEO habet & recipit.

§. 627.

Hoc ulterius ut probem, ſequenti utor ratiocinio: aut DEus limitatam hominum capacitatem, gradu reſiſtendi definitam, in conferenda gratia reſpicit, aut non reſpicit: ſi non reſpicit, gratia victrix ſemper ejusmodi erit, ut in quantacunque hominis repugnantia non major exſiſtat, quam in conatu obluctandi minimo: ita ſapientiſſimus DEus hoc caſu adhibet Vires SUPERFLUAS: ſi reſpicit, habemus, quod volumus, nimirum gratia effectum conſequetur pro capacitatis limitatæ, pro opportunitatum conformitate, natura, ac indole.

§. 728.

Hoc eſt contra gratiam, reſiſtendi conatu majorem, quam Diſſentientes ſtatuunt, argumentum

Viri celebris in caussa asserta. §. 128. *Cæterum non video*, inquit, *cur necesse sit gratiam, ubi effectum plenum consequitur, consequi eum semper sua natura, seu esse per se effectricem* (hic non dicit: efficacem: efficax enim semper suâ natura est:) *cum fieri queat, ut* eadem gratiæ mensura *in uno ob repugnantiam vel circumstantias effectum non consequatur, quem in alio obtinet.*

§. 729.

Nec video, pergit, *quomodo vel ratione vel revelatione probari possit, gratiam victricem semper tantam esse, ut quantamcunque resistentiam & quantascunque circumstantiarum incongruentias esset superatura.* SAPIENTIS NON EST SUPERFLUAS VIRES ADHIBERE &c. Hactenus ille.

§. 730.

Voluntatem itaque *antecedentem* non meram barbaramque velleitatem, *sed* efficacissimam esse, *partim quia gignat consequentem*, §. 686. *partim quia & pro reprobis, periculum declinandi eximias opportunitates, systemati optimo addiderit*, §. 695. declaratum fuit. Quæritur ergo tantum CUI BONO DETUR illa REPROBORUM OPPORTUNITAS QUÆ NULLUM EST CONSEQUUTURA EFFECTUM?

§. 731.

Atqui non destituta est effectu omni. Sæpe id nobis exprobras: *an Sapientissimus intendit, quod, se non consequuturum, certissime prævidet?* Non dicam sapientissimos sæpe multa facere, quæ effectu caritura sciunt, modo ut faciant, quantum in se est. Intendimus quippe & ea, ad quæ impetranda tantum facimus, *quantum* ex officio licet, etsi

etsi effectum non secuturum certissime sciamus, quod vel ex simili militiæ præfecti intelligitur §. 581. cædem militis, fideli hortatu §. 655. *avertere intendentis*, etsi *non aversum iri præsagierit*, christianorumque exemplo cognoscitur, qui *summam perfectionem intendere jubentur in hac vita, quam se non impetraturos in hac mortalitate præclare sciunt*, Phil. 3. v. 12.

§. 732.

Id solum hac vice respondebo. Quæ reprobis (non qua reprobis, sed qua cum omni mundo amatis Joh. 3. v. 16.) à DEO tribuitur gratia illustrissimo coronatur, eodemque duplici, effectu: quorum alter est, ut homo sit *ἀναπολόγητος* Rom. 2. v. 1. alter autem, DEum respiciens, *ut promissorum ejus veritas, judiciique puritas appareat*, ut Castellio vertit Ps. 51. v. 5. Puto hos effectus longe præstantissimos esse.

§. 733.

Insuperabilis, quod deiprædest: monstravi S. II. §. 287. seqq. difficultas est, quæ adversariorum sententiam premit: *aut & reprobi* (non qua tales) *credere in Christum jubentur aut non: non juberi contra* Matth. 28. 19. *est, ubi ob fidei defectum damnati dicuntur, quotquot damnantur: jubentur igitur: si jubentur vero, nec tamen ulla ipsis ad fidem via patuit, sunt ἀναπολόγητοι.* Quidquid hîc Turretinus regerat, quomodocunque se verset, quibuscunque utatur effugiis, efficit tamen nihil: nam QUI FIDEI VIAM SIBI PRÆCLUSAM HABET, ET TAMEN FIDEM CONCIPERE JUBETUR, est *ἀναπολόγητος*.

§. 734.

§. 734.

Aliter gratiæ reprobis concessæ effectus non minus perillustris est. Non possunt judiciorum DEI puritatem tueri, quicunque reprobis negant fidei januam patuisse, qui negant, ipsorum malitia fidem fuisse exclusam, substitutâ solâ DEI εὐδοκίᾳ, *nisi ad talem justitiæ notionem confugiant, quæ omnis ac tota in Voluntatem DEI resolvatur*, ut quidquid DEUS velit, eo ipso, quia velit, continuo justum sit.

§. 735.

Nam si justitia voluntatem DEI præcurrat, *nec aliter DEus quidpiam velit, quam quia DEO justum est, non vicissim:* oportet justitia, remoto hinc DEI arbitrio, ex SE IPSA sit, quæcunque est: nimirum Promtitudo SUUM CUIQUE TRIBUENDI. Ubi vero est suum cujusque, ibi objectorum *convenientia* manifestissime respicitur, in quæ aliquid tanquam SUUM cadere, aut non cadere potest. Nemini igitur fidem DEus denegabit, nisi objecto minus convenienti (talia vero libere fieri alibi probatum) *non merenti, non efficienti, non agenti:* nemini porro fidem largietur, nisi similiter convenienti, *non merenti, non agenti.* Quod ipsum nos contendimus.

§. 736.

Optimum à DEO systema electum suo sensu, à sententia nostra diverso, *etiam dixi illos docere posse*, qui particulari gratiæ favent: sed neminem negare posse, optimum à DEO electum systema, quin idem electionem omnibus rei electæ conditionibus absolutam faciat, exploratissimum est.

§. 737.

§. 737.

Non optimum â DEO mundum cooptatum, tantisper finge. Omissus igitur est præstantior. Habeat se omissi bonitas ut numerus denarius, electi vero, ut quinarius. Malum est boni defectus. *Qui cum decem bona præstare possit, quinque tantum exhibet, is quinque relinquit, quorum omissio cum ex def.* malum sit, *malum committit igitur DEus, ut primum minus bonum anteponit majori.*

§. 738.

Sed cum juxta suam sententiam DEus, electo non optimo Systemate, malum tamen admisisse non censendus sit: idcirco ab hujus culpa liberabitur vel ideo, quia ipse *voluntate sua bonum* facit, non invenit, *ita ut, quidquid DEus velit, eo ipso, quia vult, continuo bonum sit:* quod est contra Axioma Cap. I. S. I. de prædest. stabilitum: imo repugnat etiam hypothesi, qua fingimus, voluntatem DEI ferri in minus bonum, quod minus maneat, etsi divinæ voluntatis consequatur favorem.

§. 739.

Dicendum igitur est, DEum electo minus optimo mundo, *habuisse summam facultatem, agendi ita absque vitio:* esse Dominum omni respectu superiorem: nihil ei exprobrandum, quidquid fecerit: idem ergo DEus hunc hominem reprobare, absque ullo electi intuitu, alterum eligere poterit, pro eadem auctoritate, quam habuit in eligendo non optimo. Sed hæc paulo duriora esse quis non videt. De quibus tandem satis dictum.

PARS



PARS SECUNDA,

CAP. I.

DE THEOLOGIA.

§. 740.

EXpendamus, quid Vir illuſtris de Theologia generatim ſpectata ſenſerit. Primo quidem de Scholaſtica ſic ei viſum fuit. „Velim Viros doctos in hoc elaborare per partes, & cum magna ſit Theologiæ Scholaſticæ utilitas in controverſiis ſacris, „præſertim quæ cum Pontificiis intercedunt, ne quid „de Reformatis dicam, quin & ipſa Theologia poſitiva hinc illuſtretur, multumque auri conditum „ſit in ſtercore Scholaſticorum; optem egregium aliquem Theologum in horum ſcriptorum lectione „verſatum illam polyhiſtoris ſacri partem ſupplere, „Scio Himmelium, ſcio Tribbechovium aliosque „noſtros quædam de Scholaſticis attigiſſe, & corruptionem veræ Theologiæ illis imputâſſe. Sane „non male. Sed hoc ipſum refert diſcernere ſpinas „à roſis, uſum ab abuſu, monere noſtros, quæ cavenda, quæ non negligenda.

§. 741.

„Et certe ſunt in iſtis auctoribus, (quemadmodum „ipſe agnovit Grotius) quæ ſcire valde intereſt. Sunt „quæ ab aliis pro novis inventis venditantur, licet „petita à Scholaſticis, ut illa Carteſii demonſtratio „divinæ exiſtentiæ, quæ Anſelmo Cantuarenſi, inter „Schola-

„Scholasticæ Theologiæ fundatores habendo, debe-„tur. Nuper quidem Abbas Gallus, Faydit, in „Scholasticos debacchatus est, & libro de Trinitate „edito ostendere conatus est, prava dogmata ex „Schola in Theologiam fluxisse. Sed male ipsi res „cessit; nam nec satis videtur intellexisse Scholasti-„cos, & ipse potius, dum Valentinianos propugna-„re conatur, & locutionibus utitur parum Schola-„sticis, i. e. parum accuratis, in periculo fuit.

§. 742.

„Petavius in dogmatibus Theologicis enarran-„dis fere circa Scholasticorum tempora substitit, ea-„que ratione opus reliquit imperfectum, futurum „etiam si absolvisset, neque id puto Thomassinum „supplevisse, Magni autem momenti foret, nosse au-„ctores sententiarum, & studia partium, prout cujus-„que natio, ordo religiosus aut factio fuit. Ego „sæpe versatus fui cum Pontificiis; scio plerisque „contemtum nostrorum insedisse, quod Theologiæ „scholasticæ mysteria nostris ignota putant. Si „quem vero his imbutum vident, ut Scherzerum, „&c. eum plurimum admirantur, atque etiam verentur.

§. 743.

„Scio vulgus litteratorum nostrorum aliter ju-„dicare, præsertim eos, qui sectantur eruditionem „quandam (si hoc nomen meretur) quam per jocum „appellare soleo galantem, i. e. aliquid speciei, ni-„hil aut parum soliditatis habentem. Sed talium „suffragia parvam habent actoritatem, plerumque „enim sub velo qualiscunque doctrinæ male tecta „tralucet ignorantia; hærent enim ad primam quam-„que difficultatem, sed valeant isti. Hæc ille in „Hannover. p. 74. seqq,

§. 744.

§. 744.

Quamvis igitur verba celebris Pelissonii non usque quaque improbem, quæ ita habent: Car la Theologie scholastique n'est autre chose, que la doctrine de l'Ecriture & des Peres traitée par les organes de la Dialectique & de la Metaphysique: tamen non minus exploratum est, compluribus Theologiam Scholasticam nævis laborare, quos strictim ex mente illustris Viri tetigisse sufficiat.

§. 744.

Abundat primo Scholasticorum doctrina canonibus, quos vocant, Philosophicis, innumeras admittentibus limitationes, ita ut ne decima sæpe pars significationis, quam verba præ se ferunt, vera maneat, locumque adinveniat.

§. 746.

Audiamus verba Viri celebris: *Quoties regula in uno vitiatur, perdit officium suum. Officium enim regulæ est, tranquillare animum, ut certus sit in omnibus speciebus subjecti prædicatum obtinere. Quodsi regulæ habent exceptiones, frustraneæ sunt, quia fidi illis non potest. Quod igitur vulgo jactatum est:* Nullam regulam esse sine exceptione, *mihi perinde videtur esse ac illud:* Nunc ego mentior, *vel illud Scepticorum:* Nihil scitur, ne hoc quidem, quod nihil scitut. *Nam hæc regula se ipsam simul probat ac improbat. Quia enim nulla regula sine exceptione, & hoc ipsum axioma est regula, ideo ipsum quoque non erit sine exceptione. Ergo aliqua regula est sine exceptione. Quia igitur nulla regula sine exceptione est, ideo falsum nullam regulam sine exceptione esse.*

§. 747.

Interea hoc obiter, id pro certo habendum, ignaviæ, ignorantiæque in dicterio isto latibulum esse. Nam & in Gramaticis unde ortum habet, olim Sanctius, postea Scioppius regulas tales exhibuere, quarum non datur exceptio: Sed quidquid vulgo pro exceptionibus habitum est, aut Ellipsis est, aut pleonasmus alicujus vocabuli. Idem vitium & in philosophicis vulgo regulis regnat

§. 748.

Nam ut Cl. Vir. Jo. Ad. Scherzerus in Manualis philos. præfatione monuit, dicta quædam inter regulas reposita sunt, quæ plures habent limitationes, quam exempla. v. g. Qualis caussa, talis effectus. *Quod ubi multis distinctionum sepibus defendere conati sunt, tandem tamen hoc recurrunt, scilicet: in* caussis univocis. *Quid autem est caussa univoca?* Ea nempe, ubi qualis caussa, talis est effectus, *Regula igitur sic concipienda erit:* ubi qualis caussa, talis effectus, ibi qualis caussa, talis effectus. *Spectatum admissi risum teneatis, Amici!*

§. 749.

Interea illas limitationes non est opus regulæ allineare, quæ ex aliis regulis in eodem libro traditis aut tradendis per combinationem sumuntur, v. g. Qui promisit, præstet, nisi præstiterit, nisi liberatio ei legata sit, nisi compensare possit. *Quid hæc addere opus est? Per se ex regulis postea tradendis constant, & coacervantur hâc ratione tantum inutiles repetitiones, & grandes libri.* Vid. Method. Jurisprud. p. 63. seqq.

§. 750.

Altera Theologiæ scholasticæ labes posita est in

 defini-

definitionibus minus accuratis, quibus vel synonymæ, vel metaphoricæ voces, pro veris rerum notionibus, obtruduntur. Ita v. g. *ens definitur per id quod habet essentiam*, præsentia rei, *per adessentiam ejus in loco.* Quasi verò definitionis hujus verba non essent definiti Synonyma. Sed uti præsentiæ genuina notio in doctrinis theologicis magnopere necessaria est, ut exemplô S. epuli constat: Ita eodem negotio intelligitur, nihil opis esse in Theologia scholastica, ad extricandas lites, quæ ob corporis Christi in Cœna præsentiam coortæ sunt.

§. 751.

Præterea pro rerum gravissimarum notionibus Scholastici nonnisi verba dant, eademque metaphorica. Sic *affectus ipsis sunt animi motus*; cùm tamen motûs vocabulum nonnisi improprie animo conveniat: Sic *obligatio est vinculum agendi*, *caussa* generatim, si eosdem consulas, *principium à cujus influxu pendet aliud*; cum tamen hæ ipsæ voces metaphoricæ nova explicatione & similitudinis applicatione indigeant.

§. 752.

Illud etiam incommodum est, quod Scholastici ideas, si multum præstant, non nisi claras, rarissime distinctas, suppeditent. Claræ sunt, quum res non distinguimus, nisi in obvio exemplo. Distincta vero idea rationem reddere valet, quâ ipsa rerum exempla continentur. Actio quid sit, exemplis quotidianis cognitum habuerunt, sed ejus distinctam ideam non volverunt animo. Nesciverunt, quis sit ille character, quô omnis actio, quia est actio, dignoscenda venit. Nam quæ est, quæso, aut, quo loco habenda hæc illorum definitio?

Actio

Actio est, qua potentia agendi deducitur in actum. Aut hæc definitio in phrases duntaxat æquipollentes resolvitur, aut, si multum præstat, claram ideam excitat, loco distinctæ, ex quolibet obvio exemplo actionis hauriendam, vel à vilissimo Rustico, qui definitionibus non indiget. Atqui actionis germana idea pernecessaria est ad investigandam substantiarum naturam, ideoque animarum immortalitatem, quæ in perpetua agendi vi posita esse solet.

§. 753.

Quorum Scholastici φαινομένων caussas ignorârunt, eorum nomina pro veris rationibus allegantes, ad potentiam facti nudam provocârunt. Sic caussa, cur magnes ferrum attrahat, in potentia attrahendi collocata est: Sic ratio, quamobrem certæ plantæ certis vel inimicæ vel amicæ sunt, in quadam Antipathia seu Sympathia ab illis quærebatur, nullo modo doctioribus factis, qui hæc vocabula audiverunt. Ab operatione enim, quæ in φαινομένῳ quolibet occurrit, ad potentiam operandi, valere consequentiam, vel imperitissimus quisque, absque philosophiæ opera, cognoscit. Non est igitur, cur hic observatione traditâ, nos rationem facti investigasse, putemus.

§. 754.

Uti Theologia scholastica definitionum accuratarum inopia laborat; §. 750. sic divisionum innumeratum copia suos lectores opprimere videtur. At vero, quæ divisiones accuratis definitionibus non fundantur, eæ non magnopere in scientiarum cursu inserviunt. Divisiones determinant specialibus quibusdam definitionum late patentem amplitudinem. Quodsi autem campum ipsum non recte cognoscas,

multo minus varias ejus ſectiones per flumina, montes, vias, agros &c. diſtingues.

§. 755.

Quid de horrenda vocum Scholaſticarum barbarie & obſcuritate dicam? cùm pleraque vocabula vel plane ſignificatu deſtituantur, v.g. *totum eſſe in oto loco*, ac *totum in qualibet parte loci*, &c. &c. vel adeo obſcura ſint, ut iis auditis, pene nihil cogitare liceat: v.g. *transcreatio*, *tranſſubſtantiatio*, *forma intentionalis*, *præciſio objectiva*, *formalis*, & quæ ſunt alia complura monſtra generis ejusdem.

§. 756.

Neque tamen ita rejectanea eſt Scholaſticorum Theologia, quin, quoniam adcurationem docendi ſemper ſunt ſectati, plurimæ remaneant veritates ſolidæ, ſingulares, à recentioribus neglectæ, & ad uſum ſcientiarum maxime adcommodandæ. De qua re ita porro Vir illuſtris: On peut même dire, qu'on y remarqueroit quelque propre dans les connoiſſances. Les Orientaux ont eu de belles & grandes idées de la Divinité, Les Grecs y ont ajouté le raiſonnement, & une forme de ſcience. Les Peres de l'Egiſe ont rejetté ce qu'il y avoit de mauvais dans la Philoſophie des Grecs; mais les Scholaſtiques ont taché d'employer utilement pour le Chriſtianiſme ce qu'il y avoit de paſſable dans la Philoſophie des Payens.

§. 757.

J'ai dit ſouvent, *aurum latere in ſtercore illo ſcholaſticæ barbariei*; & je ſouhaiterois qu'on put trouver quelque habile homme verſé dans cette Philoſophie Hibernoiſe ou Eſpagnole, qui eut de l'inclination & de la capacité pour en tirer le bon. Je ſuis

ſuis ſûr qu'il trouveroit ſa peine payée par pluſieurs belles & importantes veritez. Il y a eu autrefois un Suiſſet, qui avoit mathematisé dans la ſcholaſtique. Ses ouvrages ſont peu connus, mais ce que j'en ai vû m'a parû profond & conſiderable. Jules Scaliger en a parlé avec eſtime. Mais Vivés en a parlé avec mepris. Je me fierois d'vantage à Scaliger, car Vives etoit un peu ſuperficiel. (a)

(a) Rec. T. II. p. 157. ſeq.

§. 758.

Quantæ lites inter celeberrimos Galliæ, Belgii, & Germaniæ ſuperioris viros de via examinis & auctoritatis ortæ ſint, diſquirentes, *utra alteri ſit anteponenda?* valde tritum eſt. Allegabimus quædam ejus litis momenta, ut eo rectius pretium deciſioni Viri illuſtris ſtatui poſſit. Il n'y a point d'homme qui ſe puiſſe faire inſtruire par cette voye d'examen, ſans s'aſsûrer en 1. lieu ſi les paſſages de l'Ecriture, qu'on lui allegue ſont tirez d'un Livre canonique. 2. Si elles ſont conformes à l'original. 3. S'il n'y a point de diverſes manieres de les lire, qui en affoibliſſent la preuve. vid. Nicolle prejugés legitimés contre les Calviniſtes chap. XIV.

§. 759.

Uti hæc difficultas à viris eruditiſſimis ſummo niſu exaggeratur, & variis particularibus modis, quàm fieri poteſt, ſpecioſiſſime exponitur: Ita eam malo recitare verbis cujusdam nervoſe & eleganter recitantis, quam meis: Primo quidem ratione examinantium ſequentes difficultates nobis objiciuntur. *Il eſt à craindre qu'il ne s'eleve un tiers parti, qui enſeignera que les hommes ne ſont en conduits à la vraie Religion, ni par la voie de l'Autorité, ni par la voie*

de l'examen, mais les unes par l'education, les autres par la grace. L'education sans la grace & sans examen persuade simplement. La grace avec l'education, & quelque fois sans l'education & sans examen superficiel persuade salutairement. Gratia Dei sum, quod sum, doit dire chaque Orthodoxe - Je suis orthodoxe par grace, & cela non point de moi, c'est le don de Dieu non point par mes œuvres, par des recherches, par des discussions, afin que nul ne se glorifie. Que l'examen soit facile, ou du moins possible; qu'il soit malaisé ou même impossible, une chose est tres certaine c'est que Personne ne s'en sert.

§. 760.

La plupart des gens ne savent point lire: parmi ceux qui savent lire, la plupart ne lisent jamais les ouvrages des Adversaires: ils ne connoissent les raisons de l'autre parti que par les morceaux qu'ils en trouvent dans les Ecrits de leur Auteurs. Les morceaux ne representent qu'imparfaitement & tres foiblement les droits du parti contraire. Pour connoitre la force des objections il faut les considerer placées dans leur Systeme, liées avec leur principes generaux, & avec leur consequences, & leur dependances. Ce n'est point donc examiner les sentiments de son Adversaire, que de comparer simplement la reponse de nos auteurs avec l'objection qu'ils raportent; c'est juger de la force d'une roue par les seuls effets qu'elle peut produire etant detachée de sa machine.

§. 761.

Pour ce qui est de Docteurs qui mettent leur nés dans les ouvrages de l'Adversaire, ils emploient toutes les forces de leur Esprit, non pas à chercher, s'il y a raison, mais à trouver qu'il a tort, & à chercher inven-

nventer des reponses. Toutes les reponses qu'ils inventent leur paroissent bonnes, par ce, qu'ils ne se defont jamais de la forte persuasion, qu'il est heretique. Cela non plus ne sauroit être nommé examen qu'abusivement. La premiere chose qu'il faudroit faire, si l'on voudroit bien examiner, seroit de douter de sa Religion: mais on croiroit offenser Dieu, si l'on formoit la-dessus le moindre doute; on regarderoit ce doute comme une funeste suggestion de l'Esprit malin: ainsi l'on ne se met point dans l'état, ou S. Augustin remarque qu'il se faut mettre; quand on veut bien discerner l'orthodoxie, d'avec l'heterodoxie. Il faut selon lui se depouiller de la pensée, que l'on tient deja la verité.

§. 762.

Ut autem facilius mitescatis, & non inimico animo vobisque pernicioso mihi adversemini, quovis judice me impetrare à vobis oportet, ut ex utraque parte omnis arrogantia deponatur. Nemo nostrum dicat jam se invenisse veritatem: *sic eam quæramus quasi ab utrisque nesciatur. Ita enim diligenter & concorditer quæri poterit, si nulla temeraria præsumtione inventa & cognita esse credatur.*

§. 763.

L'Heretique examine les raisons des Orthodoxes tout plein de cette persuasion qu'il possede la verité, & qu'il offenseroit Dieu, s'il s'imaginoit que les preuves du parti contraire sont solides. Il croit agir en fidele serviteur de Dieu, s'il regarde ces raisons comme de sophismes, & s'il emploie toute l'attention de son ame à inventer des reponses: & il ne sauroit croire que ses reponses soient mauvaises, puis que selon lui elles combattent l'erreur, & sont destinées, au maintien de la

 verité.

verité. Il se trompe il s'imagine qu'il a bien examiné le Systeme de l'autre Parti.

§. 764.

Mais, dites moi, je vous prie, les Orthodoxes n'ont y pas une semblable persuasion, quand ils examinent la cause des heretiques? Les uns & les autres sont semblables aux Plaideurs: ils ne trouvent jamais solides les raisons de leur parties: ils ont beau lire & relire les papieres qu'elles produisent, ils croient, que ce ne sont que des chicanes: & apres mémes que les Juges subalternes & souverains les ont condamnez, ils croient avoir raison, ils en apelleroient à une autre Tribunal s'il y a en avoit.

§. 765.

D'ou vient cela? n'est ce pas de ce qu'ils examinent tout avec une forte prevention d'avoir la justice de leur coté? Rien n'est plus capable de nous convaincre de l'inutilité de tout examen qui ne se fait pas sans prevention, que ce qui arrive tout le jour aux Nouvellistes. Ils se persuadent que le Parti qu'ils épousent a la justice de son coté, & ils souhaitent passionnément, qu'il triomphe. Ils sentiroient un chagrin mortel, si quelque lumiere vive se presentoit à leur yeux, qui les convainquit du droit de la bonne fortune du parti contraire. Voici l'effet de ces passions. Ils ne lisent les Manifestes & les relations de l'ennemi, que comme des faussetez, quelque probables que soient ses raisons ils le rejettent: ils appliquent tout leur esprit à considerer ce que l'on y peut repondre.

§. 766.

Or pendant qu'ils sont attentifs aux apparences specieuses de la reponse, & nullement attentifs au beau coté de l'objection ils n'acquierent jamais d'autre con-

noissance

noissance que celle qui flatte leur prejugés. S'il court de mauvaises nouvelles ils sont incredules, ils inventent cent raisons pour les combatre; ils ne s'appliquent qu'à cela. S'il en court de bonnes; leur credulité n'a point de bornes, les apparences les plus foibles leur tiennent lien de forte preuve. Ils travaillent ardement à apuier ces apparences, ils eloignent de leur imagination les apparences contraires, &c. &c.

§. 767.

Hasce difficultates, ex parte examinantium obvias, sequuntur aliæ, quibus examen ipsum impeditum esse dicitur. Complectar potiora quædam dubia hisce numeris. (1) Examen suscepturo necessitas imposita est in ea primo argumenta omnia inquirendi, quibus verbi cujusdam divini revelatio, & Christianæ religionis veritas probari solet. Pertinet huc haud vulgaris linguarum, Historiæ, & philosophematum notitia; quæ uti à quovis Ecclesiæ Auditore expectari non potest: ita hac ratione patet viæ examinis insuperabilis difficultas. *Vous avez raison*, verba sunt Viri celebris, *de souhaiter qu'on continue à travailler sur la verité de la religion chrestienne. Monsieur le Clerc y seroit tres propre. Car il est fort versé dans les langues & dans l'histoire, qui sont necessaires pour cet effet.*

§. 768.

Quod si (1) exploratum est dari cœlestem de divina circa nostram salutem voluntate revelationem, pervestigari demum debet, quibus illa revelatio characteribus contineatur, & an iis omnibus exsplendescat, quibus revelationem dignosci par est, Accedit (3) ut explorandum sit, annon alibi alia revelatio prodita sit, huic, quam invenistis, suis

characteribus, vel derogans, vel plura addens. Sicut enim Principi integrum eſt, leges, quibus ſubditos moderatur, augere, minuere, abrogare, pro ratione ſtatûs publici: Ita, quin idem juris DEO competat, nullum eſt dubium.

§. 769.

Si indubiis argumentis evictum fuit, *unam eſſe in Mundo revelationem* ſcriptam, ſemper ſibi conſentaneam, novus labor, idemque major, offertur, ut ope Hermenevtices ſcias eruere verum ejus ſenſum. Cum enim tot ſint de oraculis Scripturæ explorantium opiniones, neceſſe eſt perſpicias idoneis argumentis, quæ inter multas interpretationes genuina (4) ſit, & à Spiritu S. intenta.

§. 770.

Sed nec carere notitia (5) critica poſſumus in via examinis, quam noſtrates tantopere urgent. Inveſtigandum eſt, qui libri canonici, qui non, qui verſus interpolati, qui non? Quæ inter variantes lectiones innumeras Apoſtolica ſit, quæ non, quot capitibus, quot commatis, quot litteris ſinguli libri, capita, verſus aucti ſint, atque diſtincti.

§. 771.

Scire etiam (6) juvat linguæ idiotiſmos, adagia, alluſiones, antiquitates, Tropos, figuras, affectum loquentis, ſine quibus omnibus vera verborum ſignificatio obſcura manet, & nemini pervia exiſtit. Quid (7) de notitia dicam linguarum originariarum, hebrææ, græcæ, & cognatarum linguarum, quarum ignorantia quicunque laborant, nunquam plene in mentem Spiritûs S. divinam penetrare poterunt.

§. 772.

§. 772.

Quæstio etiam (8) eſt, *liceatne ex verbo revelato nectere conſequentias ?* Omnis enim homo mendax, etiam in ratiocinando; ſi aliorum conſequentiæ admittendæ, quis me reddit certiorem, eos non aberraſſe à vero ? ſi mihi id officium injunctum eſt, quibus conſequentiis cognoſcam, me hoc aut illo caſu recte conſequentiis uſum ?

§. 773.

Hæc & plura alia viæ examinis opponi poſſunt; (non enim omnia recenſebo) itaque par eſt, ut & de ſolida laboremus reſponſione. Dimittam celebris auctoris du Traitté de la conſcience p. 377. cogitata, quæ his verbis exponuntur : *Afin d'emploier avec prudence la voie de l'autorité, il faut connoitre quelle eſt l'Egliſe qui poſſede l'Autorité, mais auſſi les de Ms. Nicolle nous conduiront neceſſairement à la doctrine de la probabilité dans toute ſon étendue. Ce dernier point ſeroit fort contraire à Mr Nicolle, qui a combattu ſi ſolidement le dogme de la probabilité.*

§. 774.

L'autre point embraſſe une infinité de diſcuſſions. On ne peut connoitre ou reſide l'autorité, qu'en examinant quelles ſont les marques de l'Egliſe, qui la poſſede. Il faut ſavoir le nombre precis de ces marques. Il faut ſavoir non ſeulement qu'il y en autant, mais encor qu'il n'y encore davantage. Il faut ſavoir ſi ceux qui en comptent cent ſont plus raiſonnables, que ceux qui en comptent quinze ou douce ou dix ou ſix ou ſeulement quatre. Quand on aura fixé le nombre des marques, il faudra examiner ſi elles conviennent à l'Egliſe Romaine plûtot qu'à l'Egliſe Greque. Tout cela demande un long travail & une ſuite penible

de discussions; desorte qu'aiant voulu eviter la voie de l'examen, on y se retrouve neanmoins necessairement.

§. 775.

Alia suppetit responsio κατ' ἀλήθειαν formata, quam Vir illustris nobis præbet, his comprehensa verbis: *Comme j'aime la sincerité, je n'accorderay pas seulement qu'on ne sçauroit charger toutes les personnes sans distinction, du soin d'examiner exactement les controverses; mais je diray de plus, que parmi les Sçavans même il y en a bien peu qui s'y puissent prendre comme il faut pour s'assurer de la verité sur des matieres epineuses. Il paroit mesme que nous n'avons pas le moyen de decouvrir la verité à l'egard de certaines questions relevées.*

§. 776.

Quelqu'un dira qu'il n'est pas necessaire de decider toutes les controverses; mais on peut repliquer qu'il y en a au moins quelques unes, dont la decision est necessaire, & il sera toûjours tres difficile au peuple de les examiner à fonds: donc le peuple a besoin d'une marque claire, & infaillible, qui soit à la portée de tout le monde.

§. 777.

Il y a deux reponses qu'on peut opposer à la force de cet argument. La premiere est qu'il suffit, que les hommes croyent la verité sur quelques points necessaires, quoy que ces hommes peut être ne soient pas arrivez à la connoissance de la verité par des raisons explicables assez fortes, & qu'ils ne soient pas servis d'un prejugé infaillible, n'y d'une discussion exacte. Effectivement il y a peu de Chretiens, qui entrent bien avant dans les preuves de la verité du Christianisme, & il semble

que

que c'st assez que les Sçavans voient bien les avantages de nostre foy sur les autres Religions, il y aura toujours bien de gens qui seront obligez de croire leur Pasteur sur sa parole. Heureux sont ceux, à qui Dieu a donné des Maitres eclairez, ou qu'il a voulu toucher au moins interieurement au defaut du Ministere d'un bon Maitre exterieur. Hann. p. 241. seq.

§. 778.

Alibi ita paucis mentem suam exponit. *Il faudroit sur tout eclairer quantité des passages de la sainte Ecriture qui sont sujets à des difficultés. Cependant comme le but de Jesus Christ a e é d'elever les hommes à Dieu, le principal est de s'attacher à ce grand point, quand même on ne seroit pas instruit de tous ces points historiques, ou litteraires. Et il n'est que trop vray, que ceux qui sont fort sçavans ne sont pas toujours fort eclairés par la veritable lumiere.*

§. 779.

Ex his intelligitur, quomodo dubiis §. 759. 760. seqq. propositis, occurrendum sit? Nimirum tametsi sacrarum disputationum examen, obstante vel officii, vel donorum naturalium, vel augusti temporis, vel conditionis tenuis, vel inopiæ in comparandis litterarum præsidiis, impedimento, paucissimi suscipere queant; tamen sufficit, eos veritatem maxime saluti impetrandæ conducentem cognoscere. *Non opus est perspici* veritatem ab omnibus, ut veritatem, *cum omni argumentorum pondere; dummodo veritas agnoscatur, & credatur sincero animo.* Nam aliud est credere veritatem ob quædam argumenta, aliud vero eandem tenere ob omnia

omnia ratiocinia illa, quæcunque pro veritate confirmanda ex omni parte afferri possunt. Quis quæso posterius necessarium judicet factu omnibus etiam simplicissimis ex plebe hominibus?

§. 780.

Unde nôrunt, inquis, *homines litterarum imperiti, sibi à doctioribus proponi veritatem, si de auctoritate horum occipiunt dubitare, an via auctoritatis denuo illis erit commendanda? hoc esset pro uno Pontifice subornare innumeros. Vel an via examinis ingredienda? Atqui ea tam late patet, ut ne unus quidem, idemque eruditissimus ei emetienda toti sufficiat.* Quodsi Auditores, num veritatem, quam revera possident, habeant, dubitare cœperint, tum ex eo ipso fonte, unde eam hauserunt, suæ cognitionis explorandæ documenta petere debent, i. e. ex Scriptura. Non est, ut multum diuque disquirant, *sitne Scriptura verbum DEI, nec ne?* Nam si salutarem veritatem, uti debent, ex animi sententia spectant, ipsum DEI verbum ex se ipso efficiet, ut sentiant, se verum sequi, dummodo veritas i. e. verbum DEI Joh. 17. v. 17. non interpolata ipsis exponatur. Futurum id esse, Christus testatur, Joh. 7. v. 17. Factum etiam esse loquuntur exempla, v. g. illud Actor. 2. v. 37. Nam, auditâ Petri concione, non opus erat illis tribus hominum millibus, v. 41. longa eademque erudita Scripturarum Mosis & Propheticarum litteraria investigatione, an ea, quæ de futuro prædicta servatore divina fuerint, nec ne? Sufficiebat, audivisse veritatem, quæ sua ipsius efficacia animos percellebat.

§. 781.

Aut sacra veritas attente percepta sensum sui ipsius

ius operari poteſt, aut non poteſt. Non poſſe eam ſui ſenſum operari, ſi dicas, id perinde eſt, ac ſi Spiritus S. efficaciam omnem tollas, ideoque DEI verbum vel viliſſimorum hominum promiſſionibus veris æques. Sin autem affirmes, fieri poſſe, ut ſacra veritas ſui ſenſum in animo docili excitet, profecto longa argumentorum ſerie homines pie ſimplices ſuperſedere poſſunt.

§. 782.

Etiamſi non dubitem, firmiorem eſſe fidem, quæ diſtinctiſſima ſacrarum veritatum notitia nititur, quam eam, quæ ſimplici aſſenſu, pluribus argumentis deſtituto, utitur: Tamen inde nondum conſequitur, nos indigere quodam Tribunali, ſententias falli neſcias, in litibus religionem attingentibus, pronuntiante; ſufficit fidem veram poſſe concipi, absque operoſo veritatum omnium examine.

§. 783.

Sed Scriptura, inquis, *tot eſt contrariis explicationibus obnoxia, veritas ergo ipſa anceps, dubia, in partem utramque trahenda: Quis igitur præſtabit, ut ſimplices veritatem etiam nudam ſine argumentis agnoſcant? Annon opus erit auctoritate falli neſciâ?* Hoc argumentum etiam potuiſſet Petro opponi Actor. 2. v. 37. *In tot ſectas Judæi circa V. T. ſcripta interpretanda diſtrahuntur, quis nos docet, explicationem hujus Nazareni, quâ ad Jeſum Meſſiæ promiſſi characteres applicantur, veram eſſe?* Quidquid pro Petro reſpondebis tuendo, tibi erit reſponſum.

§. 784.

Adde & hoc: Quæ ſacra veritas ſaluti maxime conducit, ut ad fidem primò plantandam pernéceſſaria ſit, adeo perſpicuis in Scriptura verbis

declarata est, ut, si non omnes, tamen pleræque Christianorum sectæ, in eam consentiant. v. g. *JEsum Nazarenum esse unum & verumServatorem, nos esse innumerabilium culparum reos, à Christo solo veniam earum sperandam, eâ impetrata vitam tanto beneficio dignam agendam, nec eam quemquam posse consequi sine vera mentis resipiscentia.* Hæc Solis in Scriptura radiis scripta cognoscuntur.

§. 785.

Quamvis igitur reliqua, quæ ad fidem NB. augendam, defendendam, *publice* docendam, *& cum veritatibus cognatis* coagmentandam pertinent, innumeris sint obnoxia disputationibus: tamen id non efficit, ut Judice quodam sacrarum litium conspicuo, & extra errandi periculum collocato, opus sit, quoniam his incommodis alia via vel prospectum est, vel prospici potest.

§. 786.

Nimirum in tota hac controversia summo studio cavendum est, ne confundamus Ecclesiæ filios *universos, cum singulis, sociatos, qua tales, cum iisdem, quatenus seorsum extra societatem plures considerari possunt.* Via examinis ineunda est non singulis sed universis, non ut privatis, sed ut sociatis, non membris separatis omnibus, sed toti corpori. *Non singuli seorsum, sed omnes simul sumti evadimus Vir ornatus debita perfectione, cujus cognitio attemperata sit ad mensuram ætatis Christi maturioris.* Ephes. 4. v. 13. Itaque, cum Ecclesia societas sit, eorum, quibus à cæteris laboribus vacat, qui præsidiis sunt instructi litterariis, qui judicio pollent singulari, quibus in omni dexteritate non deest bona voluntas, officium merito habetur,

betur, in gratiam reliquorum societatis membrorum in examinanda quævis veritatis momenta incumbere, & suis luminibus cæteris prælucere deinceps. Quidquid hi tales faciunt, nomine cæterorum quorumvis faciunt, quia hi consentiunt, quia eorum labores in rem suam vertunt, quia eos sequuntur.

§. 787.

Non omnia possumus omnes. *Totum corpus si oculis compositum foret, desideraretur auditus.* teste Paulo 1.Cor.12.v.17. Oculatissimum oportet esse, qui examinis viam ingreditur longam & amplissimam. Quodsi omnes eo debito tenerentur, quis cæteris necessitatibus navaret operam? Sufficit oculorum duorum acumine in reliqua corporis membra uti ita posse, necubi offendantur.

§. 788.

Quodsi est, ais, *postliminio velut revocatur aperiturque obsepta adhuc via auctoritatis. Nam si hæc locum habent, fidei quidem non plantandæ primùm,* §.784. *certe tamen augendæ, defendendæ,* §785. *facultas tota pendebit à paucis, quos religiosa societas, cæco impetu, cæteris oculatiores esse judicabit, hos sectabitur, hos pluris faciet, præcoci occupata judicio, hos oculorum instar Corpori Ecclesiæ esse.*

§. 789.

Erras profecto, si hoc metu nimium percelleris. Qui cæteris perspicaciores in Ecclesia sunt, quique viam examinis emetiuntur, nulla in cæteros pollent auctoritate, sed, quidquid docent, additis rationibus, docent, nec reliqui audiunt, quia hi dixerunt, sed quoniam, quæ dixerunt, ido-

neis corroborare argumentis possunt. *Ita semper calcatur via examinis, etiam ab iis, qui totum nullo tempore emetiri possunt.*

§. 791.

Aliud etiam est, viam adhuc impeditam rupibus, cavernis dissectam, vepretis interstinctam, perrumpere, æquare, calcaturis planam & idoneam præstare, aliud vero, jamjam stratæ insistere, expeditam ingredi, & per explanatam exspatiari. Qui examen veritatum difficilium primi suscipiunt, magnos utique labores exantlant: sed perruptâ semel glacie, non est tanti, viam ab aliis stratam calcare, & Antecessorum legere vestigia.

§. 791.

Arduum negotium est, argumenta pro veritate Christianæ religionis colligere, cum adversariorum comparare effugiis, ac ob oculos lectorum ponere, in quam partem veritatis momentum inclinet. Impensam operam poscit, variantes scripturarum lectiones congestare, & critico gustu adhibito, discernere à genuinis irreptitia. At vero, cumprimum ea de re libri complures magno labore & artificio exarati sunt, non est adeo difficile, legi eos, & intelligi, maximô fidei firmamentô, vel ab hominibus mediocriter judiciosis, modo velint serio omnia expendere, & ad accurationem mentis revocare trutinam.

§. 792.

Nam qui ulterioribus dubiis indulgere cupit, & v. g. inquirere: *an Scriptores illi ex germanis omnia sua fontibus hauserint, an nihil omiserint eorum, quæ adversariorum caussæ inserviunt, an fidi fuerint linguarum exoticarum interpretes?* ii, si litteras profitentur,

tentur, & ſatis otii ad examinanda omnia habent; non reprehendendi quidem ſunt: At vero ſi curioſitatis tantum cauſſa, utpote litterarum expertes, in hæc aut illa, dubiis quibusdam vexati, inquirant, profectò æque ſtolidi ſunt, ac ii, qui de hiſtoriarum Scriptoribus dubitant: *An fide germana omnia narraverint, an rerum geſtarum fuerint vel αὐτόπται, vel auctores & adminiſtri, vel an tantum ex aliorum recenſu ſua haurientes prorſus indigni ſint, quibus vel tantillum fidei habeatur.*

§. 793.

Quamvis enim magnum diſcrimen inter ipſos hiſtoriarum Scriptores interjaceat, aliis majorem, aliis mediocrem, aliis denique exiguam merentibus fidem: tamen, ſi huic methodo, viam examinis impugnandi, inſiſtendum ſit, ne probatiſſimi quidem ad hoc usque tempus Scriptores poſthæc tutò audiri debent; cum omnia illa dubia cujusvis auctoritati opponere liceat, cauſſando: *Si huic credendum ſit, opus eſſe illis documentis, quibus Scriptor ſuo tempore fuerit uſus, illa cum auctoris recenſu conferenda, conſtare prius debere de Auctoris affectu, ſuſpectum eſſe, quod hac aut illa fuerit ſecutus ſacra, qua, quo minus de hæreticis vera ſcripſerit, impediverint.* &c. &c. *Si tandem ars de omnibus dubitandi ad ſummum evehetur faſtigium.*

§. 794.

Accedit huc præceptum DEI, in cognitione ſacra perpetuas acceſſiones capiendi. Coloſſ. I. v. 11. Itaque ſemper aliquid examinandum reſtat, quô exploratô, notitia poſſit augeri. Si cognitionis fundamentum ſola ſit auctoritas, nulla habent notitiæ augmenta vel minimum locum. Nam tametſi di-

cas, *in eo posse locupletari rerum sacrarum cognitionem, quod summa illa auctoritas credendum proposuerit:* tamen, cum innumeris scriptis sacrum tale tribunal credenda definire soleat, ut vel exemplo Judæorum Talmud cognoscitur, non potest non ea ratione, examinis necessitas, quam evitare voluimus, reviviscere, & omne illud redire incommodum, quod viam auctoritatis calcando præterire decrevimus. Itaque in omni humana rerum sacrarum cognitione, quæ divina non est, subinde obscuri quid remanet, semper aliquid explorandum restat, nunquam non cum quadam ignorantia pugnandum, quod officium tamen necessitatem Tribunalis ab omni errore remoti haudquaquam arguit, immo vero, ne notitiam omnem in cœcam credulitatem resolvat, penitus excludit.

§. 795.

His observatis, etiam ea labefactantur, quæ §.761. opposita sunt: *Neminem posse sine partium studio viam examinis ingredi, nisi qui de sua religione dubitet, &, ante rei examen, omnes eodem loco habeat. Cùm autem id facturi religionem se violare putent, impossibilem esse viam sæpius commemoratam calcatu.* Nam si veritatem ipsius christianæ religionis explores, adversus Judæos, Turcas, aut reliquas Gentes; felicem te prædico, si examen ita suscipias, ut affectu quodam, pro Christi disciplina, adversus omnia extranea sacra, occupatus sis. Non enim hîc consultum est, ex animi sententia dubitare, cum statim primo obtutu adpareat; dummodo quis historiam Christi veram judicet, plura divinæ originis criteria in uno hoc concurrere, quam in omnibus

omnibus cæteris, qui nomen & obedientiam ſibi arrogant, ſacrorum auctoribus.

§. 796.

Quodſi vero illas lites explorandas ſtatueris, quæ inter Chriſtianæ religionis ſectas agitantur; cum certum ſit, in ſummis quibusdam veritatibus convenire omnes, per §. 784. profecto non eſt, cur hoc examen ſuſcepturus de religionis maxime neceſſariis capitibus dubites: v. g. *An Jeſus Nazarenus Meſſias? an in eo peccatorum venia ſperanda? an reſipiſcendum? an alia ſit expectanda vita?* Nam hæ & cognatæ quæſtiones omnes ab omnibus Chriſtianorum ſectis affirmantur, ut ſtolidum foret, in perveſtiganda veritate de iis rebus ancipitem hærere, in quibus omnes uno ore conſentiunt.

§. 797.

Quos Eccleſia in oculis gerit, inquis, *errare poſſunt, tota igitur religioſa ſocietas viam examinis ſæpe cum maximo calcat veritatis amittendæ periculo.* Falleris. Nam primo, licet fieri poſſit, ut error in doctrinam publicam irrepat, nunquam tamen veritas in omnium privatorum animis penitus exſtinguitur. Semper ſunt, qui dogmatum publicorum labem animadvertunt, improbant, nec vita nec moribus imitantur. *Veritatem igitur Eccleſiæ ne inferorum quidem horrendi incurſus extorquere poſſunt*, Matth. 16. v. 18. nunquam ſecundum quævis membra ab omni veritate aberrabit; ſed inde non ſequitur, publicam doctrinam ſemper integram, puram, & ab omni errore immunem ſervatum iri, ſufficit manere fontem veritatis, ex quo publica doctrina inſtaurari, & priſtino nitori reſtitui poſſit, manebit

ſemper ſua Chriſti promiſſionibus dignitas, honor, & exiſtimatio.

§. 798.

Veritas ſemper eſt *in Eccleſia, ſed non ſemper* animadvertitur *ab* omnibus *Eccleſiæ membris.* Deficere poteſt publica cœtûs ſacri doctrina, ut exemplo Judæi populi conſtat, cujus religio mirifice contaminata, à privata adhuc Chriſti doctrina veriſſima vehementer abhorruit; ſed non deficere poteſt omnis veritatum doctrina ſive privata ſive publica. *Quis conſulet igitur*, inquis, *ſi publica doctrina erroribus infici poteſt, auditoribus infirmis ſimplicibus, bona fide errores publicos ſequentibus?* Eorum conditio quidem dolenda, ſed non plane deſperata eſt. Primo quidem ſemper, in omni omnino Eccleſiæ periculo, inter tot errorum nebulas, *tantum veritatis in* omni *Cœtu ſacro, etiam* errante, remanſit, quantum ad fidem ſimplicibus, & bene affectis, ingenerandam ſuffecit. v. g. *Jeſum eſſe unum Servatorem & optimum, nos culparum infinitarum reos, ab his reſipiſcendum, veniam expectandam à Chriſto, &c. quanquam hac ad fidem* NB. augendam, coagmentandam, defendendam non ſufficiant,

§. 799.

Poſt, uti DEus ſingulari benignitate gentibus, luminis naturalis pædagogiam non ſpernentibus, ſemper adeſſe cenſetur, ut ex §. 75. patet: ita nullum eſt dubium, quin eos etiam ſit adjuturus, qui in publica dogmatum depravatione, pro puriori veritate nec voluntatem ſinceram, nec exquiſitum ſtudium in ſe deſiderari patiuntur. Sed de his ſatis dictum.

Cap.

Cap. II.
De Æteritate Dei.

§. 800.

UTi *temporis & ſpatii* diſtinctam & completam notionem, præ cæteris omnibus, Vir illuſtris, vel ſolus, cum erudito orbe communicavit: Ita, cum ex noſtris, quorum intimo ſenſu imbuimur, donis, demta imperfectione, de infinitis DEi virtutibus judicemus; §. 244. non male actum erit, ſi ex idea temporis, quam formare licet, depurgatis cogitatione infirmitatibus, naturam & indolem divinæ æternitatis inveſtigemus.

§. 801.

De temporis idea genuina ita ſentiit Vir illuſtris, On ne peut point dire qu'une certaine durée eſt eternelle; mais on peut dire que les choſes qui durent toujours, ſont eternelles, en gagnant toûjours une durée nouvelle. Tout ce qui exiſte du tems, & de la Duration, etant ſucceſſif, perit continuellement: & comment une choſe pourroitelle exiſter eternellement, qui à parler exactement n'exiſte jamais? Car comment pourroit exiſter une choſe, dont jamais aucune partie n'exiſte? Du tems n'exiſtent jamais que des inſtans, & l'inſtant n'eſt pas même une partie du tems.

§. 802.

Quiconque conſiderera ces obſervations, comprendra bien, que le tems ne ſauroit être qu'une choſe ideale; & l'analogie du tems & de l'Eſpace fera bien juger, que l'un eſt auſſi ideal que l'autre.

Cependant, si en disant que la duration d'une chose est eternelle, on entend seulement que la chose dure eternellement, je n'ai rien à y redire. Rec. p. 111. P.I.

§. 809.

Tempus igitur, qua tale, non exsistit sine rebus, &, accurate loquendo, nihil aliud est, quam ordo rerum sibimet invicem succedentium. Ubi nullæ res mutabiles, vicissitudinibusque obnoxiæ, ibi & nullum tempus. Ante conditum proin mundum nulla fuit ejusmodi duratio. Hinc & *momenta non sunt temporis partes*, accurate loquendo. Nam uti puncta linearum in geometricis pro partibus earum non habentur; *cum* nihil aliud *sint* quam *quantitatum in longum exporrectarum extrema*, qua talia: Sic & momenta temporis, veluti extrema illa esse concipiuntur, quibus, ad instar lineæ fluens successio rerum, in punctis arbitrariis distinguitur, ac discernitur. *

* Citabo in hanc rem Schvventeri verba, ex erudito mathematico, quæ ita habent: Wenn eine Linie in zvvey gleiche Theile getheilet vverden soll geschihet solches durch ein Zeichen nur mit dem Sinn begriffen. Diss ist der Punct. Dieser vveiset nur den Ort, da zvvey Linien sich schaiden; benim̃t aber beeden Linien nichts, dann sie beede zusamen der ersten Linie gleich verbleiben, so zu theilen fürgegeben vvorden.

§. 804.

Successionis rerum, qua temporis notio continetur, cogitationem, *non tam successio rerum* extra nos, *quam perceptionum* intra nos exsistentium vicissitudo *excitat*. Nequa enim de rerum extra nos successione quidquam perspectum haberemus, nisi quandam idearum successionem in nobis ipsis sentiremus,

tiremus, quam viciſſitudini rerum extra nos reſpondere judicamus. Temporis itaque notionem, converſa in nosmet ipſos attentione, & obſervatô idearum aliarum alias excipientium ordine, acquirimus.

§. 805.

Tempus eſt, idearum, quarum ſumus conſcii, ſucceſſio: §. 804. quo plura igitur in tali idearum ſerie diſtinguimus, eo longiora nobis videntur fluere tempora: ex adverſo, quo pauciora diſcernimus, eo breviori nobis termino tempus videtur coarctatum.

§. 806.

Hinc ratio petitur, quare, quidquid dolorem parit juſto longius dolenti adpareat, & impatientiæ præbeat irritamentum. Homines enim, ut recte Lipſius memoriæ prodidit, inſectis ſunt comparandi, quæ lævibus politisque locis non diu inſident, ſcabris vero inhæreſcunt. Ita plerumque in rebus, quæ faſtidium creant, ſeu ſtomachum cient, longe tenacius mentem homines figunt, quam in iis, quæ pariunt voluptatem, leviſſimo ſaltu repente transmittendis.

§. 807.

Intelligitur ex his præterea, *quamobrem*, quod jucunditatem affert, otium, breve *videatur*, & *à Germanis vocitetur:* Kurtzweil. Nimirum ex nulla alia cauſſa, quam quia ab una voluptatis idea cupidiſſime pergentes, bonum, quo fruebamur, non magnopere per partes diſtinguimus; ſed ab una jucunditatis idea ad ſucceſſuram tanquam volando properamus. Quod contra fit in dolorum partibus expendendis.

§. 808.

Sæpe, qui ætate proceſſerunt, conquerentes

audias, actæ ætatis spatia rapide & velociter sibi decursa esse, (ita enim Seneca loquitur) existimare se, quæ multis retro annis facta sint, vix dum heri evenisse. Sed hujus querelæ ratio ex observationibus præmissis, ac notione temporis, maxime pendet. Nam qui spatium præteriti temporis memoria recolit, uno quasi obtutu, omnia antehac gesta distinguere non potest. Inde plura, quæ temporibus valde disjuncta sunt, cum, quæ forte interjecta erant, ex animo sint dilapsa, in idearum de rebus præteritis serie, coivisse videntur, & inter se cohærere, non obstante illo immani intervallo, quod hæc ab illis divisit.

§. 809.

Simile quid usu venit à somno expergefactis, qui si dormiverunt arcto sopore absque somniis, ideoque nullam idearum successionem animadverterunt, haud raro ignorant, per quantum tempus somnum extraxerint, initium igitur somni cum ejus fine imaginationi coaluisse videtur.

§. 810.

Quemadmodum longum nobis tempus videtur, quando in aliqua idearum serie plura distinguimus, ac in seriebus cæteris, ita hinc ratio petitur, quare tempora ante magnam fortunæ conversionem incidentia, remotiora nobis videantur, quam re ipsâ sunt. Illustris enim temporum periodus, quâ vita nostra distinguitur, propter χάσμα, quod nobis inter hanc & illam ætatis partem interjectum repræsentamus, phantasiæ nostræ velut illudit, ut, quæ ante illam periodum contigerunt, antiquiora esse credamus, quia idearum, quibus recordatio continetur,

tinetur, seriem tam norabilis casus distinguit, & illo intervallo, à nobis plus removere videtur.

§. 811.

Ut igitur æternitatis notionem justam formemus, ab idea temporis, ea cogitatione separanda sunt, quæ *imbecilitatis ac imperfectionis* argumentum præbent, *reliqua* bona, *addita* omnis possibilis in eo genere perfectionis *cogitatione*, ad DEum adplicanda, quo facto quæsita notio comparabitur.

§. 812.

Perfectionis indicium aliquod est, *nos affici rerum ideis*, *tangi conscientia nostri*, quæ à multis rebus abest quam logissime, *distincta rerum cogitatione*, i. e, nos *intellectu exornatos esse*. Qui igitur fundamentum notionis, quæ de divina æternitate formanda est, §. 811. jacere discupit, det operam necesse est, *ut addat huic intellectus perfectioni tantam ejus eminentiam*, *quanta in hoc genere possibilis est*. i. e. adæquata, & distinctissima *omnium rerum*, *possibilium*, exsistentium, præteritarum, præsentium, futurarum, *repræsentatio*, *conscientia* & cognitio.

§. 813.

Sed cum temporis idea non ponatur in rerum notionibus, *sed in earundem* fluxu, *successione*, & *vicissitudine*, per §. 803. qui idearum fluxus cognitionis particularitatem, (liceat ita loqui) i. e. imperfectionem arguit; nam perfectius est, *primo* omnia, *secundo* simul cognoscere, quam principia quædam duntaxat, deinde alia demum ex aliis, alterum post alterum: perspicuum est, has imperfecti-

ones

ones DEO non tribuendas, ideoque *consummatissimam omnis perfectionis possessionem, sine ulla successione, ideoque absque initio & fine, adpellari divinam æternitatem.*

§. 815.

Hinc quamplurima derivari possunt corollaria, Theologiam & naturalem & Christianam illustrantia. Dixi, §. 806. quo pluribus distinguendi in aliqua idearum serie actibus utamur, eo nobis longiora videri tempora. Sed cum DEus uno obtutu simplicissimo omnia omnino distinctissime repræsentet, nec ab una discernente notione progrediatur ab alteram, §. 812. *nullum illi longum tempus videri potest*; recte proin Petrus memoriæ prodidit 2. Epist. c. 3. v. 8. *mille annos Deo perinde esse, ac unum diem, & unum diem ut annos mille.*

§, 815.

Uti porro præteriti, præsentis, & futuri temporis idea ex notionum successione oritur, sic, ut perceptio, quæ illam, qua nunc afficior, antecessit in serie, *præteriti*, quæ eam sequetur, *futuri* cogitationem excitet: ita exploratissimum est, cùm in DEO nulla sit cogitationum series, sed unus *omnium rerum, idemque accuratissimus* obtutus, penes eum semper esse HODIE, ea, quæ sub initium Mundi contigerunt, non minus vivide eidem obversari, imo infinitis modis, perfectius, quàm ea, quæ me hoc momento cogitantem percellunt.

§. 816.

Quoties igitur divinarum actionum, quæ intra DEum subsistunt, nec forâs prodeunt, tanquam HODIE susceptarum mentio fit, uti v. g. loquitur

Davi-

Davides Psal. 2. v. 7. per τὸ HODIE aliud nihil intelligi potest, quam æternus DEI, & uno simplicissimo consilio, factus nutus, sine serie ulla vel minima plurium actionum. *Alia caussa est operum* forâs *prodeuntium*, quæ *mutationem in* objecto non in DEO *arguunt.* Sic Mundus & non fuit, & nunc existit? sed hæc ipsa mutatio objectum attingit, non DEUM, qui hoc ipsum, inter alia, æterno & uno consiliô, decrevit, *ut mundus exsistat, quum nondum exstitit,* Quô observatôsi btilissimæ Scholasticorum objectiones, vel uno uctu, prosternuntur.

§. 817.

Si le decret de la creation n'enferme pas un moment particulier, il'n'a jamais existé sans la creature ;car on le doit conçevoir sur cette phrase, je veux que le monde soit. Il est visible qu'en vertu d'un tel decret le monde a du exsister en meme tems, que cet acte de la volonté de Dieu. Or puisque cet acte n'a point de commencement, le monde n'en a point aussi. Disons donc' que le decret fut conçu en cette maniere, je veux que le monde existe en un tel moment, mais comme nous pourrons dire cela, si la durée de Dieu est un point indivisible? Peut on choisir ce moment-là ou ce lui-ci plutot que tout autre dans une telle durée? Il semble donc que si la durée de Dieu n'est point successive, le monde n'ait pu avoir de commencement.

§. 818.

Est qui respondeat: Avant que Dieu fit des decrets de creation, il faut mettre une durée successi-

ceſſive, qui n'a ni commencement, ni fin, & dont les parties ſont auſſi diſtinctes les unes & les autres. Il a laiſsé dans l'etat des choſes poſſibles une partie de cette durée infinie, & il y a fait des decrets pour l'exiſtence de l'autre. Il a choiſi tel moment qu'il lui a plu dans cette durée ideale, pour le premier qui exiſteroit, & il a attaché l'acte par le quel il a decreté de creer le monde. Verum enimvero duratio poſſibilis ſucceſſione proprie loquendo caret, quia & exſiſtentia deſtituitur. Eſt enim *duratio poſſibilis ſeries rerum, quas ſibimet mutuo ſuccedere, contradictioni non eſt obnoxium, ſi placeat DEO, eam condere.* At eo ipſo quia nondum placuiſſe adhuc tantisper fingimus, alienum quoque eſt, illi ſeriei ſucceſſionem affingere. Id modo dictitat ratio, ſucceſſionem ejusmodi nulla impediri contradictione. Senſus igitur reſponſionis hic eſſet: DEus ex ſeriebus, quæ nullâ rerum pugnâ ſecum ipſis colliſæ, & impoſſibiles erant, elegit primum, ſecundum, aut tertium &c. ſucceſſionis gradum, cui mundi futuri initium parallelum erat futurum. Sed cum hic ſucceſſionis gradus nulli adhuc, quippe tantum poſſibiles, non exſiſtentes, ſint, idcirco nec comparari poſſunt, cum exſtituris & ſucceſſuris vere. Quid? quod per infinitos, rerum poſſibiles ordines ſemper anteriorem articulum DEus eligere, hâc ſententiâ ſtante, potuiſſet, in quo maturius Mundum quiviſſet fabricare, ſicque tandem infinitis ſpatiis citius, i. e. ab æterno condi univerſum potuiſſet, quod ipſe Auctor impugnat.

§. 819.

Meá ſententiâ, *momenta non ſunt temporis partes,* §. 802. multo minus illis DEI æternitas diſtinguenda

eſt,

eſt. Interim tempus partes habet, nempe prius & poſterius, *DEi æternitas non habet.* Sed argumento §. 817. allato ita occurrendum: Ante mundum conditum nullum eſt momentum, nulla rerum ſucceſſio: Itaque nec DEus decernere ita potuit: *Volo ut mundus hoc illove momento exſiſtat. Unde igitur judicandum*, inquis, *non potuiſſe maturius creari, aut non ab æterno.* Maturius res creatas concipere, eſt ſeriem cauſſarum & effectuum cogitare ſine nexu, i. e. fingere nullam. Numquid enim Protoplaſtus, qui, quia eſt talis, non potuit in alius lumbis eſſe, antiquiores ſe parentes venerari, & in eorum lumbis ſimul eſſe potuit? Id enim fieri neceſſe eſſet, ſi maturius potuiſſet creari Mundus.

§. 820.

Non eſt cur dicas, *ipſum Adamum cum primo Mundo potuiſſe à DEo citius condi:* nam loqueris non conſentanea. Quæ nam ſunt illa æternitatis momenta alia aliis anteriora, quæ diſtingui à ſe poſſint, ut liceat affirmare: *huic tertio æternitatis momento ſi æqualis Protoplaſtus fuiſſet, maturius, quarto ſi reſpondiſſet primæ vitæ habitu, ſerius fuiſſet creatus?* Annon DEus omnia ſimul poſſidet, quæcunque poſſidet? Non igitur mundi ſucceſſio vel citius vel ſerius, vel & ab æterno creari potuit.

§. 821.

Ab æterno creare aliquid ſignificat, *formare circulos quadratos, montes ſine valle, lignea ferra.* Sed id non probo rationibus, quæ vulgo placent. Nam æternitas eſt omnium poſſibilium perfectionum vera poſſeſſio ſine ſucceſſione aliarum alias ſequentium. §. 813. Atqui, quod creatur, non poteſt omnes perfectiones habere: Non igitur non poteſt, nolim

dicere,

dicere, IN, ſed CUM tempore creari. Sed aliud eſt, ſi quæras, *ſitne aliquid in tempore, i. e. ſuccedentium ſibi rerum ordine ita primum, ut ante ſe aliud conditum non habeat?* Id ut explores, neceſſe eſt intellectûs immenſa vi omnem rerum conditarum ſeriem pervadas, judicaturus, quanta antecedentium rerum præludia requirantur, donec præſtentur hæc, quæ nunc ſunt præſentia, quæque illis ſucceſſerunt. Ex ſola igitur philoſophia non conſtat, *utrum illa ſuccedentium ſeries rerum* primum aliquod habeat? nec inde ratiocinandum eſt, *eſſe illam ſeriem ſucceſſionis ab æterno*; nam eo ipſo quia ſucceſſio eſt, CUM, vel ſi quoque placet, IN tempore eſt.

§. 822.

Conſilium igitur creandi mundum ita concipiendum eſt: *Volo, ut, qui non exſiſtit, mundus, occipiat exſiſtere.* Non decrevit DEus, ut hoc aut illo momento exſiſteret, cum ipſius æternitas nulla habeat; §. 813. nec etiam ſequitur, mundum, *quia nulla durationis momenta divina illum anteceſſerint*, eſſe æternum: partim, quia æternum non eſt, quod ſucceſſione afficitur; §. 821. partim, quia, quod non exſiſtere debuit ante quidem, quam exſiſteret, nullo modo eſſe poteſt æternum, i. e. neceſſaria omnium perfectionum, ſine ſucceſſione, exſiſtentiâ præditum.

§. 823.

Ceux qui diſent que les creatures n'ont pas toujours coëxiſté avec Dieu, ſont obligez de reconoître que Dieu exiſtoit avant qu'elles exiſtaſſent. Il avoit donc un avant lors que Dieu exiſtoit ſeul, il n'eſt donc pas vrai que la durée de Dieu ſoit un

point

point indivisible ; le tems a donc precedé l'existence des creatures. Ces consequences jettent en contradiction ces Messieurs-là. Car si la durée de Dieu est indivisible ; *sans passé ni avenir*, il faut que le tems & les creatures aient commenté ensemble ; & si cela est, comment peut on dire que Dieu existoit avant l'existence des creatures. Cette phrase est impropre & contradictoire.

§. 824.

Quodsi distinctis subinde ideis uteremur, nec imaginationis phantasmata turbare pateremur nostros conceptus, non impediremur tot perplexitatibus. Dicunt : In DEI æternitate non est prius & posterius, nec præteritum ; nec futurum, tempus igitur cœpit cum rebus, & ita quidem cœpit, ut non potuisset rerum hic ordo ; i. e. *Universum* citius *creari* ; *aliter enim daretur in æternitate* citius *quiddam*, *&* prius : Ergo ab æterno creatum, quidquid creatum.

§. 825.

Præter responsionem §. 821. datam distinctior rerum, *quatenus priorum*, *aut posteriorum* ; notio est evolvenda. Prius aliquid aut posterius appellatur duplici sensu : *Aut enim aliud alio prius est* ; quoniam ex exsistentium statu ad possibilium numeros rediturum succedens relinquit, uti rerum hesternarum idea pedissequam habuit notionem hodiernarum : quo significatu DEus nunquam ante mundum aut eo prior fuit ; cùm in nulla sit, aut esse possit succedentium serie. *Aut* vero *aliud aliô anterius dicitur*, quia ex uno intelligitur cur alterum exsistat : quâ antecessione DEus non

potuit non mundum antevertere: Omnes circa hanc doctrinam errores ex phantasia scaturiunt, quod in æternitate DEi, *si non rerum & actionum*, uti in nobis, *tamen ad analogiam rerum concipiamus fluxum momentorum*, durationis divinæ, *semet invicem excipientium*, quo pacto officiosa phantasia durationem tanquam extensam lineam repræsentat, quidquid autem sub extensionis imagine animum subit, matrem veneratur phantasiam, quæ tamen hinc exesse debet.

§. 826.

Ipse etiam conceptus durationis, non potest, nisi Synonymis definiri, vel potius describi, vocabulis: *permansione*, *perseverantiâ in existendo*, more Scholasticorum, verba sæpe pro conceptibus dantium. §. 750. Si vero ejus definitio genetica, seu origo vera investigetur, cognoscemus, impetrari à nobis durationis notionem observatione *successionis idearum*, quæ in nobis est; intimo enim sensu imbuimur, *durare vitam nostram*, ubi una cogitatio nostra alteram excipiat. Sed cum à DEo ejusmodi successio sit aliena, nec hoc significatu durare potest. Quid? quod temporis duratio, cum æternitate ut comparari possit, tantum abest, quantum abest, ut comparari possit, quod proprie durat, cum eo, quod proprie non durat. Quantacunque enim successione tempus præteritum duraverit, non tam simul atque DEus duravit, quem non durare sæpe dixi. Simul *enim exsistere dicuntur, quæ ejusdem seriei succedentium rerum articulô continentur.* Arbitror sic exhaustas esse difficultates omnes, quotquot objici possunt, inepte crebro subtiles.

§. 827.

§. 827.

Ex æternitatis idea §. 813. nunc porro *intelligitur*, quid sentiendum sit de ordine divinorum decretorum; *cui integra Ecclesia suam superstruunt fidem publicam.* Omnia Systemata, quotquot decretorum multitudinem & varietatem, *si non re ipse, certe tamen ordine rationis*, distinctam docent, veram æternitatis notionem conturbant, ac DEo affingunt nonnihil imperfectionis.

§. 828.

Notio æternitatis poscit, ut DEus intelligatur possidere perfectiones omnes, easdemque remota omni successione: §. 813. Itaque uno obtutù omnia intelligit vera, uno nutu omnia vult bona. Quemadmodum verò omnia, quæ sunt vera *cognoscit*, ita etiam bonorum varios gradus, *vult igitur bona* propensione, quæ respondeat gradui, majora ut majora, minora ut minora, si ullum bonum *sive minus*, *sive majus*, nollet, quà est bonum, tum se ipsum improbaret, *bonum enim nihil est*, nisi *quod cum auctore suo*, DEo *illustrando consentit.*

§. 829.

Quædam etiam certissime non futura bona sunt: Quis enim neget, etiam ea posse gloriam DEi illustrare, quæ non fiunt? *Non futura*, quà talia, *bona sunt* minora, *cessura quippe aliis: futura* verò, majora, quippe reliquis anteponenda. Respondet igitur omnibus, futuris pariter ac non fututuris, per §. 828. DEi propensio. Nempe & non futura DEus vult; verum non, quà sunt non futura, i. e. minora, *sed qua sunt in se* bona.

 Etiamsi

Etiamsi enim gradu minora sint, bona tamen sunt.

§. 830.

Si DEus non futura, quatenus bona sunt, nollet, *voluntas, seu eiusdem motus haudquaquam æternus foret.* Miraris? Expende æternitatis notionem. Æternum est, non solum quod successione perfectionum caret, sed & quod omnibus *præditum est perfectionibus.* Atqui voluntas, quæ nutu suo non fertur in bona omnia, perfectissima non est; cum perfectissimum sit, quod omne bonum & perfectum complectitur. *Favor ergo DEi est* omnium *hominum communis*, ne uno excepto. Miseretur DEus etiam pereuntium, *sed non* (sensu composito) quà pereuntium, verum quà hominum.

§. 831.

Negasne, quæ dico? Insiste meditationi æternitatis. Æternum non est, *quod uno nutu non* omnia, sed quædam duntaxat *vult.* per §. 825. *Non enim æternitas metienda est* ex duratione, quam non habet, §. 826, sed ex OMNITUDINE, (sit verbo venia) perfectionum.

§. 832.

Sed nec *decretum decreto* anterius esse potest *ordine rationis*, *nedum successionis.* Ordo rationis est, quum aliud DEi consilium ex alio intelligitur, v. g. *ex decreto* destinationis, *propositum* exsequutionis. Sed aliud consilium ex alio non potest intelligi, *nisi utrumque versetur circa* particularia, alterum circa finem, alterum circa media, i. e. *nisi utrumque ab æternitate sit destitutum.*

§. 833.

§. 833.

Non me fugit, quo obtentu huic meo ratiocinio invicto intercedas? Dicis, *nostro tantum conceptu aliud alio* anterius *repræsentari, DEum reapse procul omni dubio, uno nutu prædefinire omnia: Sed infirmitatem tamen nostri intellectus requirere, ut aliud ex alio cogitetur eorum, quæ tamen simul destinata fuerint.* Tuum non est DEo imperfectiones *affingere*, ut ejus summam perfectionem eò rectius concipere possis. Ipse fateris, *si talis plurium decretorum ordo esset*, qualem tu, docendi caussa, describis, *imperfectum DEum fore:* non est igitur doctrina tua publica, figmentis DEo imperfectionem tribuentibus, fulcienda.

§. 834.

Si non posses aliter destinantem cogitare DEum, quàm repræsentatô variorum consiliorum ordine. siquid inde veritas detrimenti caperet, ubi uno decreto omnia definientem considerasses: condonandus tibi error foret. Sed nulla ejus rei necessitas tibi imposita est. *Quin cogites DEum* omnia *bona, quotquot in Systemate ordinari possunt, uno nutu, cum* omni *bonitatis* momento, respectu, pretio, caussa, *decernentem, statuentem.* Quid obstat, quo minus id facias? Scilicet id non conducit hypothesi, Destinandus primo homo ad salutem consequendam est, *abstracto consilio, ut lapsus, non tanquam unà credens,* uno, *non* omni, *quoquo potest considerari, respectu,* non in *ordine omni*, sed ad *ordinem, i. e. non* in *fide sed* ad fidem Quæ, quemadmodum DEi consilia ad quosdam tantum servandorum respectus, *non ad* omnes, *ex-*

po . ctá iungunt: ita ea quoque privantur ſua æternitate. per §. 831.

§. 835.

Si *decretum decreto anteponatur*, vel tantum *rationis ordine*, *utrumque deſtituitur ab æternitate*, circa quosdam duntaxat, deſtinandorum reſpectus, utpote occupatum. Quod probavi. § 832. Sed alia ratio eſt potentiæ DEi & ſapientiæ, quæ licet decreta DEi præcurrant; cum tamen illa ad quævis poſſibilia, hæc *ad cuncta in ordine* locabilia *exporrigatur*, ſtat ſua utrique æternitatis exiſtimatio dignitasque, nec ille *ordo rationis, quo decretum unicum præcedunt*, nulla quippe affectus ſucceſſione, *tantam laudem ſufflaminat.*

§. 836.

Potentia *eſt fundamentum voluntatis æternæ* antecedentis, ſapientia *baſis æternæ* conſequentis. Illa æterna voluntas eſt, quia DEus approbat, *non* quædam, *ſed* omnia *bona, quotquot per ſuam ipſius potentiam præſtari poſſunt, adeoque etiam* non futura. Sed quia DEus unà ſapiens exiſtit, *eadem ſimpliciſſima voluntas*, ſapientiæ intuitu, *conſequens eſt.* Hâc efficitur, ut, quia bona diverſi ordinis poſſibilia ſunt, *alia aliis* majora, minora, poſtponenda, anteponenda, *non niſi majora exſequutioni dentur, & inſerantur futurorum numero.*

§. 837.

Sed quia ſapientia ea, quæ propter potentiam ſunt poſſibilia, ordinat, i. e. *quia voluntas conſequens* tot futura voluit bona, *ut antecedenti omnia volenti poſſibilia bona ſatisfaceret:* ſequitur, DEum ex omnibus bonis poſſibilibus tot exhibere creando, quot-

quotquot coordinari poterant ex omnibus, quoad fieri quibat, plurima, amplissima.

§. 838.

Sic *æterna est voluntas*, quà antecedens, quoniam adprobat omnia *sine* successione, quæcunque per potentiam præstari bona possunt, *sive eventura sive minus*. *Verum eadem* etiam *voluntas, quà consequens*, æterna *manet*, quia efficit, quotquot ex omnibus possibilibus, præstantissimô non excluduntur ordine, *quod fieri solet, vel per* naturalem, *vel* arbitrariam bonitatis possibilis limitationem, *Systemati non aptandam.*

§. 839.

Si DEus non adprobaret omne *bonum possibile*, etiam *futurorum* numero exemtum, tum nec statueret creanda, quoad licuit, plurima, amplissima, præstantissima bona, sed potuisset etiam acquiescere paucioribus, nam vel tantum æquipollenti nutu improbata, non fuissent bona, quæ nunc sunt: *Sed id destruit æternitatis notionem; nam* nec DEus volendo bonum facit, *nec* quædam bona nolle potest; *cum æternitas* omnia *complectatur:* § 813. itaque DEus adprobat omne bonum, & non futurum, sed certa proportione §. 829.

§. 840.

Potentia DEi & naturalis, & in Servatore gratiosa, non solum potest præstare, sed etiam præstat, si non semper commodissimum, tamen præsens adminiculum gratiæ, quô servari etiam reprobus posset, nisi alienis objectis mens occupata, i. e. aliter limitata esset, ac ordo salutis requirit. *Ut autem DEus rectiorem actionum animi limitationem non im-*

probat, §. 838. voluntate antecedente: *ita tamen nec ordinem salutis propter pereuntem* sapienter *mutare debet, ut præsens ejus mentis conditio in ordinem illum quadret*, voluntate igitur consequente relinquit interitui. Vult igitur salutem reprobi, quia per potentiam suam præstitum est, ut contingere potuisset, sed quia tamen se is libere ita limitavit, ut per salutis ordinem illa non eventura fuerit, permittit imminentes illi pœnas. Limitari *autem res ex* se ipsis, *& occasione Systematis, in quo sunt, pridem dictum.*

§. 842.

Quod non futurum est, *aut pro bono* habendum, *aut* non. Quodsi *non* est ei numero adscribendum, quo bona esse judicamus: *DEus* volendo *bona facit*, ideoque si pauciora voluisset futura, numerus bonorum etiam fuisset arctior; quod est contra Canonem, C. H. S. I. §. 105. qui docet: *DEum velle res, quia sint bona; non esse bonas, quia eas velit.* Si vero, quæ non futura sunt, nec erant, v. g. *Judæ proditoris resipiscentia, & futurum inde gloriæ divinæ sempiternum præconium*, bonorum classi adscribenda, voluntas DEi ea adprobat, &, quantum sapienter, cæteris paribus, fieri potest, efficit, certe quidem intendit; *intendere enim est, pro bono tantum facere, quantum sapienter fieri potest. Quod si neges*, hæc non futura à divina voluntate intendi, non æternam voluntatem fingis, quippe in quædam tantum bona, *non* omnia, tendentem. *Ubicunque enim* particularismus *est, ibi æternitas cum tempore commutata est.* per §. 813. Si quis dixerit, non futura ideo pro bonis haud habenda,

benda, quia DEus omnia bona, destinans eventui, exhauserit, illi magnum erit impositum onus probandi, *nunquam DEum voluntate beneplaciti adprobasse in homine perituro studium divinæ ignominiæ evitandæ, sed ei officium duntaxat fuisse injunctum eam DEI contumeliam* Rom. 2. v. 24. *declinandi, cujus officii exsecutionem nunquam DEus seriò intenderit, nec quidquam ad suam ipsius ignominiam avertendam ullo contulerit tempore.* Quæ sine partium expensa studio, à nemine, credo, affirmabuntur unquam.



Cap. III.
De SS. Triade.

§. 842.

TAmetsi sancta hæc doctrina inter profundissimas, nec uli unquam in hac mortali vita adhuc versato homini pervias, abyssos, numeranda sit, quam nemo, quantumvis præstantissima ratione præditus perscrutabitur: tamen, cum non minima laus sit orthodoxam sententiam, accuratá notione ac verbis nervosis, complecti, allegabo illustris Viri de hac re sententiam, probaturus, talem ab eo veritatis ideam fuisse formatam, quæ & universæ Ecclesiæ S. S. fidei respondeat exactissimè, & argutiis adversariorum retundendis cumulatissime sufficiens sit.

§. 843.

Premierement je demeure d'accord que le commendement du culte supreme d'un seul Dieu est le plus important de tous, & doit étre consideré

comme le plus inviolable. C'est pourquoi je ne crois pas, qu'on devoit admettre trois substances absolües, dont chacune soit infinie, toute puissante, eternelle, souverainement parfaite. Il paroit aussi que c'est une chose tres dangereuse pour le moins de concevoir le Verbe & le S. Esprit comme des substances intellectuelles inferieures au grand Dieu, & neanmoins dignes d'un culte, qui approche du culte que les Payens rendoient à leur Dieux ou qui le surpasse plustôt. Ainsi je crois qu'on ne doit rendre des honneurs divins qu'à une seule substance individuelle, absolüe, souveraine & infinie.

§. 844.

Cependant l'opinion Sabellienne, qui ne considere le Pere, le Fils, & le S. Esprit, que comme trois noms, comme trois regards d'un même étre, ne sçauroit s'accorder avec les passages de la sainte Ecriture, sans les violenter d'une etrange maniere. Aussi faut-il avouer, que de même les explications, que les Sociniens donnent aux passages sont tres violentes.

§. 845.

Quant à nous, lors qu'on dit, le Pere est Dieu, le Fils est Dieu, le S. Esprit est Dieu, & l'un de ces trois n'est pas l'autre, & avec tout cela, il n'y à pas trois Dieux mais un seul; cela pourroit paroitre une contradiction, car c'est justement en cela que consiste la notion de la pluralité. Si A est C. & B est C. & si A. n'est pas B. ny B. n'est pas A. il faut dire qu'il y a deux C. c'est à dire; Si Jean est homme & si Pierre est homme, & Jean n'est pas Pierre, & Pierre n'est pas Jean, il y aura deux hommes, ou bien il faut avouer, que nous ne sçavons pas ce que c'est que deux.

§. 846.

§. 846.

Ainſi dans le Symbole attribué a S. Athanaſe ou il eſt dit, que le Pere eſt Dieu, que le Fils eſt Dieu, & que le S. Eſprit eſt Dieu, le mot ou terme de Dieu étoit toujours pris au même ſens, tant en nommant trois dont chacun eſt Dieu, qu'en diſant qu'il n'y a qu'un Dieu; ce ſeroit une contradiction inſoutenable. Il faut donc dire, que dans le premier cas il eſt pris pour une perſonnne de la divinité, dont il y en a trois, & dans le ſecond pour une ſubſtance abſolue, qui eſt unique.

§. 847.

Je ſai, qu'il y a des autheurs ſcholaſtiques, qui croyent que ce principe de logique ou de Metaphyſique: *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe*, n'a point de lieu dans la Trinité: Mais je crois que ce ſeroit cauſe gagnée aux Sociniens en renverſant un de premiers principes du raiſonnement humain, ſans lequel on ne ſçauroit plus raiſonner ſur rien, n'y aſſurer aucune choſe.

§. 848.

C'eſt pourquoi j'ai été fort ſurpris de voir que des habiles gens parmi les Theologiens ſcholaſtiques ont avoué *que ce qu'on dit de la Trinité, ſeroit une contradiction formelle dans les creatures.* Car je crois, que ce qui eſt contradiction dans les termes, eſt par tout. On pourroit ſe contenter ſans doute d'en demeurer là & de dire ſeulement, qu'on ne reconnoit & n'adore, qu'un ſeul & unique Dieu tout puiſſant & que dans l'eſſenceu nique de Dieu il y a trois perſonnes, le Pere, le Fils, & le S. Eſprit; que ceux trois perſonnes ont cette relation entre elles, que le Pere eſt le Principe de deux au-

tres,

tres, que la production eternelle du Fils est apellée naissance dans l'Ecriture, & celle du S. Esprit est appellée procession, *mais que leur actions exterieures sont communes, excepté la fonction de l'Incarnation avec ce qui en depend, qui est propre au Fils*, & celle de la sanctification, qui est propre au S. Esprit d'une maniere tout particuliere,

§. 849.

Cependant les objections des Adversaires ont fait, qu'on est allé plus avant & qu'on a voulu expliquer ce que c'est personne. En quoi il a eté d'autant plus difficile de reussir que les explications dependent des definitions. Or ceux qui nous donnent des sciences ont contumes de nous donner aussi des definitions mais il n'en est pas ainsi des legislateurs, & encor moins de la Religion. Ainsi la S. Ecriture aussi bien que la tradition nous fournissant certains termes, & nous n'en donnant pas en même tems de definitions precises, cela fait, qu'en voulant expliquer les choses, nous sommes reduits à faire des hypotheses possibles, à peu pres comme on en fait dans l'Astronomie. Et souvent les Jurisconsultes sont obligez d'en faire autant cherchant à donner au mot un sens qui puisse satisfaire en même tems à tous les passages & à la raison.

§. 850.

La difference est, que l'explication des mystéres de la Religion n'est point necessaire, au lieu que celle des loix est necessaire pour juger les differens. *Ainsi en matiere de mystere le meilleur seroit de s'en tenir precisement aux termes revelés, autant qu'il se peut.* Je ne sçai pas assez comment s'expliquent Messieurs *Cudworth* & *Scherlok*, mais leur eru-

erudition qui eſt ſi connuë fait, que je ne doute qu'ils n'ayent donné un bön ſens, à ce, qu'ils ont avancé.

§. 851.

Cependant j'oſerois bien dire, que trois eſprits infinis etant poſeés, comme des ſubſtances abſolües, ce ſeroient trois Dieux, non obſtant la parfaite intelligence, qui feroit que l'un entendroit tout ce qui ſe paſſe dans l'autre. Il faut quelque choſe] de plus pour une unité numerique, autrement Dieu qui entend parfaitement nos penſées ſeroit ausſi eſſentiellement uni avec nous jusqu' à faire un même individu. De plus ce ſeroit une union de pluſieurs natures ſi chaque perſonne a la ſienne, ſçavoir ſi elle a ſa propre infinité, ſa ſcience, ſa toute puiſſance: & ce ne ſeroit nullement l'union de trois perſonnes, qui ont une même nature individuelle, ce qui devroit pourtant étre. Vid. Hann. p. 8. ſeqq.

§. 852.

Subſiſtamus hîc paulíſper. *Unam eandemque naturam Spiritûs metimur* conſcientiâ *ſui perpetua per omnem cogitationum durantium ſeriem.* Unde novi, me eandem naturam eſſe, quæ fui ante aliquot luſtra? quoniam ſeriei cogitationum hoc momento agitatarum non aliter conſcius ſum, quam earum fui, quas decennio adhinc, ſenſu interno, animadverti, quæque hodiernas non interrupta ſerie poſt ſe reliquerunt. Si quis alius, non minus ac ego, eorum eſſet omnium conſcius, quæ in me aguntur, & ego vicisſim eorum ſenſu intimo imbuerer, quæ ille volvit animo, poſſemus profecto haberi pro una ejusdem Spiritus natura.

§. 853.

§. 853.

Putant igitur celebres Angli, unam *Patris, Filii, & Spiritus S. numero naturam esse posse*, quoniam se mutuo perfectissime intelligendo penetrant, *nec quidquam eorum alter vult, quod non arrideat alteri*; licet & Pater & Filius, & Spiritus S. seorsum sine ulteriori complemento alterius exsistat, ideoque tres personæ sint. Unitatem igitur naturæ perfectissimâ personarum, & mutuâ intelligentia, *judicant*, ternionem vero personarum, separatâ existentiâ, quam alii subsistendi vocabulô insigniunt.

§. 854.

Sed recte, ni fallor, respondet Vir illustris, ubi tria exsistant infinita, tres substantiæ (liceat Philophorum lingua uti) *futuros* tres *DEos numerô*, nec ad tuendam eandem divinam naturam sufficere, ut una persona cognitione perfecta complectatur, quæ in altera contingunt. Addit argumentum: Quodsi ex eo judicaretur numeri unitas, quâ spiritus continentur, fore, ut & nobiscum idem naturâ esse DEus dicendus sit, quòd perfectissime cognoscat, quæ animo agitamus.

§. 855.

Sed ne quis tamen Viro illustri opponat, argumentum, quo hanc impugnet sententiam, infirmum *esse propterea, quòd naturæ unitas* mutua *cognitione spirituum absolvatur, non æstimanda ex* alterutrius *animi scrutinio solo, eosdem igitur naturâ, Patrem, filiumque esse, quod reciproca intelligentia sui consummatissima utantur: cum ex adverso hominem quidem DEus, non DEum homo perfecte intelligat, ideoque natura*

naturæ unitas hinc cesset; repondendum erit ex Viri summi philosophia, aliô quòdam modô.

§. 865.

Locum non habere potest naturæ unitas *ubi diversa exsistunt subjecta, licet se mutuo accuratissime cognoscentia*, Quando nihil in A. est, quin reperiatur in B. & vicissim nihil B. competit, quod non tribuendum A. tum A. & B. appellantur idem. A & B. igitur distincta sunt, quando licet in A. videre, quod non sit in B. Fac ergo, seu potius finge, *tria seorsum exsistere subjecta, à se mutuo distincta*. erit in altero, quod non est in primo, vel vicissim. Alterutrum igitur est finitum, ideoque nulla persona divina. Nam quod in A desideratur, aut perfectio est aut imperfectio: Si deest perfectio in A. eadem erit in B. itaque A. finitum merito judicabitur, quodcunque enim perfectione caret finitum est, Si vero, quod in A. desideratur, ac invenitur in B. imperfectio est, tum, quia B. imperfectione laborat, finitum cognoscetur. Itaque aut non dantur tria ejusmodi subjecta, aut, si dantur, unum duntaxat infinitum, & DEus est, cætera finita.

§. 857.

Non est cur hîc objicias canoni §. 856. tres personas in eodem divinitatis subjecto, dicendô, *tres personas esse à se distinctas, esse in una, quod altera non habeat, nec tamen ullam earum finitam judicari, itaque nec tria illa subjecta, licet distincta sint, per distinctionem suam finitæ naturæ argumentum præbere.* Nam aliud est, res esse diversas, aliud rerum modos. Ubi *duæ* res *diversæ*, ibi semper *sive utraque, sive altera* finita. Similiter ergo *de tribus istis subjectis, tanquam* rebus, sentiendum. At *ejusdem*

dem rei modi, *quales divinitatis personæ, veritatis arbitrio, sunt, distingui possunt, nec tamen non sequi naturam* rei, *in qua insunt, ideoque in re infinita, manere omnes infiniti.*

§. 858.

Antequam ad reliqua Viri illustris de S. S. Triade verba pergam, licebit interserere, quæ de genuina distinctionis notione memoriæ prodidit, & probandis iis, quæ §. 856. tetigi, inserviunt. *Poser deux choses indiscernables, est poser la même chose sous deux noms. &c.* Itaque tria subjecta, quorum omnia communia esse intelliguntur, non tria, sed unum *sunt.* Ex quo intelligitur, si tria infinita fingantur, duo vel non esse infinita, per §. 333. vel omnia non esse, nisi unum.

§. 859.

Je n'ai point vû non plus ce que Monf. *Wallis* & le Docteur S-hit, qui ont eté cité ici, ont écrit sur ce sujet, & je ne doute point qu'ils ne se soient expliqués d'une maniere conforme à l'orthodoxie; car je connois la penetration de Mr. Wallis qui est un de plus grands Geometres du Siècle, & qui ne se dementira jamais, de quelque coté que son Esprit se puisse tourner; outre que l'autheur de ce livre avoue que l'explication Mr. Wallis a eu l'approbation publique.

§. 860.

Cependant j'ose dire qu'une personalité semblable à cette dont Cicero a parlé, quand il a dit, *Tres personas unus sustineo*, ne suffit pas. Ainsi suis-je comme assuré, que Mr. Wallis aura encor ajouté autre chose, Il ne suffit pas non plus de dire que le Pere, le Fils & le S. Esprit different par des relati-

ons

ons ſemblables aux modes tels que ſont le poſtures, les preſences, ou les abſences. Ces ſortes de rapports attribué à une même ſubſtance, ne feront jamais trois perſones diverſes exiſtentes en même tems. Ainſi je m'imagine que ce Mr. S-ht quelqu'il puiſſe être ne ſe ſera point contenté de cela.

§. 861.

Il faut donc dire qu'il y a de relations dans la ſubſtance divine, qui diſtinguent les perſonnes, puisque ces perſonnes ne ſçauroient être des ſubſtances abſolues: Mais il faut dire auſſi, que ces relations doivent être ſubſtantielles qui ne s'expliquent pas aſſez par de ſimples modalitez. De plus il faut dire, que les perſonnes divines ne ſont pas le même concret ſous differentes denominations ou relations, comme feroit un meme homme, qui eſt Poëte & Orateur, mais trois differents concrets reſpectifs dans un ſeul concret abſolu. Il faut dire auſſi, que les trois perſonnes ne ſont pas des ſubſtances auſſi abſolües, que le tout.

§. 862.

Il faut avouer qu'il n'y a aucun exemple dans la nature, qui reponde aſſez à cette notion des perſonnes divines. Mais il n'eſt point neceſſaire qu'on en puiſſe trouver, & il ſuffit, que ce qu'on en vient de dire n'implique aucune contradiction ny abſurdité. La ſubſtance divine a ſans doute privileges qui paſſent toutes les autres ſubſtances. Cependant comme nous ne connoiſſons pas aſſez toute la nature nous ne pouvons pas aſſurer non plus qu'il n'y a & *qu'il n'y a peut avoir aucune ſubſtance abſolui, qui contienne pluſieurs reſpectives.*

§. 863.

Cependant pour rendre ces notions plus aisées par quelque chose d'approchant, je ne trouve rien dans les creatures de plus propre à illustrer ce sujet, que la reflexion des Esprits lors qu'un même Esprit est son propre objet immediat, & agit sur soi meme en pensant à soi même à ce qu'il fait. Car le redoublement donne un image ou ombre de deux substances respectives dans une même substance absoluë; sçavoir de celle qui entend & de celle qui est entenduë, l'un & l'autre de ces etres est substantiel, l'un & l'autre est un concret individuel, & ils different par des relations mutuelles, mais ils ne sont qu'une seule & meme une substance individuelle absoluë.

§. 864.

Je n'ose pourtant pas porter la comparaison assez loin & je n'entreprends point d'avancer que la difference, qui est entre les trois personnes divines n'est plus grande que celle qui est entre ce qui entend & ce qui est entendu, lors qu'un Esprit fini pense à soy d'autant que ce qui est modal, accidentel, imparfait & mutable en nous, est reel, essentiel, achevé & immutable en Dieu. C'est assez que ce redoublement est comme un trace des personalitez divines.

§. 865.

Cependant la S. Ecriture appellant le Fils, Verbe ou λόγος, c'est à dire *Verbe mental paroit nous donner à entendre que rien n'est plus propre à nous eclaircir ces choses que l'analogie des operations mentales.* C'est aussi pour cela que les Peres ont rapporté l'entendement au Fils, & la puissance au Pere, & la volonté

au

au S. Esprit, en distinguant le pouvoir, savoir, & le vouloir, ou bien le Pere, le Verbe, & l'Amour. Hactenus verba Viri illustris.

§. 866.

Comparabimus nunc ea cum Viri illustris sententia, quæ improbo ausu opposuerunt sanctissimi mysterii Antagonistæ, idque eo faciemus consilio, ut intelligatur, quomodo, ad disjiciendas Adversariorum nebulas, per ac commodatæ sint Viri summi meditationes. Dabimus ipsa Crelli verba, quæ ita habent:

§. 867.

Quidquid contradictionem implicat, id se ipsum evertit. Unum esse DEum, & tres personas realiter inter se distinctas, quarum qualibet sit summus DEus, contradictionem involvit. E. Altera propositio hoc fundamento nititur: quia si per nos DEus unus *est summus, & tamen qualibet persona est summus DEus, tres Dii summi sunt. Nec obstat, hos tres esse unum DEum, nisi ita unum esse dicamus, ut tres pluresve Senatores unum esse Senatum dicimus, quo ipso DEorum invehitur multitudo.*

§. 868.

Fundamentum solvendi Sophismatis jactum est §. 846. Quicunque DEus summus (*concretum absolutum*) est, idem quoque unus est, atqui Pater, Filius, & Spiritus S. tres hi distincti singuli summus DEus (*concretum respectivum*) sunt: ergo hi tres vel non sunt tres, vel dantur plures Dii. Manifestum est hunc argutandi modum laborare quaternione terminorum, voce (*DEus*) in duabus præmissis, duplici sensu accepto, invitis artis ratiocinandi regulis: non est ergo cur eo moveamur.

§. 869.

Unus ille DEus, pergit Crellius, *est Pater, Filius ex nostra sententia est unus ille DEus*; *E. Filius est Pater.* Redit hîc fere ea responsio. Vox (*DEus*) in prima propositione ponitur ad significandum aliud concretum respectivum, (*sic enim nunc loquendum est*) & in secunda ad denotandum aliud. Illinc indicat divinitatem, *quâ Patris charactere*, hinc qua *Filii personali charactere insignitam.* Vitium est igitur formæ. Quid? quod etiam prima propositio sit falsa. Quicunque DEus est, Pater est; nam & Filius & Spiritus S. DEI natura gaudent.

§. 870.

Si recte, inquit, *argumentamur: Pater est persona divina; Spiritus est persona divina*; *Filius est persona divina. E. tres sunt personæ, non una: Pariter recte argumentamur: Pater est summus DEus; Filius est DEus summus*; *Spiritus S. est summus DEus: Ergo tres sunt summi Dii, non unus.* Sed fallitur egregie Adversarius. In tribus primis propositionibus *persona* vox accipitur pro *concreto respectivo*; In tribus posterioribus vero vox (*DEus*) notat *concretum absolutum* unum idemque. Illinc igitur ad numerum ternarium recte argumentum ducis; hinc nonnisi ad monadem. Dispar proin utrobique ratio est. vid. §. 846.

§. 871.

Apertâ semel argutiarum fraude fere semper idem ad reliqua respondere cogimur. *DEus unus*, ait, *est trinus in personis. Qualibet persona in divinis est DEus unus*; *E. qualibet persona in divinis est trina.* Ineptiæ! DEus unus, (*concretum absolutum*) est trinus in personis. Quælibet persona in divinis

est DEus unus. (*concretum respectivum*) Nihil igitur contra nos argui potest ob quaternionem terminorum. Si vox (DEus) uno eodemque sensu utrobique acciperetur, tum absurdum emergeret, sed ab eo errore nos sumus tuti. vid. §. 846.

§. 872.

Effugium Auctoris, quo hujus responsionis vim declinare cupit, hoc est: *Si quis distinctione uti velit, ac dicere*, Majorem loqui de DEO essentialiter accepto; *minorem de DEO* personaliter considerato, *parum proficiet: Qualibet enim Persona est essentialiter DEus, quia qualibet universam DEI essentiam habet.* Enimvero quælibet Persona gaudet divinitate omni sed alia sub hoc respectu ut Patris, alia sub respectu Filii, alia tanquam Spiritus S. Est igitur quælibet naturâ DEus, sed tamen concretum non absolutum, quin *potius* respectivum.

§. 873.

Si tota divinitatis natura communicata est cum Persona qualibet, & vero ad totam ternio personarum pertinet; sequitur, quamlibet personam trinam personis esse. Occupata erroribus mens quô non cœcitatis delabitur; Tota divinitatis natura in qualibet utique persona inest; sed *non inest in una* omni respectu, *quatenus communis est personarum omnium*; id enim quo minus fingas, impediris contradictione; sed quælibet persona cum suo charactere peculiari totam possidet divinitatem.

§. 874.

Quæ sunt eadem uni tertio, etiam inter se sunt eadem; sive quæ sunt res eadem cum eodem tertio, inter

 se

se quoque rem eandem esse oportet, aliâs enim illud tertium simul esset una res & plures. Sed tres personæ eadem res, quæ est divinitas ipsa, dicuntur; ergo inter se sunt persona una. Dubium occupatum est §. 845.846. Ubi & canon; *quæ sunt eadem uni tertio* &c. à Viro illustri explicatur. Quæ (*concreta respectiva*) sunt eadem uni Tertio (*concreto absoluto*) ea non sunt continuo eadem inter se. Ratione hujus concreti quidem absoluti sunt eadem inter se; interim tanquam concreta respectiva diversis adhuc characteribus personalibus possunt distingui. Facilis est ad S. S. Trinitatem applicatio.

§. 875.

Si res aliqua fingitur communicabilis, quæ eadem sit realiter *cum tribus* realiter *distinctis, ut hic Essentia divina, qua res una sit cum tribus Personis, illa erit simul & una & plures.* Uti eademque res erit, si respiciatur *tanquam* concretum absolutum, terna tam tamen etiam eadem erit, secundum concreta respectiva, quæ complectitur; Nulla heic locum habet contradictio, nulla idearum pugna. Et *utinam non recurrerent semper sophismata*, quæ plura *videntur esse, nec tamen non sunt* unum.

§. 877.

Quod numero unum est, non potest esse numero plura, Sed natura divina eadem numerô est. Non igitur poterit personis numero diversis multiplicari. Eodem modô, quo quid est numero unum, nequit una esse numero trinum, *concedo*; Sed non posse quid numero esse unum, & *alio respectu*, quam quo unum est, simul esse trinum, *nego. Concretum* absolutum *unum idemque terna potest complecti* respectiva. vid. §. 862.

§. 877.

Quidquid idem est cum tribus distinctis, tres esse res oportet. Sed natura divina eadem esse dicitur cum tribus Personis reapse distinctis; ergo triplex natura distincta est. Quodcunque (absolutum) idem est cum tribus (respectivis) tres esse res oportet absolutas, *nego:* contineat, necesse est, tria concreta respectiva, *concedo.* Ita tandem, quidquid argutiarnm sacro obverti potest mysterio, vel una Viri illustris observatione, tanquam à vento tenuis nubecula, facillime dissipatum destruitur.

§. 878.

Notionem Personæ antiquæ Ecclesiæ Philosophi his ideis tanquam partibus complexi sunt. (1) *Oportet Personam esse intelligentem.* (2) *Individua & reapse exsistens sit necesse est Persona*, non idea quædam] generalis, qualem v. g. humanam naturam judicari cognovimus, quæ non exsistit ita seorsum, *nobis haud cogitantibus*; sed in hominibus his aut illis individuis semper invenitur. (3) Cavendum, *ne pro Persona habeatur, quod de pluribus enunciari potest, & eorum sit commune.* Ipsa divinitas, non cogitando de personis, enuntiari potest de Patre, Filio, & Spiritu S. non est igitur Persona. (4) *Quæ alterius rei partes sunt, pro personis non habentur.* Corpus hominis, aut ejusdem anima, partes quippe hominis, nunquam personarum numero venerunt. (5) Persona *omnis* substantia *est.* Neque igitur v. g. ratio hominis, quæ substantiæ modus, non substantia est, pro Persona haberi debet.

§. 879.

Si personæ idea mente à re, quæ persona est, sejuncta, i. e. abstracta, tibi obversetur, intelliges,

 eam

eam contineri his notionibus veluti partibus: primo *quidem*, *ut aliquid non sit alterius pars*, sed ipsum per se totum exsistat: tum vero *ut gaudeat pleno exsistendi complemento, nec ad aliud demum referatur*, in quo plene sit, quod est, i. e. in quod sine ulteriori accessu subsistat. Hinc natura divina, hinc & natura humana Servatoris personæ non sunt; quia illa prædicari potest de pluribus: hæc demum per λόγȣ Personam, completur & perficitur. *Persona igitur*, abstractâ cogitatione, si mentem subeat, nihil aliud est, *quam* modus, *vel, ne vox modi limitationis cujusdam notionem rebus afferre divinis videatur*, *Persona*, sine re, quæ persona est, spectata, *indicat ejusmodi exsistendi rationem, qua fit, ut aliquid per se solum sit, nec amplius referatur ad aliud, nec de pluribus enuncietur.*

§. 880.

Si tres, inquiunt Adversarii, *in divina natura sunt personæ, & vero persona omnis substantia est;* §.878. *sequitur tres dari in divinitate substantias. Posterius est absurdum, ergo & prius.* Goslav. L. III. contr. Kekerm. cap. 4. Perinde ac si ita ratiocinareris: Duæ sunt in Anima facultates, intellectus & voluntas, quarum unaquæque ipsa anima est, diverso modo operans: ergo dantur duæ animæ. Nimirum, abstracta consideratione, *Persona non* substantia, *sed eiusdem* modus *est:* quam si una cum subjecto, quod illo modo afficitur, consideras, substantia est, (in concreto, liceat ita loqui) sed inde non colligi debet, *tres esse substantias: quia persona quævis ejusdem substantiæ modus est, cujus & persona altera est.* Tres enim sunt personarum modi in eâdem divinâ naturâ.

§. 457.

§. 881.

At enimvero, inquis, *si Personarum modi, seorsum à devinitate considerati, non sunt substantiarum numero habendi, nisi naturæ divinæ idea animum unà subeat: sequitur eodem jure omnes DEi perfectiones, tanquam divinitatis modos, pro personis haberi posse, nec ullum esse characterem Personæ, quin cadat in illas perfectiones.* Uti *primo divinus intellectus omnium Personarum communis est, sic & idem attingit omnes DEi virtutes, quarum nulla ab intellectu sejuncta est. Agit intelligentissime misericordia, agit justitia, agit sapientia, &c.*

§. 882.

Adde porro, quod intellectus & misericordia, (2) *si cum subjecto divinitatis spectetur, individua sit res, nec idea quædam generalis, quæ sine mentis operatione haud exsistit.* (3) *Nullius rei pars est misericordia.* (4) *est ipsa DEi substantia.* Sed omittis quintum Personæ κριτήριον, quod in eo ponitur, ut res de pluribus non possit prædicari. Atqui misericordia recte enunciatur de Patre, Filio & SprituS, non minus ac ipsa DEi natura. §. 878.

§. 883.

Sed gravius obstat dubium, ab erudito Abbate Gallo, propositum: *Si quis & Philosophus & Poëta est, & Orator, non minori jure tres in una ejus natura personæ locum habere videntur, ac id evenire dicimus in divinis.* (1) *Et Orator, & Philosophus, & Poeta haud stulte sapit, ideoque intelligens est.* (2) *Et Orator, & Philosophus, & Poeta est homo individuus, nec notio tantum generalis, & abstracta, quæ extra mentis conceptum non exsistit.* (3) *Nec Orator, nec Poeta, nec Philosophus de pluribus potest*

 enun-

enuntiari. Quis enim ita pronuntiet? Petrus est idem ille numero Orator, Poeta &c. Paulus est idem Orator &c. &c. Vel quis dicat? Intellectus hominis est Orator, voluntas ejus est Orator &c. (4) *Sic nec tres illi, quos homo tuetur, Oratoris, Philosophi &c. Characteres, partes sunt ad constituendum aliquod totum nata & formata.* Totus *homo est Orator, totus Poeta; &c. cum ex adverso de partibus falsa sit hæc sententia: totus homo caput, totus, pes, totus, brachium, totus, anima &c.* (5) *Sicuti ad extremum Personæ divinæ, in abstracto, modi sunt, nec nisi, in concreto, demum substantia una eademque: ita non est mirum, characteres illos per se consideratos esse modos; etiamsi certum sit, in concreto esse illos substantiam hominis, quatenus certa ratione affecta est.*

§. 884.

Cum igitur omnes Personæ notiones etiam cadant in triplicem ejusmodi hominis virtutem: *aut* triplicem *ille personam in* unâ *sustinet* natura, eo sensu, quo in divinis id usu venire credimus: aut, si id non credendum, *tum nec in una DEi natura* tres *personæ locum invenire queunt.* Quas enim Philosophi allegant Personarum notas, vid. §. 878. eas omnes & singulas, Adversarii sine negotio, in triplicem illam hominis eruditionem cadere, probarunt §. 883.

§. 885.

Non est cur dicas, *Oratoriæ, Poeseos, & Philosophiæ scientiam non describi à quoquam solere, veluti Personas: contrà iis verbis repræsentari tres in DEo personas.* Nam aut illi, quibus personam dignoscimus, characteres §. 878. spurii, parumve sufficientes:

tes: aut & de his eruditionum generibus ea pronuntiari possunt, quæ de Personis prædicamus.

§. 886.

Primo quidem recte Vir illustris §. 849. respondit, non exiguum iis impedimentum occurrisse, qui voluerint Personæ vocem nimis accurata definitione complecti. Nam cum explicationes à definitionibus pendeant, quæ sunt aliquando arbitrariæ; neque vero Scriptura vocum, queis utitur, tradat commodum perfectas expositiones: pronum esse, ut in explicando Personæ vocabulo suæ hypothesi aliquis inserviat, quam definitioni arbitrariæ superstruxerit. Etiamsi igitur illi Personæ characteres in rebus conditis genuini sint §. 878. tamen cum summâ divinitas prærogativâ gaudeat, §. 862. non magnopere exploratum est: *annon amplius quiddam contineat divinæ personæ notio, quod nos fugiat, & in obscuro adhuc sit?*

§. 887.

Sed potest quoque solvi dubium ex præmissis, præsertim, quæ §. 879. tradita sunt. Non ideo quis ultimo exsistendi complemento utitur, quia est Orator, Poeta, & Philosophus; cum & sine hoc eruditionis genere Persona mansisset: *itaque etiam omnis personæ idea ab hac triplici litterarum facultate, si quæ est, longissime remota est.*

§. 888.

Id, *quod in homine perdurat, & vi agendi continetur, tanquam fonte mutationum*, proprie loquendo, substantia est; cujus series cogitationum, in omni sua perseverantia, *quatenus non accedit* aliud complens, quod in humana Christi natura

usu

usu venit, *dicitur* persona. Oratoriæ igitur, Poeseos, & Philosophiæ scientia, vel consideratur *prout est facultas*, vel *prout certis exercitationibus proditur*. Illo respectu, nihil est, quàm quædam potentia, qua fieri potest, ut cogitationum series, data occasione, litteras repræsentare possit, quas alii non possunt. At quomodo hoc modo spectata, persona appellari potest? Persona est cogitationum series omnis, quatenus sine alterius complemento perdurare intelligitur. *Litterarum vero notitia est tantum*, *uti dictum*, *quædam* potentia *illius seriei*, *non* ipsa series tota.

§. 889.

Quodsi autem Oratoriæ, Poëseos &c. facultatem tanquam variis exercitationibus comprobatam spectes, certum est, *eas in perdurante cogitationum serie* fluxas esse ideas, *aliquamdiu ex* abysso animi prodeuntes, mox aliis cessuras locum. Personæ igitur titulo donari non merentur, cum persona *primo sit* substantia, i. e. vis agendi, ex qua tanquam scaturigine, quidquid agitur, sua prodit sponte, *post vero sit substantia* non indigens alieno alterius complemento, i. e. *sit ex* se ipsa *perdurans*, *nec sequenti momento illico peritura*, ut interire solent, aliis subinde successuris, mentis notiones omnes.

§. 890.

Si duæ in una numerô *hominis natura persona*, *aut* complures, *esse possent*; tum ex una *eademque vi cogitandi*, *tanquam fonte*, *prodire oporteret duas idearum series*, *ceu rivos*, *simul perdurantes*, *suis quasque terminis completas*, *nec à se mutuo interturbatas:* Sed

Sed quo minus id fieri possit, contradictio obstat. *Vis percipiendi finita qualibet ideo* una est, *quia & eodem tempore, & eodem loco terminata operatur*; Uti vero locum, cui præsentes sumus, ex iis rebus judicamus, quas nostri percipiunt sensus: ita, si in una vi cogitandi duæ percipiendi series esse possent, eadem profecto anima, ex una sua perceptionum serie, se huic loco præsentem, ex altera serie, se illi præsentem, uno eodemque tempore, judicaret, ideoque unius caussæ duplex effectus totalis, liceat cum Philosophis loqui, esse posset, quod est absurdum.

§. 891.

Sed alia caussa divinitatis adorandæ, quæ infinitia vis est purissime agendi, intelligi debet. Nihil heic obstat Personarum ternioni. Est enim in ea profecto omnium profectionum, quotquot cogitari possunt, consummatissima possessio, Itaque non impedir primo Personarum triadem, quod in homine eam impedit, §. 878. sc. *idearum quædam successio. Hominis persona est* tota *cogitandi series perdurans.* Præter hanc nihil personæ titulo dignem, *quidquid enim in illa serie est, non durat semper, sed successuris ideis locum relinquit.*

§. 892.

Nec vero etiam ternioni personarum in divinitate opposita est illa ratio, de qua §. 890. Nam etsi falsissima sit Clerici in Epistolis theologicis prodita memoriæ sententia, *tribus cogitandi seriebus absolvi sanctissimam Triadis in DEo mysterium*; cum cogitandi series idearum successionem arguant, à DEo removendam longissime:

tamen

tamen cœleste Numen ita infinitum est, ut ejus immensa agendi vis non sit clausa certo tempore aut loco, quæ faciunt, *ut* una *natura* duplicem *personam*, (loquimur de sensu proprio, non morali) sustinere nequeat. §. citat.

§. 893.

Substantia DEi est agendi vis infinita, i. e; *in qua ratio habetur omnium rerum possibilium, in* DEo & extra eum, *quacunque possibiles sunt.* Hæc triplici complemento exsistendi perfecta est. *Quatenus Substantia DEi rationem continet τȣ λόγȣ,* seu sapientiæ substantialis (loquor cum Theologis) *eatenus in sacris litteris* generare *dicitur*, & prædita esse charactere personali devotissime venerandi Patris. *Quatenus eadem substantia DEi λόγῳ*, seu substantiali sapientiâ condecoratur, rationem sui in commemorato Patre nacta, dicitur generata, *seu* filius. Denique *quatenus divina substantia in Patre & Filio rationem sui* amoris substantialis, *erga* omne *bonum* publicum, *habet*, à Patre & Filio sapienter provisum, *Spiritus S. charactere personali ditata est.* vid. §. 865. sub fin.

§. 894.

Non est hîc Adversariorum dubio locus: *Etiam in hominibus, Angelisve λόγον seu quandam rationem obviam esse passim. neque tamen personæ titulo eam dignam.* Mirum utique non est aliam esse rerum divinarum, aliam humanarum conditionem. *Ratio hominis est quædam in cogitandi serie ac vi facultas repræsentandi veritatum nexus.* Illa facultas vero non est tota cogitandi series. sed in exercitio fluxa, *in facultate* spectata, quædam tantum illius seriei

pars

pars seu modus. Non potest igitur esse vis ipsa perdurans i. e. substantia, nedum suis completa terminis, quia, *quà facultas*, seriei cogitantis modus est, *quà actus*, fluxa ejus pars. At vero λόγος in divinis *non est* facultas *tantum*, aliquando *ab agendo* cessans, in mera *possibilitate* (venia sit voci) posita; sed actus purissimus, *vis immensa* omnia intelligendi, sine idearum fluxa successione, ideoque substantia, *sensu eminentissimo*; præterea idem λόγος *in exsistendo* non completur ab alio, nec à Patre, nec à Spiritu S. ob hanc ipsam caussam quia semper exsistit, *quidquid* exsistere potest, nec charactere Patris aut Spiritus S. ita perficitur, sicuti caro perficitur Christi, à divina natura.

§. 895.

At enim, inquis, *plures in DEo perfectiones sunt, quæ nulla successione ad majora incrementa utuntur, ideoque exsistunt*, quidquid exsistere possunt; *præterea etiam nec ab aliis perfectionibus ita perficiuntur, ut caro Christi perficitur, quæ personarum charactere destituta est*, nec tamen personæ sunt illæ DEi virtutes reliquæ. Verum etiamsi omnes DEi perfectiones maxime sint inter possibiles quasvis, nec augmento, *sive* progressu & serie *ad* majores *gradus locupletentur*: tamen nulla earum est, quæ non exsistat propter & per illos personarum characteres, §. 893. *ut inde perspicue intelligatur*, per hos divinam naturam exsistere ratione ultima, qui personarum character est. §. 333.

§. 878.

DEus est æternus. Sed illa quidem virtus, quæ

omnium

omnium omnino perfectionum possessio est, absque successione, §. 108. vere *non exsisteret, nisi DEus esset fons omnium* rerum possibilium, ideoque & principium λόγου; *nisi λογος*, ceu sapientia substantialis §. 878. *typus foret omnium* rerum ordinabilium, v. g. *mundi fabricandi* Prov. 8. v. 22. seqq. *reparandæ salutis*; ac denique *nisi Spiritus S. tanquam substantialis amor ferretur in omnes* res desiderabiles, *in regno naturæ* condendas, Psal. 33. v. 6. *in imperio gratiæ*, amore in bonum publicum, civitatis DEi, *idemque solum*, i. e. sanctitate, donandas. His autem tribus, immensa vi, imperveſtigabili λόγῳ seu ratione, non emetiendô amore continentur omnes perfectiones, *nec ulla earum datur, nisi quæ his fundamentis* tribus *superstructa sit:* Per has igitur natura divina ultima ratione exsistit, ideoque trium personarum characteres habet.

§. 897.

Similis caussa est cæterarum DEi perfectionum; DEus est immensus, i. e. tantis perfectionibus resplendescens, ut nulla mensura excogitari possit, quæ quantislibet vicibus repetita, æquare illas perfectiones possit. Id autem ob eam caussam usu venit, quod nulla in DEo desideratur perfectio, quod in eo est *Pater omnibus rebus* valens, *Filius λόγος omnia* ordinans, *& Spiritus S. omnium bonarum rerum* amorem spirans. Ad hoc fundamentum triplex revocantur omnia.

§. 898.

Quid est porro *justitia* DEi, quam, ut supra S.

II. probavimus, eximius amor, sed cui praelucet sapientia? Non igitur justitia foret, nisi λόγος, & ille Spiritus foret, quo de Paulus Rom. 5. v. 5. *exsistit* igitur justitia per *substantialem* sapientiam, & amorem. Quid est *misericordia* DEI quam *amor eorum, quos sapientia miseros indicat?* Quid *benignitas*, quam *amor eorum, cum quibus Vis infinita varia communicat beneficia?* Quid est, *non esse ab alio pendentem*, quam vis illa prima, in qua ratio est omnium *possibilium* §. 893. quae, quatenus rationem λόγυ continet, est ipsa substantia DEI, personali Patris charactere insignita? §. 893. Quid est, *omnia scire, maxima, medioxuma, minima*, quam res intelligere per caussas, per eos nexus, quibus continentur? Id vero propterea locum habet, quôd in DEO est λόγος, sapientia *substantialis, cui omnes rerum nexus patent;* Ebr. 4. v. 12. quôd est *Pater λόγος generans* communicato cum eodem divinitatis πληρώματι. Itaque omnes reliquae DEI virtutes ultima ratione in illis tribus personarum characteribus subsistunt, *nec hi propter illas*, sed illae *propter* hos *exsistunt*.

§. 899.

Etiamsi Pater quoque λόγος seu sapientia sit; non est tamen quà genita; §. 893. quamvis amor ipse sit. 1. Joh. 4. v. 8. non est quà spiratus ab alio: *Gignens vero & genitus, spirans & Spiratus, reapse differunt*, ideoque tres Personae in una eademque natura sunt distinctae.

§. 900.

Forte dicis: *etiam in Angelis, hominibusque voluntas sui rationem in λόγῳ vel intellectu habet, nec*

tamen voluntas generata ab intellectu persona appellari potest. Alienum est, nos res divinas angusto humanæ conditionis modulo metiri. Voluntas hominis rationem quidem sui habet in ejusdem intellectu; *sed non quatenus* exsistit, *quinpotius tantum, quia* possibilis *est*; uti in mathematis æqualitas radiorum circuli rationem sui in ejus natura habet, *cur* ita possibilis sit; *nunquam* cur exsistat.

§. 901.

At vero λόγος à Patre in divinis habet quoque ut exsistat, ideoque exsistentiæ suæ rationem in Patre agnoscit. Cumque *ille* actus, quô in vivente vivens naturæ similis suæ existentiæ rationem veneretur, generatio appellari soleat: proprio utique sensu λόγος à Patre generatus dicitur. *Sit ita sane,* inquis, *habeat à Patre λόγος, ut* exsistat, *non* magis *tamen Persona esse ob illam caussam videtur,* quàm *intellectus hominis esse potest persona, qui DEum auctorem, cur exsistat, agnoscit, nec potiori jure generatus à DEO λόγος esse potest, quàm intellectus hominis à DEO generatus fuit.*

§. 902.

Primo habet à Patre λόγος, non ut exsistat *tanquam rei* modus, *vel* attributum, (quarum vocum significationes aliâs distinctas nos hactenus uno modi nomine, brevitatis caussa. sumus complexi) ita enim exsistit Hominis intellectus, qui animi nostri modus est: sed habet quoque á Patre λόγος ut exsistat *tanquam* substantia, §. 894. i. e. ut *illud sit* subjectum, *in quo omnes, quemadmodum in Patre, divinitatis perfectiones insunt, per quod* ratione ultima

ultima *reliquæ virtutes DEI qualibet exſiſtunt*, quod probavi §. 896. 897. 898.

§. 903.

Nam licet minus determinato atque generali ſenſu DEI ſubſtantia ſit, in *qua ratio* omnium rerum invenitur poſſibilium in DEO, & extra eum, ideoque, quæ eſt prima rerum à nulla alia pendens; Licet igitur ob eam cauſſam una tantum ſubſtantia ſit, cùm una tantum prima eſſe poſſit, quod ſuo loco oſtendi: tamen determinata ac ultima ratione *DEus non exſiſtit, niſi in* triplici *perſonarum charactere*, quatenus divinitas generat λόγον, quatenus hic generatur, ideoque ceu genitus à gignente diſtinctus eſt, & quatenus denique uterque horum amorem ſubſtantialem ſpirat, i. e. Spiritnm S. qui & ipſe divinarum perfectionum ſubjectum eſt, in quo ultima ratione, DEI natura, tertiæ *perſonæ argumento*, exſiſtit. §. 696. 897. 898.

§. 904.

Quodcunque igitur *vivens ſubſtantiam*, quam habet, *ſive eandem numero, ſive diverſam*, ab alio vivente accipit *id proprie* generatur, ſi à ſolo S. Spiritûs ortu, ſi ita loqui licet, diſceſſeris. cujus viventis, à Patre & Filio, tanquam vivente, proceſſus, ſpirationis nomine inſignitur. Mentes quidem conditæ â *DEO* quoque tanquam vivo, vitæ *naturam ſuam accipiunt*, ſed nec eandem diverſamque numero, ſed ſpecie *diſtinctam*. Quo obſervato ſatisfactum illi dubium eſt, §. 901. propoſito.

§. 905.

Cum aliquoties, uti personarum, §. 878. ita etiam substantiæ mentionem fecerim, v. g. §. 902. &c. ut, quam explicatiorem eâ voce notionem indicatam velim, intelligatur, consultum erit eruditi Scriptoris verba hic recensere: *Nimirum substantia per se subsistit, quatenus essentia rei exsistere potest, ut non opus sit alia praexistere, aut concipi tanquam praexistentia in eodem ente.* confer. 896. 897. 898. Alibi Auctor ita:

§. 906.

Subjectum istud cui omnia insunt, quæ rei convenire observamus, substantiam appellamus: quod dum cogitamus quale sit, nihil eidem tribuere valemus, omnes quippe qualitates ab eodem removentes, & inter accidentia referentes. Quamobrem dum in subjectum istud imaginationis aciem intendimus, nihil prorsus in eodem videmus, cum contradictorium utique sit, omnia, quæ rei insunt, referre inter accidentia, & tamen adhuc in eodem superesse, quæ insint. Quamobrem nihil nisi tenebræ imaginationi suffunduntur, tanto obscuriores, quanto magis ad aliquid videndum in subjecto illius aciem intendimus.

§. 907.

Unde substantiale rerum ignorari à nobis affirmamus. Cæterum nemo non videt fingi hîc, quod non est, ut per imaginem quandam veluti oculis sistere valeamus, quod in eos non incurrit, nempe receptaculum quoddam qualitatum, quod ab iis prorsus evacuatum exsistere possit. Est adeo notio substantiæ utique imaginaria, consequenter ipsa quoque substantia, qualem vulgo imaginamur, ens imaginarium.

Non

Non datur enim ejusmodi receptaculum rerum modis subſtans, ac, ut imaginari ſolemus, tanquam extenſum.

§. 908.

Quantum hoc myſterium ſit, non ſolùm ex eo cognoſcitur, quòd nemo unquam mortalium, ſine litterarum ſacrarum argumento, de tam ſublimi doctrina divinaſſet; verum etiam quia plena tam ſancti dogmatis intelligentia, in perfectiori demum vita, ubi DEum coram contuebimur, impetrari poterit.



Cap. IV.

De Immortalitate animi, doctrinisque cognatis.

§. 909.

Quantum præſidii in Viri illuſtris philoſophia poſitum ſit, in tuenda adverſus Antagoniſtarum diſputationes, tam gravi doctrina, non cognoſcetur luculentius, quam ſi dubia Veritatis hoſtium, eademque ex ore vel calamo facundi & elegantis Scriptoris profecta, vel recenſendi, vel opponendi animô, heic, quoad fieri poteſt, interſeramus.

§. 910.

Qui ejusmodi commercium animi & corporis eſſe volunt, ut alterum alterius phyſica actione verè afficiatur, plurimum ſibimet negotii faceſſent, dum reſponderint ad ſequens Viri celebris dubium: *Mais encore un coup. Permettons à ces Philoſophes de batir tres mal leur ſuppoſitions: ſervons nous uniquement*

de ce qu'ils enseignent. Ils disent que l'ame des bêtes apperçoit tous les objets des cinq sens externes; qu'elle juge qu'entre ces objets il y a qui lui conviennent, & d'autres qui lui sont nuisibles. - - - Je conclus de tout cela que si elle ne produit point d'autres actes aussi nobles que ceux de notre ame, ce n'est point sa faute, ou qu'elle soit d'une nature moins parfaite que l'ame de l'homme; ce seulement que les organes, qu'elle anime ne ressemblent point aux nôtres.

§. 911.

Je demande à ces Messieurs s'ils trouveront bon qu'on dit que l'ame d'un hommo est d'une autre espece à l'âge de trente cinq ans qu'à l'âge d'un mois; ou que l'ame d'un phrenetique, d'un hebété, d'un vieillard qui tombe en enfance n'est pas substantiellement aussi parfaite que l'ame d'un habile homme. Ils rejetteront sans doute cette pensée comme un erreur tres grossiere, & ils feroient bien: car il est sûr que la meme ame qui dans les enfans ne fait que sentir, medite & raisonne tres solidement dans un homme fait; & que la même ame, qui fait admirer sa raison & son esprit dans un grand homme, ne feroit que radoter dans un vieillard, qu'extravaguer dans un fou, que sentir dans un enfant.

§. 912.

On seroit dans un erreur crasse, si l'on pretendoit que l'ame de l'homme n'est susceptible que des pensées qui nous sont connues. Il y a une infinité de sensations & de passions & d'idees dont cette ame est tres capable, quoi qu'elle n'en soit jamais affectée pendant cette vie: si on l'unissoit à des organes differens des nôtres, elle penseroit autrement qu'elle ne fait aujourd-hui;

lui; & ses modifications pourroient être beaucoup plus nobles, que celles que nous eprouvons. S'il y avoit de substances qui dans des corps organisez eussent une suite de sensations, & d'autres pensées beaucoup plus sublimes que les nôtres, pourroit-on dire qu'elles sont d'une nature plus parfaite que nôtre ame? Non sans doute; Car si nôtre ame étoit transportée dans ces corps-là elle y auroit cette même suite de sensations, & d'autres pensées beaucoup plus sublimes que les nôtres.

§. 913.

Il est aisé d'apliquer ceci à l'ame des bêtes. On nous permet qu'elle sent le corps, qu'elle les discerne, qu'elle en souhaite quelques uns, qu'elle en abhorre quelques autres. C'est assez; elle est donc une substance qui pense, elle est donc capable de la pensée en general: elle peut donc reçevoir toutes sortes de pensées elle peut donc raisonner. &c. &c. Car comme de ce, que la cire peut reçevoir la figure d'un cachet, il s'ensuit manifestement, qu'elle est susceptible de la figure de tout cachet, il faut dire aussi que des qu'une ame est capable d'une pensée, elle est capable de toute pensée.

§. 914.

Il seroit absurde de faire ce raisonnement, Ce morceau de cire n'a reçu l'empreinte que de trois ou quatre cachets, donc il ne peut pas reçevoir l'empreinte de mille cachets. Ce morceau d'etain n'a jamais eté une assiete, donc il ne peut pas etre une assiete, & il est d'une autre nature que cette assiette d'etain que je vois là. On ne raisonne pas mieux

quand on assure, l'ame du chien n'a jamais eu que des sensations. &c. donc elle n'est point capable des idées de morale, ni des notions de metaphysique. D'ou vient qu'un morceau de cire porte l'image du Prince, & qu'un autre ne la porte pas? C'est cause du cachet, qui a été appliqué sur l'un, & non pas sur l'autre. -- Jettez de même cette ame de bête dans le moule des idées universelles & des notions des arts & des sciences, je veux dire unissez la à un corps humain bien choisi, ce sera l'ame d'un habile homme, & non plus celle d'une bête.

§. 915.

Extimescendum hoc est dubium ad impugnandam immortalitatem animi, si ullum aliud, quam maxime valens. Nam si bestiarum animabus facultas ratiocinandi convenire potest, *adaptato idoneô corpore*, tum *vel* ipsæ immortalitatis *laude florebunt*, *vel tota prærogativæ illius ratio*, quæ in nostram animam cadit, *pendebit à corpore, variis modis afficiente*, nec nostra anima immortalitatis fontem internum habebit. Quö, quid potest esse dictu periculosius?

§. 916.

Scriptura quidem nobis heic perfugium præbet, clarissimis testimoniis significans, sempiternis spatiis solutam à corpore victuram animam: at enim vero *subrutis*, post quæ Sacrarum litterarum adoranda auctoritas firmata est, *propugnaculis* anterioribus, i. e. *argumentis ex philosophia pro veritate hac facientibus*, animum hostis paulatim com-

componet ad majora tentanda, minoribus victoriis in illam spem adductus.

§. 917.

Forte istud dubium §.915. uno tibi halitu difflandum videtur: respondendum putas, *aliam esse naturam animarum, quibus* bestiæ *spiritum ducunt, aliam* hominum; *illam* vilioribus *occupatam, & tandem aliquando extinguendam*; *hanc contemplandis Dei* operibus *natam, nullo unquam tempore vitâ privatum iri.* Honesta quidem oratio, quæ dictu, quam probatu proclivior. Quæro: unde id nôris, *interno discrimine animam brutorum distare à mente humana, neque id discrimen à varietate corporis*, extrinsecus animæ adjuncti esse *profectum?* Compertum enim ipso usu est, *pro* varietate organorum *corporis*, ipsam hominis mentem, jam sola *sentiendi facultate uti*, jam & sublimiori dexteritate ad ratiocinandum formata. Quo pacto igitur probas, *plura deesse animabus brutorum, ad consequendam rationis facultatem, quam corporis, humano similis, felicem possessionem?* Sane si nihil præterea desideretur, ad id, ut intellectûs operationes edas, quam æterna *cerebri corporei*, reliquaque organa; *aut brutorum anima immortales erunt* ex æquo ac Tu, *aut tua anima non erit, vel casu tantum externo, erit.*

§. 918.

Quod gestat tua anima corpus, morte depositum, ac terrâ sepultum iri, quotidiana mortalitas hominum te satis edocet. Jam si pro *diversitate hujus instrumenti, mens* tua, quô *primum* tempore editus in *lucem* infans eras, *vix tenui* rerum

sensu afficiebatur; postea *maturescente ætate*, firmato corpore, *majora percipiendi* incrementa *cepit*; denique *virilem consecuta ætatem*, in vegeto corporis flore ac robore, promtissima ad ratiocinandum est, ad extremum effœta ætate, ipsa mens ob corporis debilitatem incipit languescere, multa tradere oblivioni, repuerascere, silicernii mores induere ac judicium; profecto intelligitur, *omnem ratiocinandi vim*, quanta quanta est, *ad* corporis *vicissitudines effingi*, deposito igitur eo, *cessaturam* videri, vel nullo majori duraturam jure, quam animas brutorum, quæ ab corporis, quod rexerunt, impedimenta, ulterius percipiendò adspirare non potuerunt.

§. 919.

Difficultas hæc non est exigua, quæ tamen omnis ex eo fonte manat, quod *anima plerasque notiones à corpore* extrinsecus *oblatas*, physica spirituum animalium actione, *excipere dicitur*, quo pacto utique *nullis*, vel certe paucis, determinationum suarum domesticis *fontibus* à brutorum animabus distinguitur, *ad* omnes *corporis juncti actiones excipiendas*, quomodocunque se habeant, *perinde se habet*, nec dissimilis est ceræ, *cui*, impressione extrinsecus accedente, quæcunque figura affingi potest. *Illud* igitur *systema* commercii inter animam & corpus, quô animus indifferenti expectatione, si non omnes suas, certe tamen plerasque notiones, *ab afficientis corporis*, organorumque ejus *motu*, *accipere dicitur*, intrinsecum, distinguendæ animæ à cæteris animabus bestiarum, fundamentum evertit, mentemque no-

strам

ſtram *ceream* reddit, in quavis rerum formas, pro corporis natura & agitatione, flecti. Quod, quantum immortalitati detrimentum afferat, ex ſuperioribus ſat bene cognoſcitur.

§. 920.

Quid hîc reſpondendum eſt? Numquid dicemus, *animam hominis utique ratione præditam eſſe exornatamque, non igitur eam à corpore aliter affici, quam modo ſuæ naturæ conſentaneâ. aliam cauſſam beſtiarum eſſe, quarum animas, ſi vel maxime aliis à corpore perceptionibus tangerentur,* ac re quidem vera nunc fieri ſolet, *fore tamen inferiore loco poſitas.* Sed ita recurrimus ad id, quod demum eſt probandum, quod eſt κρινόμενον. Nam quibus Tu argumentis probas, *rationem diſtinctionis, quâ humanæ mentes, & brutorum animæ diſcrepant*, ex interna, *nec* externa *ſcaturigine eſſe derivatam?* Non eſt pro explorato tradendum, quod in progreſſu idoneis demum argumentis explorari debet.

§. 921.

Non me præterit, quæ vulgata hîc ſit ſententia; *Brutorum animam toto genere diſtinctam eſſe à mente noſtra: illam ex materia conflatam, hanc materiæ omnis expertem*, &, ut loquuntur, *ſpiritalem eſſe*; illam *cum corpore interituram*, hanc *perennem, & ad immortalitatem natam: non igitur poſſe ullum corpus, quantumvis perfectiſſimum, illi animæ ita adoptari, ut ad facultatem ratiocinandi pervenire poſſet.*

§. 922.

At vero quantum huic reſponſioni roboris competat, ex ſequenti diſcurſu Viri celeberrimi judicare

re licet: *Ils disent que l'ame des bêtes est une forme materielle, mais que l'ame de l'homme est un Esprit, que Dieu a créé immediatement. Mais comment prouvent ils cela? Je suppose qu'ils ne raisonnent que sur les principes de la lumiere naturelle, sans recourir à l'Ecriture aux dogmes de la religion, & je leur demande une bonne preuve que l'ame des bêtes soit corporelle, & que la nôtre ne le soit pas. Ils m'allegueront la beauté, & l'etendue des connoissances humaines, & la petisse la grossiereté & l'obscurité des connoissances animales; & ils concluront qu'un principe corporel sera capable de produire les connoissances des bêtes, mais non pas les reflexions les raisonnemens, les idées universelles, les idées de l'honnête, qui se trouvent dans l'ame de l'homme; & par consequent que cette ame doit être d'un ordre superieur à la matiere, elle doit etre un Esprit.*

§. 923.

Ne leur disons plus qu'ils assurent témérairement que l'ame des bêtes ne raisonne pas, & qu'elle n'a point d'idée du bien honnête; renoncons à cette objection: disons seulement q'il est mille fois plus difficile de voir un arbre, que de connoitre l'acte par lequel nous le voions; de sorte que si un principe materiel est capable de connoitre infinité de choses qui se passent au dehors, il sera beaucoup plus capable de connoitre ses propres pensées, de les comparer ensemble, de les multiplier: ainsi les reflexions, & les conclusions, & les abstractions de l'homme ne demandent pas un principe plus noble que la matiere.

§. 924.

Car enfin, verba sunt alterius auctoris, *qu'est ce qu'une connoissance universelle, si non une connoissan-*

noissance qui convient à plusieurs choses semblables, comme le portrait d'un homme conviendroit à tous les visagees qui lui ressembleroient? Qui est ce qu'un raisonnement, si non une connoissance, comme nous voyons qu'un mouvement est produit souvent par un autre mouvement. Certes si l'on met une fois que la pensee, l'intention, & la reflexion peuvent provenir d'un corps animé par une forme, materielle; il sera bien difficile de prouver, que le raisonnement, & des idées de l'homme ne sçauroient provenir que d'un corps animé aussi par une forme materielle.

§. 925.

Je prie tous mes lecteurs de prendre garde à la malheurense situation ou se trouvent les scholastiques, par rapport au dogme de l'ame sensitive. Ils alleguent contre Des Cartes les actions les plus surpernantes des animaux, ils les choissent exprés pour le confondre plus à coup sur; mais aprez cela ils eprouvent qu'ils se sont trop avancez, & qu'ils ont fourni des armes à leur adversaire pour ruiner la difference specifique, qu'ils souhaitent d'etablir entre nôtre ame & celle des animaux. Ils voudroient bien que l'on oubliât tous ces exemples de ruse, de precaution, de docilité, de connoissance de l'avenir, qu'ils ont etalez avec tant de pompe afin de montrer, que les bêtes ne sont pas des automates: Ils voudroient que l'on ne songeât qu'aux actions grossieres d'un bœuf qui ne fait que paître; mais il n'est plus tems d'exiger cela: on emploie ces mêmes exemples à les confondre, & à leur prouver que si une ame materielle est capable de toutes ces choses, elle pourra faire tout ce que l'une de l'homme produit; il faudra seulement donner à l'ame des bêtes plus de

degrez

degré de rafinement ; ne faut il pas qu'on suppose, que l'ame d'un chien ou d'un singe est moins grossiere que l'ame d'un bœuf?

§. 926.

En un mot, s'il n'y a qu'une ame spirituelle qui puisse produire les actions d'un gros lourdaut de paisan, je vous soutiendrai qu'il n'y a qu'une ame spirituelle qui puisse produire les actions d'un singe. & si vous dites qu'un principe corporel est capable de produire tout ce que les singes font, je vous soutiendrai qu'un principe corporel pourra être cause de tout ce, que font les gens stupides, & que pourvu que l'on subtilise la matiere, & qu'on la degage de ce qui s'apelle terrestreitez, phlegmes, *&c. elle sera cause, de tout ce que fons les habiles gens.*

§. 927.

Docere, *ex subtili conflatam materia brutorum esse animam*, est *cuniculis insidiosis imminere fundamento immortalitatis*, quâ floret mens humana. Si tanta in materiam præstantia conferri potest, ut ex ea compositæ animæ bestiarum, sensuum, imaginationis, & memoriæ *dono augeri queant:* profecto ejusdem materiæ capacitate præstari poterit, ut accedat illis facultatibus, materiam ornantibus, *intelligendi*, *meditandi*, *ratiocinandi* potentia.

§. 928.

Intellectus in homine *à facultate sensuum* nonnisi aliquot perceptionis gradibus *distinguitur.* Quas sensum ope haurimus ideas, ex obviis quibusque exemplis, *earum* similitudines contemplandô, *formamus notiones* generales, quod officium

ficium *intellectûs* eſt. *Omnis igitur humanus intellectus ſua à ſenſibus capit initia.* Si nullis homines pollerent ſenſibus, ſane nec intelligendi promtitudinem conſequerentur unquam. Quare ii, quos vel natalium, vel ſingularis caſus infelicitas, *unô, duobusve* ſenſibus privavit, v. g. ſurdi, muti, etiam *ad intelligendum* aliquantiſper *hebetes* eſſe cognoſcuntur.

§. 929.

Ipſo igitur naturæ, nobis ingeneratæ, ductu videmur edoceri, *quodcunque ſentiendi potentia præditum ſit, idem & ulterius evehi, & uno*, alterove perceptionis gradu *poſſe augeri*, i. e. illud poſſe ratiocinandi *dono*, quod ex ſentiendi facultate oritur, à Deo *mactari.* Quotquot igitur animam brutorum materia ſubtiliori conflatam eſſe pronuntiant, ii & mentem hominis eadem ex maſſa componi potuiſſe, vel inviti concedere coguntur.

§. 830.

Eorum vero imperitia quam maxime reprehendenda eſt, qui ſe *Carteſiana ſententia* de brutis machinis, corrugata fronte, *rigidos Catones Cenſoresque præbent*; *nec tamen beſtiarum animas non ex* materia quadam tenuiſſima *coaluiſſe ſcribunt*, continuo poſt mortem in auram abituras, *Hi loquuntur*, ſed ſine ideis, *more Præceptorum, quos ſequuntur*, i. e. Scholaſticorum, *barbaras voces pro conceptibus obtrudentium.* Neque enim Carteſius, ſi ſententiæ fundamentum ſpectes, à Scholaſticis niſi in eo abiit, ut, quæ illi verbis nihil aut parum *ſignificantibus, docebant*, hic *explicabili*

bili ratione, diſſipato notionum obſcurarum fumo, *ex mechaniſmi legibus*, *derivaret*.

§. 931.

Id quod, ſi Scholaſtici conſentanea quidem, nec male coagmentata tradere velint, damnare nec poſſunt, nec debent. Quomodo enim differat ſententia vagis ideis formata, & obſcuris popoſita vocibus, à ſe ipſa, quatenus determinata & explicabili ratione, vocibus perſpicue ſignificantibus, exprimitur? Quomodo *eadem aqua* tanquam lutulenta, & tanquam limpida *reſpici poteſt*, *ceu ſibi contraria*, ita, ut ſi limpidam improbes, nec una reſpuas lutulentam? Inepti igitur ſunt, non ideis, ſed vocibus, in ratiocinando, alligati, quotquot *negant bruta machinas eſſe*, ſed animam tamen eorum tenuiſſimo flatu, vel ſubtiliſſima materia contineri affirmant. Hoc eſt ſiniſtrâ manu ædificare, quod iviſti dextra temere deſtructum.

§. 932.

Ibimus in rem præſentem. Bruta, quanta quanta ſunt, Carteſius machinas eſſe dictavit. Sed quomodo? *an in* craſſa *tantum corporis organorum* materia *mechaniſmum quæſivit?* Annon in ſubtiliſſima quadam materia, qua crebrum permeatur, & totum animalis corpus? Annon in igneis illis exhalationibus, qui ſenſus vitali calore accedunt? Non legiſſe, nec unquam vidiſſe Carteſii ſcripta oportet, quicunque hanc ejus mentem fuiſſe negat.

§. 933.

Quodſi ita eſt, advertamus, quæſo, quàm imprudenter ſcholaſticorum Filii Carteſium accuſent? Quid eſt machina? *Eſt portio materiæ, ſive* craſſiuſculæ,

culæ, *sive* subtilioris, *sive* subtilissimæ, *quacunque sit tenuitate, quæ interventu variarum figurarum, dispositionum, sitûs, diversorumque motûs impulsuum, certis functionibus exsequendis adaptata est.* Sic machina est molendinum, ex materia compactum *crassa*; machina horologium portatile, ex machina *subtiliori* fabricatum; machina denique tormenta ignivoma, imagines, quæ orto sole, radiis agitatæ, in apricum prodeunt. De quibus Sturmius. Quodsi animum brutorum similem quis statuat imaginibus illis, annon ex æquo ex materia conflatam tenuissima, ex machinam pronuntiaret?

§. 934.

Oportet igitur bestiarum animas machinas esse, si quidem ex aura tenui, ut illi volunt, composita est. *Mechanismus* enim *est ordo, quo continentur materiæ vicissitudines, ac motus*; sine mechanismo proinde rem materia conflatam fingere, est materiæ *indigestam molem* sine ordine *mutuam comminisci, vel* mortuam *inertemque massam, sine omni motu cogitare.* Si propterea juxta Scholasticos anima bestiarum *materialis* est (sic enim loquuntur) eadem *& machina est*; nisi stulta imaginatione, id, quod in materia præcipuum est, & eximium, nempe motuum ex varia figura, situ &c. resultantem ordinem tollere, & in conceptuum nescio quas *gallimatias* incidere velis, *præcipuo* divinæ gloriæ *specimine*, quod in rerum conditarum numero, mensura, pondere, uno verbo: ordine, *ponitur, explosô & exsibilatô.*

§. 935.

Rogo, quotquot huic sententiæ de anima brutorum materiali, (*cum illis loquendum est,*) adsti-

pulantur, ut five animo, five fcripto in fe ipfi periculum faciant, *liceatne animam ullam ex* fubtiliffima materia coortam *cogitare*, nec *tamen intelligere* mechanifmo temperatam? Nam aut anima bruti, quam vocant, *materialis ad certas regulas agit*, à Conditore præfcriptas, *aut non agit*, Hoc fi dixerimus, fumus iniqui in Deum, ejusdemque opus, ignorantia præpediti, reprehendimus. Primum vero fi placeat, mechanifmi definitionem *in anima bruti agnofcamus neceffe eft*. In quod autem cadit definitio, in id & definitum. *Ordo enim in materiæ motibus eft mechanifmus.*

§. 936.

Ex hoc etiam cognofcitur, *Cartefium non* mutaffe *fcholafticorum fententiam*, *fed* perfeciffe. Cum enim illi animam materialem brutorum actionibus præficerent, nec exhiberent notiones expliciatiores, *qui fieri poffit, ut materia, licet tenuiffima, & igneæ velocitatis, tot miris effectibus præftandis par fit*; Cartefius defectum penfaturus, *ex regulis mechanifmi* & motûs rem exponere eft aggreffus; bruta machinas effe affirmans, ringentibus cæteris, qui ignorabant, *fubtiliffimam quoque materiam, quæ a Pharmacopolis* fpiritûs *nomine cohoneftatur, non aliis regulis agi, quam vel craffiffima* molendinorum faxa, *quibus grana contunduntur*: ideoque, fi anima bruti tenuis aura fit, non poffe eam alias agendi leges fequi, quam quas ab initio rerum conditarum Deus præfcripfit materiæ omni. Iraque fi brutorum animæ ex materia conflatæ, profecto & machinæ funt. Ingeniofe

Vir

Vir illustris: *Il m'arriva un jour de dire, que le Cartesianisme en ce qu'il y a de bon n'étoit que l'Antichambre de la veritable Philosophie. Un homme de la compagnie qui frequentoit la Cour, qui avoit de la lecture, qui se meloit même de raisonner sur les sciences, poussa la figure à l'allegorie, & peut être un peu trop loin. Car il me demandà la dessus, si je ne croyois point, qu'on pourroit dire sur ce pied-là, que les anciens nous avoient fait monter l'escalier; que l'école des modernes etoit venüe jusque dans l'Antichambre, qu'il me souhaitoit l'honneur, de nous introduire, dans le Cabinet de la nature. Cette tirade de paralleles nous fit tous rire; & je lui dis, vous voyez, que vôtre comparaison a rejoui la compagnie, mais vous ne vous étes point souvenû, qu'il y a la chambre d'Audience entre l'Antichambre & le Cabinet, & que ce sera assez si nous obtenons audience sans pretendre de penetrer dans l'interieur.* Cartesius igitur sententiam Veterum de anima bestiarum ulterius evexit; cujus naturam etsi totam intelligendo exhaurire, ejusdemque intimos recessus *excutere non liceat*; datur tamen copia ad veritatem propius accedendi, & emendandi, quæ adhuc inculta fuerunt.

§. 937.

Quæritur tandem, *quomodo dubiis hactenus propositis fieri possit, quod satis est?* Probavimus §. 919. omnes difficultates ex eo fonte scaturire, quod anima plerasque notiones extrinsecus à suo corpore nancisci, ideoque per hujus organa, eorumque varietatem, ad omnis generis ideas excipiendas flexibilis fingatur; quo pacto non sequi non potest,

 minus

minus exploratum esse: *annon mens nostra, si bestiæ cujusdam corpore eam affici contingeret: vel, an si bruti anima humani corporis organo uteretur, ad ratiocinandi facultatem fingi, eô factô, posset?* id quod tandem eo valet, ut immortalitatis laude vel utriusque generis anima privetur, vel ex æquo condecoretur utriusque generis anima.

§. 938.

Hæc una igitur superest via ad veritatem enitendi, nimirum ut concedas, *nullam omnino ideam animæ nostræ extrinsecus, à corpore offerri, nihil in ea aliunde adscitum, omnia ebullire ex fonte domestico, perceptiones, cogitationes, adpetitus, motus animi seu affectus, repræsentationes sensuum,* electis ab æterno humana mente & corpore tali, cujus *illinc* ideas, *hinc* motus, & *rationis* similitudine, (non dico proportionis) *& temporis* ordine, *&* efficacia gradûs, *accuratissime consensuros* Deus præsenserit.

§. 939.

Ita fit, ut anima quævis omnium suarum actionum fontem in semetipsa habens, semper aliquid moliens existat, *eoq;* ipso domestico *discrimine*, quo ab omnibus aliis distat, *insignita sit*, non in quævis formas flecti cerea, non ad omnis generis notiones extinsecus obtrusas parata, non obnoxia corporum varietati, cum nullum aliud ei adaptari possit, nisi quod pulcerrimo motuum suorum concentu illius ideis exacte respondeat.

§. 940.

Multis probata est argumentis à Viro celebri hæc sententia, inter quæ & hoc: *J'ai marqué dans*

mon

mon Livre que si M. Des Cartes s'etoit apperçu que la nature ne conserve plus seulement la même force, mais encore la direction totale dans les loix du mouvement, il n'auroit pas crû que l'ame peut changer plus aisément la direction que la direction que la force des corps & il seroit allé tout droit au Systeme de l'harmonie préétablie, qui est une suite necessaire de la conservation de la force & de la direction tout ensemble. Rec. T. II. p. 135.

§. 941.

Corpus igitur in unaquaque anima non est ejus perceptionum effector, sed index; *non* caussa, *sed* signum. Si corporis machina idearum in mente *effectrix* foret, appulsû suorum motuum ad animam physicô, *tum pro diversitate corporis* quidvis *in* qualibet *anima effici posset*, ideoque etiam in anima bruti, *subornato corpore habili*, præstari ratiocinandi facultas & immortalitas: sed id consentaneum veritati non esse, aliquoties dixi. Non est igitur credendum, *bruti animam ullo tempore fontem idearum*, quibus rationem metimur, *in se habuisse*; cum potius ab initio, quo primum tempore ex nihilo emicuit, nulla semina, nullam vim complexa fuerit, quam quæ sentiendi actionibus, ordine certo edendis, fuerit idonea. Non ferit igitur illud argumentum. §. 919. seqq.

§. 942.

Vires uniuscujusque animæ ex se ipsis evolvunt, *quidquid &* sentiendo & intelligendo *assequuntur*; sunt igitur mentes humanæ, & bestiarum animæ, *naturâ suâ*, *non corporis* extrinsecus juncti *adjumentô*, *distincta*. Atque

 sicuti

ſicuti bruti anima nunquam eo pertingit, ut intelligendi facultatem nanciſcatur: ita propter eandem cauſſam perſuaſum eſſe debet, nulla nunquam intelligentiæ ſemina in eâdem recondita fuiſſe, *caruiſſe igitur ex ſe fundamento immortalitatis*, nec magis ea præſtantia potituram eſſe, quam ex cepa communi *idem procreare poteſt*, quod ex cepa Tulipæ gignitur,

§. 943.

Nec eſt cur libertatis, cujus doctrina, fulcrum diſciplinæ morum, ſemper ſancta & commendatiſſima eſſe debet, *extimeſcas detrimentum*, Id enim, ſtante hâc ſententiâ, actioni mentis ſpontaneæ tribuitur, *quod à corpore* profectum, *animo* ceu patienti, *illarum credebatur*: Atqui, quantumcunque illud eſt, libertatis tamen imperio obnoxium non eſt, ſed ad ſenſuum ſervitutem, quæ in omni ſententiâ ſalva manet, refertur: Ergo ſi vel maxime ad ejusmodi perceptiones corpus haud quidquam conferat, ſed ſuis mens ipſa viribus adjuta eas evolvat, libertas incolumis manet, *quæ nunquam à quoquam in exercitio ſenſuum quæſita fuit.*

§. 944.

An eſt in tua poteſtate ſitum, *impedire*, *ne corpus*, à quo tuam tangi mentem putas, *animam afficiat!* Num tu cavere potes, ne ſentias, à corpore, ut credis, animo illarum dolorem? num obſtare licet, *quo minus audias*, *videas*, *ſubodoreris*, *delibes* &c. quæ corpori ejusdem organis allabuntur? *Aliquando quidem objecta afficientia amoliri*, ac declinare *licet*, nec tamen id ſemper uſu venit,

nit, nec, si unquam objecta corpori adplicata fuerunt, ut *lumen*, ut *sonus*, ut *sapor* &c. tu is es, quem penes sit facultas præstandi, ne illa perceptionem in mente excitent. *Quidquid igitur à corpore in mentem profectum putas*, *id* libertatis *imperio* exemtum est. Cave proin credas, *si ea ipsa quoque mens agat, & ex se evolvat, quæ adhuc à corpore pati videbatur*, minus liberam mentem fore; cum nunquam in eo, quod animus à corpore patitur, sed quod ipsa agit, libertas collocata fuerit.

§. 945.

Cogita de libertatis notione, quæ est facultas NB. agendi (non patiendi) & non agendi, *agendi hoc & illud* &c. & tecum constitue, utra sententia, mea ne, an tua majorem animæ adscribat libertatem? Tu *intellectûs*, tantum *voluntatisque* operationes menti adjudicas; ego omnes, *& quæ* sentiendo *absolvuntur.* Tu, cum nexum utique noris inter sensuum nostrorum perceptiones, & ortum inde voluntatis liberæ arbitrium, illas tamen machinæ corporeæ mentem afficienti subjicis; *quamvis eo modô corpori in animam potestas* ex obliquo *certe possit tributa videri :* ego omnia viribus animæ domesticis, ut nec per ambages nec rectâ via *ullus corpori ad imminuendam libertatem in animam aditus pateat.* Tu forte me reprehendis, quod sensifera à corpore in animam translata, ibidemque sua sponte evoluta, doceam; ego te vicissim objurgare non ausim, quod alteram perceptionum partem, quæ à voluntate & intellectu cooriuntur,

ſuâ *non minus* ſponte, *ex animo protrudi*, *&* *ordine certo ſurgere*; ſemper palam es profeſſus; *cum tamen liberos adpetitus* ex anima ipſa *evolutos dicere*, majus videatur eſſe periculum. Liberum enim deſiderium aliud ex alio ſubinde naſci, tua ipſius conſcientia edoceberis.

§. 946.

Utinam vero egomet intelligere ex æquo poſſim, quomodo cum tua ſententia conciliari libertas hominis poſſit. (Teſtor DEum, me nulla contentionis voluptate titillari) Ex tua opinione corpori aditus ad mentem patet, & ad imprimenda ibidem ſenſuum veſtigia: unde noſti, *corporis afficientis motus ab* ulteriori progreſſu *impeditos*, *ipſa animi libera decreta attingere & interturbare non poſſe? ſentio*, inquis, *me hoc libere*, *nemine obluctato*, *voluiſſe*; Sentis utique *jucunditatem* actionis, in quam te libere ferri cauſſaris, ſed quo tandem ſponſore certus es: nullam ſenſûs à corpore profectam ſuavitatem occultam, quæ animum molliter ſubierit, impoſuiſſe tibi, ut quam lubens actionem ſuſcipis, eandem & libere ſuſceptam falſo credas? Cum enim mens tua corporis motibus fluctibusque, tanquam littus mari, expoſita ſit, multa irrepere poſſunt, vel te non opinante, quæ voluntatem in omnes partes flectant, & corporis præſtent mancipium. Non urgeo cætera. Cumprimùm tu & libertatis & immortalitatis laudem, ex tua hypotheſi, animæ rectius, quam ego, aſſerere poteris, fidem tibi meam adſtrictam cupio, futurum, ut, deſertis his partibus, in ſuffragia tua eam.

§. 947.

Sed nunc satisfaciendum est alteri dubio, adversus immortalitatem proposito, quo vel bruta in eandem laudis partem trahere, quippe animo simplici gaudentia, vel, si materiæ particeps illa sit, & hominis mentem eo honore privare propterea contendebant, *quod materia, si sensûs, profecto etiam* intellectus *dono augeri possit.* Nimirum anima belluarum, ex Viri celeberrimi suffragio, *simplex quidem est, neque habet in se quidquam admistum, compositum, dispersum, ideoque non potest dividi, vel interire:* non tamen id argumento est, *eam esse immortalem.* Animum adjiciamus ad sequentia.

§. 848.

Je suis en commerce avec cet Auteur, & j'ai passablement bien compris ses sentimens. Cette force active primitive, qu'on pourroit appeller la vie est justement, selon lui, ce qui est renfermé dans ce que nous appellons une Ame, ou dans la substance simple. C'est une realité immaterielle, indivisible, & indestructible: il en met par tout dans le corps, croïant qu'il n'y a point de partie de la masse, ou il n'y ait un corps organisé, doué de quelque perception, ou d'une maniere d'Ame. Ainsi ce raisonnement nous mene directement à la distinction de l'Ame & de la matiere. - - par ce que les Principes du mecanisme, dont les loix du mouvement sont les suites, ne sauroient être tirés de ce qui est purement passif, geometrique ou materiel, ni prouvés par les seuls axiomes de mathematique. cit. loc. P. II, 231. seqq.

§. 949.

Une veritable ſubſtance, telle qu'un Animal, eſt composé d'une Ame immaterielle, & d'un Corps organique; & c'eſt le composé de ceux deux qu'on appelle unum per ſe.. cit. loc. P. II. p. 329. Sed ne quis ex ſimplici belluarum anima in immortalitatis brutorum opinionem veniat: notanda porro ſunt ſequentia: *Thomas d'Aquin a deja dit, que les ames des animaux ſont indiviſibles, d'ou il s'enſuit, qu'elles ſont incorruptibles. Apparemment, qu'il n'a pas voulu s'expliquer plus ouvertement, & s'eſt contenté d'avoir posé le fondement. On peut poſer que tout cela pourroit être, mais avec fort peu de conſolation, car quoyque nos ames & celles des autres animaux* demeurent, elles ne ſe reſouviennent plus du paſsé. *Mais je ſuis d'un autre ſentiment; j'avoue qu'aprez la mort nous ne nous ſouvenons pas d'abord de ce qui nous avons eté, ce qui n'eſt ni propre ni bienſeant à la nature. Je crois cependant, que ce qui eſt une fois arrivé à une ame, luy eſt eternellement imprimé.* &c. Hann. p. 228.

§. 950.

Dudum obſervârunt Viri Doctiſſimi, ſimplicem animæ naturam argumento immortalitatis non eſſe. *Omne quidem immortale ſimplex eſt, ſed non omne ſimplex eſt immortale.* Si vel maxime brutorum animæ corporibus ſolutæ ſuis, non intereuntes perſeverent, nulla tamen rerum ante actarum memoria continuo tanguntur; cum fieri poſſit, ut eorum recordatione non afficiantur, quæ ab iis, corpore adhuc veſtitis, facta. Atqui immortalitas in eo ponitur, ut ſentiamus *nos eos*

eſſe,

esse, qui ante mortem hoc aut illud praclare vel improbe fecerimus, pœnæ infligendæ caussa, *ut* culpæ *convictos*, si justa quidem est, ferire sol. Itaque immortalitatis ratio à brutis abest.

§. 951.

Homini vero illam prærogativam competere, ex celeberrimi Viri placitis à scriptore doctissimo ita probatur: *Tria debent adtendi. Unum*, inquit, *quod nulla adsit ratio, quare anima per mortem debeat ex statu spiritualitatis deprimi ad inferiorem. Morte solvitur corpus: Corpus non influit in animum effective: Habet illa principium suarum mutationum intrinsecum in se ipsa: Igitur nulla adest ratio quare non ipsa pergere possit, & pergat in ideis distinctis & ordinatis.*

§. 952.

Non diffiteor huic Viri judiciosissimi argumento obstare dubium, facili tamen negotio solubile. Eadem *ratio videtur pertinere ad animam bruti, qua pro* immortalitate *humana mentis allegata est*. §. 917. 915. Nulla ratio adest, quamobrem anima bruti, quæ ante mortem variarum rerum sensu affecta fuit, illa facultate exuatur. Interitu corpus *tantum bruti* destruitur, quod nunquam physico motu ad simplicem belluæ animam appellere, & ei quidquam vicissitudinis inferre potuit. *Habet anima etiam bruti* fontem *suarum perceptionum, in suis viribus*, domesticum: igitur nulla adest ratio, quare non possit pergere. Sentient *igitur bruta quoque* post mortem; vel si id non placeat, *nec hominis mens, propter eam rationem, eô statû esse perget, quo fuit cum corpore*

corpore suo juncta. Quid hîc respondendum sit, paulo post dicemus, dummodo cæteras argumenti partes ex scriptore doctissimo allegaverim: subjunctis dubiis, una solutione submovendis.

§. 953.

Alterum, pergit laudatus scriptor, *est, quod Analogia majorum mutationum id persuadeat. Quanti sit argumentum ex Analogia iis in locis, ubi sola sub DEO natura agit, id Astronomi & Physici, Anatomici & Chymici dudum experti sunt, adeo ut non dubitent ex Analogia decidere tamdiu, donec contrarium luculentissime demonstretur. Analogiam autem hîc advocamus ex eo. quod in magna, qua circa generationem exsistit, mutatione altius evecta est anima, non depressa profundius; itemque ex eo, quod generaliter res naturæ in mutationibus suis extantioribus perficiantur potius, quàm destruantur. Intercedunt hîc quidem facta & concursus hominum: adeoque non dubito ipsorum culpa corrumpi & imminui effectum à natura intentum: sed in consideratione physica (non specifice, verùm gradualiter) - - admitto discrimen quantum velis. Bene sit animæ post mortem aut ægre: Potest, quin debet utrinque esse Spiritus.*

§. 954.

Huic ab analogia petito ratiocinio obesse iterum videtur belluarum exemplum, quarum animæ, eodem jure, quô hominum, in perfectiorem *post mortem statum, traduci*, & pluribus augeri donis deberent, si illa quidem philosophandi ratio probata esset. Quotusquisque vero est, qui à se impetrare possit, ut credat, *animas bestiarum corporibus evolantes plura & perfectius sensuras*, quam nunc quidem fieri intelligimus.

§. 855

§. 955.

Tertium hoc loco illud est quod Analogia succenturietur ratio perseverationis. Status consequens pendet ex antecedenti. In antecedenti plus rationis est ad producendas posthac ideas distinctas & ordinatas: Nulla autem est impediens aut interrumpens interna. Igitur tanto magis in statu idearum distinctarum anima persistet, quanto plus rationis effectivæ internæ ad perseverantiam illam est in anima, quam olim adfuit ad elevationem ex sensitivitate ad spiritualitatem. Manet igitur anima in statu spiritualitatis post mortem.

§. 956.

Si quis quæreret: *An & in bruti anima status* subsequens *pendeat ex* antegresso, *annon plus rationis* effectricis *adsit ad continuandas post mortem perceptiones, quam interumpendas*, maxime cum ejusmodi animæ ex statu obscurarum perceptionum profecta fuerit ad facultatem perceptionum clararum, i.e. sensuum? Existimo eodem jure respondendum esse affirmando, quô de homine simile ratiocinium §. 954. fuerit propositum.

§. 957.

Ut igitur huic dubio, reliquisque cognatis §. 952. 954. satisfiat, non possum quin plenam Viri illustris sententiam allegem, quæ velim accuratius, si visum est, expendatur; quia solidis Philosophiæ, sed remotioribus fundamentis superstructa est.

§. 958.

Je conviens avec tout le Monde que les animaux ont de veritables ames sensitives, je soutiens même avec la plupart des Anciens que toute la Nature est pleine de force, de vie, & d'ames. Car

on

on connoit par les moyens des microcoſpes, qu'il y a une grande quantité de creatures vivantes, qui ne ſont pas perceptibles aux yeux, & qu'il y a plus d'ames que de grains de ſable ou d'atomes.

§. 958.

Mais je ſoutiens encore, comme a deja fait Platon & devant luy Pythagore, qui a tiré cette opinion de l'Orient, qu'il n'y a point d'ame qui periſſe, non pas même celle des animaux. Tous les Corps ont de parties, & ne ſont rien que des amas & des multitudes, comme des troupeaux des moutons, ou des etangs pleins de gouttes & de poiſſons, ou comme un montre, qui a pluſieurs reſorts, & autres pieces neceſſaires. Mais comme tous les nombres conſiſtent en un & un, ainſi toutes les multitudes ſont compoſées des unités.

§. 960.

Ainſi les unités ſont la veritable ſource & le ſiege de tous les êtres, de toutes forces & de tous leur ſens, & tout cela n'eſt autre choſe que des ames. D'ou il s'enſuit inconteſtablement non ſeulement qu'il ya des ames, mais encor, que tout eſt plein d'ames, & en quoy conſiſte veritablement l'ame: Enfin, *pourquoy chaque ame eſt incorruptible.* Car les unités n'ont pas de parties autrement elles ſeroient multitudes, & ce qui n'a point de parties, ne peut pas ſe corrompre.

§. 961.

Mais par ce qu'il ne ſe fait rien en vain dans la nature, & que rien ne s'y perd, mais que tout tend à ſa perfection & à ſa maturité, de même chaque image que nôtre ame reçoit, deviendra enfin

un

un tout avec les choses, qui sont à venir, de sorte *que nous pourrons tout voir comme dans un miroir, & en tirer ce que nous trouverons plus propre à nôtre contentement, Nous devons donc conclure delà, que nous devons être à present contens*, parce qu'à le bien prendre tout ce qui arrive est (par rapport au Dieu) si bien disposé, que nous ne le pourrions pas mieux faire quand même nous serions fort intelligens à ces sortes de matieres.

§. 962.

Nos ames sont capables de sçavoir & de gouverner elles font quasi dans le petit monde ce que Dieu fait dans le grand. Elles sont comme de petits Dieux, qui font des mondes, qui ne perissent pas moins que l'Univers, dont elles sont l'image. *De même que le grand monde elles tendent aussi à leur but. D'où il s'ensuit, que les autres ames & les corps doivent servir à celles*, qui ont quelque rapport avec la divinité, pour achever leur felicité quoyque en même tems qu'elles servent à ces autres ames, *elles tendent aussi à une plus grande perfection, par ce que le Monde est comme un corps qui va sans obstacle a son but; puisque rien ne peut s'empecher soy même, & qu'il n'ya rien hors du monde, qui le puisse empêcher.*

§. 963.

Existimandum igitur ipsas brutorum animas in perfectiorem (sed suo tempore) conditionem traductum iri, qualem? quantam? quousque? nos in mortali adhuc vita versantes haud invitos fugit? sufficit enim rem ipsam exploratam esse, cùm ex eo, quòd omne ab interitu tutum DEi opus, quô numero etiam anima bruti simplex

plex est, §. 954. eat in perfectius, *maximo divinæ gloriæ ornamento*; cum vero etiam, *quia ipsæ sacræ litteræ significare videantur idem*, *notissimo oraculo*, Rom. 8. v. 21. quod quidem variis interpretationibus obnoxium est.

§. 964.

Argumento pro immortalitate à justitia desumto opponitur plerumque exemplum corporis, cujus membra, licet & justitiæ apud alios, & iniquitatis apud alios arma sint, nullam tamen DEI justitiam nec in pœnis nec præmiis experiri, sepulcro quippe obruenda, similem igitur fore DEI circa mentem providentiam, quæ licet perennet, utpote natura simplex, forte non magis sui consciam post mortem fore, ac ante nativitatem, quo tempore etiam fuerit simplex, cogitationibus occupata fuerit.

§. 965.

Malim igitur, quamvis illi argumento pretium statuam, non tam à *peculiaris DEI virtutis*, justitiæ, quam *omnium* ejus *perfectionum* gloria argumenta immortalitatis animæ ducere. *Gloria DEI est perfectionum divinarum celebratio & cognitio à spiritibus cunctis, qui DEum Auctorem habent, profecta.* Sed *Gloria DEI est* æterna, *quâ nec antiquius quidquam potuit esse*, per §. 819. 820. C. II. *nec quidquam posterius*; nam & leges DEI, si quæ antiquatæ, propter hanc ipsam gloriam DEI antiquatæ sunt. *Oportet igitur Spiritus, qui DEO Auctore exsistunt, ex illo statim tempore, quo quid cognoscere cœptant, perpetuò cognoscere DEum, ut illorum cognitione, quâ in perfectiones DEI contemplandas, imitandas, feruntur, extinctâ,*

ipsæ

ipsa gloria DEI obscuretur, quod à Consilio creantis DEI alienissimum est.

§. 966.

Nec argumentum hoc illi dubio, uti priora, exponitur. Non est locus effugio, *quod in corpore terra sepeliendo, nec forte præmiis, pœnisque remunerando, vulgo solet quæri: sufficit in homine, gloriæ DEI illustrandæ caussa, semper animam conditoris perfectiones cognoscere posse.* Falleris si putas, *justitiam, tributis in hac vita præmiis & pœnis, vel in altera ad bene longum, sed tamen termino circumscriptum tempus, absolvi posse, tum animam, cui justitia fecit, quod debitum erat, demitti posse in æternum & profundum somnum, quo ante natales sopita fuerit:* Cum non ratiociner ex justitiæ divinæ, sed omnium *perfectionum DEI gloria*, quæ *uti sempiterna* est, *ita* etiam *admirantes* & cognoscentes spiritus *postulat sempiternos.*

§. 967.

Non potest huic ratiocinio exprobrari, uti exprobratur illi à simplici natura animæ petito, quod probet tantum perennitatem *generatim*, non vero *speciatim* perseverantiam *in intelligendo:* nam æterna DEI gloria non solum *naturam perdurantem, sed & intelligentem desiderat*, cum intellectu destituta DEI opera propter intelligentia facta sint, ut hæc & in seipsis, & illis, quanta DEI sit perfectio, cognoscant. Majus est hoc nostrum argumentum eo Cartesiano, *à voluntate DEI desumto, quæ committere non possit, ut opus tam nobile*, anima, *pereat*; cui corporis in terra putrescentis exemplum opponitur, Sed nos

Ii phi-

philosophamur *non ex nobilitate*, quæ in animam & corpus cadit, sed *ex cognitionis divinarum perfectionum perpetua necessitate*, quæ in solam animam quadrat, nec corporis exemplo confutari potest.

§. 968.

Forte suspicaris, *perpetuam DEI gloriam conservari posse, si vel maxime animæ, adhuc DEum cognoscentes, intereant post mortem, dum semper pereuntibus novæ substituantur, & alia ex aliis DEO gloria parari possit.* Sed si DEus gloriam suam intendit, universam, totam, integram intendit, *non mancam, non mutilam.* Atqui ostendit in hac vita *disjectos gloriæ suæ speciminum articulos*, non una *connexos* serie, ex uno *tantum angulo intuemur divini honoris testimonia*, non adspicimus totam eorum delineationem, velut constituti in loco celso. Multa absurda, hiulca, multa parum bene coagmentata in hac prima divinæ providentiæ scena videntur. An igitur putas, nos eo factos consilio, ut conspectis quibusdam viarum, queis gloria DEI continetur, capitibus, vel extremis vestigiis, reliquo tramitis admirabili flexu & cursu, nubibus adhuc densis, tectô, statim deleamur? Ita profecto vel per infinitos Spiritus, successuros destructis, nunquam attingeretur gloria DEI, i.e. *perfectionum ejus cognitio* plena, cohærens, jucundissima: Sed omnes successuri pereuntibus eâdem cognitionis imperfectione laborarent, quâ hi, ac ipse DEus suarum perfectionum repræsentasset Theatrum, cujus nonnisi initium, *absque* nexu *cum secuturis non satis in-*

telli-

telligendum, Spiritibus hanc terram incolentibus voluisset ostentare.

§. 969.

At, inquis, *ratione præstruitur*, *alias scenas esse secuturas hanc*, *cui intersumus*, *hoc est probare idem per idem.* Erras! Nostræ cognitionis imperfectionem sentimus, ac tristi usu edocemur, multas divinorum operum scenas incoari, non absolvi: jure igitur rationes ita subducimus nostras, cœptam esse divinorum operum telam, nondum pertextam, gloriæ divinæ tantum initium in hac vita obtinere, non ea, quæ maxime ad virtutes DEI intelligendas & in serie spectandas pertineant.

§. 970.

Si anima hominis, inquiunt hostes immortalitatis, *corpus pellit suum*, *actione physicâ*, *atque ejus organis vel bene vel male affectis utitur ad intelligentiam vel insaniam; qui intelligere*, *quæsumus*, *poterit*, *corpore destructo?* Sed nullo unquam pulsu ab anima corpus moveri posse, probatum est. §. 940. Animæ igitur intelligendi viribus nihil decedit, etiamsi corpus relinquatur in sepulcro. Cujus accedente motu, mens hominis intellectura quidquam, non eget, eô etiam præclare potest, sine detrimento virium intelligendi, supersedere.

§. 971.

At, inquis, *qui poterit* regere *corpus mens nostra*, *quod ipsa* non trudit, pellit, dirigit, movet? At aliud est à mente corpus regi, aliud ab anima idem moveri. Neque qui hoc negat, & illud vocare in dubium censendus

ſendus eſt. An Exercitum non regit Imperator, ſi milites corporum declinationes vel in ſiniſtram, vel dextram partem facere jubet, ſi arma deponere, ſi bombardas humeris imponere, aperire ſcutulam, pulverem nitratum inferre, &, ſubdito igne, explodere, vult, ſi ordines contrahere, obliqnare, procedere, retrogredi, militari gradu, jubet, ſi ad unius nutum, vocem, omnes compoſiti ſunt, ſi veſtigiô ne tatum quidem unguem cedunr, nunc provocati, maximo impetu, ſervatis ordinibus, provolant, invadunt, pugnant, dijectoque gradibus hoſte, triumphant, canunt, vociferantur? *Annon regit* Imperator, *an illius voluntas* irrita, vana, effectu caſſa eſt? Numquid Imperator egit cœco fato, quia ad militum motus, actione phyſica, ne tantillum contulit? Profecto id non ſentis.

§. 972.

Atqui Dux militum, ne unius quidem militis brachium movit, nedum pedes, minime corpus totum, omnium minime univerſas cohortes, vires harum â DEO ſunt, ſed ad illius nutum accommodatæ, motus harum ab Imperatore licet non ſint excitati, ejus tamen ſubſunt arbitrio. Sed ſimilis eſt cauſſa animæ. *Totum corpus ad ejus nutum compoſitum eſt*, quod moderatur, cui imperat, præeſt, mandata imponit: *Sed inde non conſequitur*, machinæ motus cieri ab illa, poſſe eam accelerare, retardare partium fabricæ curſus, poſſe interpolare mechaniſmi leges, ſufflaminare, protrudere pronos in motum à Cerebro ſpiritus animales; *licet enim corporis* Domina

mina *sit*, *non est tamen* faber & artifex, *licet* moderatrix *exsistat*, *non est tamen motuum* effectrix.

§. 973.

Si quod inde libertati periculum imminet, quod anima corpus quidem regat, *non autem* moveat: tum & Imperator turpe Exercitus mancipium est, quod *actione physica* cohortes non ciet, quod suis viribus milites currunt, antrorsum retrorsum, sinistrorsum. dextrorsum, strenue pergunt: tum & anima omni non solum exercitio, sed & facultate libertatis privatur, quo primum tempore corpus morbo afflictum, pro lubitu, in omnes partes versare non amplius potest. Sed non credo, quemquam fore, cui ejusmodi philosophandi ratio adprobari possit.

§. 974.

Sub finem addo verba sequentia, quibus hactenus dictis lux affundi potest: j'accorde une existence aussi ancienne, que le Monde, non seulement aux Ames des bêtes, mais generalement à toutes les monades, aux substances simples, dont les Phenomens composez resultent, & je tiens que chaque Ame ou monade est toujours accompagnée d'un corps organique, mais qu'il'est dans un changement perpetuel, de sorte que corps n'est pas le même, quoique l'Ame & l'Animal le soit.

§. 975.

Cettes regles ont encore lieu par rapport au Corps humain mais apparement d'une maniere plus excellente qu'à l'egard des autres animaux,

qui nous ſont connûs? l'Homme qui doit demeurer non ſeulement animal; mais encore un perſonnage & un citoyen de la Cité de Dieu, *qui eſt le plus parfait Etat poſſible, ſous le plus parfait Monarque* - - Il y a apparement une infinité de degrés dans la perception, & par conſequent dans les Vivans; *mais ces vivans ſeront toujours indeſtructibles, non ſeulement par rapport à la ſubſtance ſimple mais encore par ce qu'elle garde toujors quelque corps organique.*



Cap. V.
De Ecclesia.

§. 976.

Quid de Eccleſia Vir illuſtris ſenſerit, paucis expromere nunc libet, interſperſis paſſim quibusdam obſervationibus. *Romana*, inquit, *Eccleſia unitatem ſuam mirifice jactat. Ego vero tueri auſim illam unionem non eſſe veram, ſed tantum exteriore aliquo politico ſyncretiſmo ſimulatam. Probo. Magna pars Romanenſium non credit articulos fidei in Romana Eccleſia definitos, quia Papa definivit, ſed quia ita in antiquitate Eccleſia definivit, ſed quia ita in antiquitate Eccleſiaſtica ſe reperire putat. Qui autem non credit aliquid verum, quia Papa definivit, is ſecundum Romanam Eccleſiam non eſt vere catholicus. Ergo magna pars Romanenſium non eſt verè catholica.*

§. 977.

Aſſumtum probatur ex facto. Galli vero omnes & ex eorum ſententia Wallemburgii, Thomas Albius,

Ve-

Veronius, hanc quam nunc exsequar Analysin fidei se habere docent (confer Fr. Macedum contra Albium, & Wallemburgii notas ad Honoratum Fabri contra Indifferentes manuscriptas) nimirum neminem posse salvari, nisi credat articulos fidei fide divina. Fidem divinam esse, credere, quod DEUS dixit, quia dixit.

§. 978.

Hactenus consensit Ecclesia Romana cum gallicana. Jam sequitur divortium. *DEum dixisse, constare nobis per Christi & Apostolorum prædicationem miraculis confirmatam; Apostolos sic prædicasse, constare nobis ex historia seu Antiquitate Ecclesiastica, vel quod idem est, traditione sive scripta, sive non scripta; Ergo ultima Analysis fidei gallicanæ, est in Antiquitatis ecclesiasticæ historicam traditionem. Hæc est ubique analysis Wallemburgii, Veronii, Arnaldi, & Gallorum controversias scribentium prope omnium.*

§. 979.

Non possum, quin Virum celebrem ante interpellem, quam reliqua ejus verba proponam. Cum fidei ultimum fundamentum Antiquitas ecclesiastica jaciat, i. e. *cum* ideo *aliquid credamus, tanquam ex ore Servatoris & Apostolorum profectum, quia id testatur Antiquitas; valde diffusum, impeditum, & dubium erit fidei stabilimen;* cum *Antiquitatis studium* totum hominem *poscat*, cum amplissima lectio in eo cursu desideretur, & *longe* major quidem, *quàm* in evolvendo ac tractando *sacro Codice*, qui nonnisi unus est, multiplicato per infinitum Antiquitatis voluminum numerô,

cum ipſa Eccleſia multa olim crediderit, priſcarum *veritatum titulo ſuperbientia*, quæ, exorto majori Lumine, erroris damnata ſunt. Sed de his ſuo loco plura.

§. 980.

Nunc intueamur Analyſin Romanam ſeu curialem, quam & tuentur Jeſuitæ. (vid. Honorat. Fabri libro de una fide contra Indifferentes) & contra quam proprie concuſſio Conringii directa eſt. Unde nec declinarunt certamen Jeſuitæ agnoſcentes, quam oppugnat, ſententiam ſuam eſſe, quod non fecerunt. Wallenburgici, qui non reſponderunt concuſſioni, ſed tantum eam retorſerunt. Analyſis igitur curialis eſt hæc.

§. 981.

Nemo poteſt ſalvari, niſi Articulos fidei credat, fide divina. Fide divina credere eſt credere, quia DEus dicit. DEus hodie nihil dicit, niſi per hominem habentem à DEO donum infallibilitatis. Præter eum hominem habentem à DEO donum infallibilitatis non datur alius, qui vel ipſe prætendat ſe id habere præter ſolum Pontificem Romanum, ergo nemo poteſt ſalvari, niſi articulos fidei credat, quia definivit Pontifex Romanus. Huc redeunt argumentationes, Bonartis, Honoratis Fabri, Valeriani Magni.

§. 982.

In hoc ſorite eſt manifeſtus paralogiſmus, inſeritur enim τὸ HODIE in propoſitione tertia, quaſi neceſſe ſit hodie DEI vocem habere, nec ſufficiat probare, DEum ſic locutum olim. Cæterum ex his apparet, Analyſin fidei romanæ tantum differe ab Analyſi fidei gallicanæ, quantum Analyſis fidei romanæ differt ab Analyſi fidei Auguſtanæ; Et hinc omnes illos,

illos, quos etiam politicos Zelotæ vocant, non veré sacramentorum gratiæ fieri participes, quippe extra Ecclesiam constitutos, & Galliam suis libertatibus inhærentem externo tantum politice simulato Synoretismo, quam vero animorum consensu Ecclesiæ Romanæ inhærere. Hæc scil. est jactata Ecclesiæ romanæ unio. Cæterum connexio ex hac ipsa illa Analyseon oppositione patet, dicunt enim diserte Honoratus Fabri & alii, salvari non posse, nisi qui potestatem & infallibilitatem Pontificis credat.

§. 983.

Holdenus putat in Analysi fidei non posse errorem obrepere toti Ecclesiæ, idque uti & Thomas Albius probare conatur, non ex peculiari aliqua assistentia DEI sed ex rationibus naturalibus. Verum ea ratione sequetur, non posse mundo obrepere errores universales, seu catholicos, quod tamen falsum est. Ecce enim toti mundo, demta unica gente, obrepsit error idololatricus de multitudine Deorum immemoriali traditione propagatus. Toti Occidenti obrepsit opinio de grandi Christophoro, de Equite Georgio. Quæ omnia tamen nullus prudens dubitat posse recte refutari ex historiis vetustioribus & recta ratione.

§. 984.

Unde patet, de rebus vetustis non esse satis credendum testimonio universali hominum hodie viventium, nec sufficere ut dicant, quod audierint à Majoribus, qui dixerint se rursus à suis audivisse, nec originem fabulæ ortæ comperire quemquam potuisse. Nam sæpe subito fabula quædam dispergitur, & fit universalis, v.g. per certum ordinem conspirantem, per unum librum valde vulgarem, qui legendam aliquam continet, per unius hominis docti auctoritatem,

& discipulos habentem, quomodo Aristotelis sententiæ in philosophia factæ sunt superioribus seculis apud Scholasticos tam catholicæ, tam receptæ, tam indubitatæ, ac si articuli fidei essent. Unde illi displicent, qui interrogant nos, voluntque præcise nosse, quo tempore aliqua fabula emerserit, ejus refutandæ caussa. Cum tamen talia oriantur sæpe insensibiliter indiesque vires accipiant, & occulto crescit velut arbor ævo.

§. 985.

Latet in hoc Viri celebris discursu artificium disjiciendi arma eorum, qui Ecclesiæ suæ auctoritatem falli nesciam probaturi, sacras litteras criminantur, easdemque obscuras, ancipites, & *litium sacrarum plenas ut & Judice ab erroribus tuto indigentes* pronuntiant, oppositis rogatiunculis, *quo primum tempore Ecclesia labascere cœperit, & à vero desciscere, qui Ecclesiæ fuerint Antistites, qui Cæsares, quô anno id factum, quo loco*, quæ cum assignari nequeant, fictam esse illam suæ Ecclesiæ depravationem. Sed non est, cur hisce moveamur, cum qui illis dubiis nos aggrediuntur, ex altero latere se *scepticorum insultibus* ipsi, destinato velut consilio, exponunt, & universalem dubitandi de omnibus artem hostes Veritatis docent.

§. 986.

Prudenter Vir illustris: La droite Raison est un enchainement des Verités. La raison corrumpüe est mêleé de prejugés & de passions. Et pour discerner l'une de l'autre on n'a qu'à proceder par ordre,

ordre, n'admettre aucune these sans preuve, & n'admettre aucune preuve, qui ne soit en bonne forme selon les regles le plus vulgaires de la Logique.

§. 987.

On n'a point besoin d'autre criterium n'y d'AUTRE JUGE DES CONTROVERSES en matiere de raison. Et ce n'est que faute de cette consideration, qu'on a donne prise aux NB. Sceptiques, *& que même en Theologie Francois Veron & quelques autres*, qui ont outre la dispute contre les Protestans, jusqu'à s'abandonner à la chicane *se sont jettés à corps perdu dans le Scepticisme*, pour prouver la necessité qu'il y a de recevoir un juge exterieur infaillible; en quoy ils n'ont point l'approbation des plus habiles gens, mêmes dans leur partie, Calixte & Daillé s'en sont moqués comme il faut, & Bellarmin à raisonné tout autrement Th. §. 777.

§. 988.

Scepticorum arma esse, vel Judæorum, gentiumque à Christi sacris alienarum, quibus pro suæ Ecclesiæ auctoritate quidam particularis cœtus Auditores pugnent, ex sequentibus patebit. Est, nescio quis, obscurissimo loco, & infima sorte natos homines conviciorum plaustris imitans, qui ingenti Thrasonismo, tanquam invictum, proposuit sequens argumentum. *Aut catholica Christi Ecclesia in errorem incidit, & mille annorum spatio minus conspicua oculis fuit, aut non fuit. Si prius confitemur; profecto DEus, Servator &c. mendax est, qui perennitatis nunquam interrumpendæ promissum & fidem sanctissimam fecit: Si posterius placeat nobis*

bis, successu Ecclesiæ ab Ecclesia, purgatis sacris, opus non fuit, qui igitur in partes iverunt separatas, Impostores, Mimi, & animorum occisores sunt.

§. 989.

Propudiosum est, argumento vulgatissimo, & vel Trivialibus solubtili, tanquam omnibus responsionibus majori, in duellum provocare integras Ecclesias, & Philistæa insania, Goliathi vestigia legentem, in militiam DEI congestare opprobria. Quid si hoc argumento populus Iudæus adversus Christum, & ejus Ministros usus fuisset? An in eo fuisset robur? Numquid eo Christi Doctrina erroris, vel in justitiæ, vel temeritatis potuisset coargui? Atqui si valet argumentum, contra ullam Ecclesiam, certe etiam Christo opponi potest, quô nihil potest excogitari indignius. Experiemur.

§. 990.

Aut catholica populi Ebrai in V. T. Ecclesia, (catholicam fuisse, diserte testatur Psalmus 147. v. 20.) *in errorem incidit, & multorum annorum decursu oculis erepta fuit, aut non. Si dixerit Jesus Nazarenus cum discipulis suis, tenuibusque Opificibus*; contigisse primum, *DEum accusat mendacii, qui Abrahamo populi Ebrai avo longe probatissimo fidem fecit, fore*, ut æternum cum posteris ejus pactum percuteret, *Genes. 17. v. 7. se DEum ipsius futurum, ideoque cum ipso communicaturum gratiam & veritatem omnem, qui jurato pollicitus est familiæ divi Patriarchæ, Psal. 89. v. 37.* æternum fore ipsius semen, nec unquam illi denegatum iri divinum favorem;

rem. *v. 34. &c. Quodsi vero Jesus Nazarenus secundum concesserit*, nempe non incidisse in errores nostram Ecclesiam; *quid opus est interpolato, cur sacra sibi instauranda sumit, cur nos perversissimarum legis interpretationum accusat? Matth. 5. v. 22. 27. 28. seqq. Fateatur igitur, se temerarium esse, nec quidquam à se susceptum, quod voluntati divinæ consentaneum fuerit.*

§. 991.

Quidquid hîc, pro defendendo suo Servatore dixerint Ecclesiæ falli nesciæ arbitrio freti, id *& ipsis opponi poterit*, tanto urgentibus opere immunitatem ab erroribus sui sacrorum Antistitis. Ita ut vel hanc sententiam, de Pontifice, erroribus superiore, missam facere, vel ipsum Christum à similibus hostium telis non defensum relinquere debeant. Quod utrum factu consultum sit, ipsos appellare judices non dubito.

§. 992.

Non est heic effugio locus: *Aliam esse Christi caussam. cui, utpote DEO, & Sospitatori, talia opponere gens judæa non potuerit, aliam Ecclesiæ romanam deserentis, vel potius ab ea damnatæ, cui, quippe schismatis culpa obstrictæ, judicium Ecclesiæ falli nescium omni jure possit obverti.* Nam qui ita respondet ad argumentum §. 990. is suum ratiocinium §. 988. propositum deserit, *& ceu indubium præstruit*, quod ipsô illo ratiocinio §. 990. *demum probare voluit.* Quæ ratio disputandi præcepta logica violat. Nam ab auctoritate falli nescia ille argumentum capit ad omnem sacrorum instaurationem damnandam; atqui ostendimus ex

eadem

eadem caussa Christi doctrinam futuram fuisse rejectaneam; jam huic responsioni nostræ occursurus caussatur, *institutum Christi, quo temeratam Judæorum religionem refinxerit*, esse divinum, voluntatique supremæ consentaneum, *illius vero Ecclesiæ, quæ à sua discesserit, factum* habere culpam: *Sed* de eo *ipso quærimus*, quod dum suo ratiocinio probare voluit, non est ipsi licitum, in ratiocinii defensione, tanquam demonstratum, præstruere.

§. 993.

Adde, Judæos non credidisse, *JEsum Nazarenum esse DEum.* Cum igitur tam præclaris pro sui cœtus favore pollicitationibus mactati fuerint, si legitima foret, quam Antagonistæ adhibent, ars disputandi, potuissent ea uti adversus optimum maximum Servatorem, non commovendi, verissima quidem in se doctrinâ, *Christum esse DEum. Aut alia conditio fuit Judæorum, à quorum erroribus Servator religionem purgavit, quam quæ est Adversariorum auctoritate ab erroribus tota nitentium, aut non est alia.* Si alia est, cur id non probant, sed in defendendo ratiocinio suo tanquam probatum sibi sumunt? Hoc est nimirum ratiocinando redire in orbem, Si non est alia utrorumque conditio, sane quidquid illi nobis objiciunt, §. 988. idem â Judæis Christo §. 990. potuisset exprobrari, quod sine culpa blasphemiæ ne cogitari quidem potest.

§. 994.

Præbete, inquiunt, *tot fidei vestræ firmamenta editis portentis, quot Christus genti Judææ commonstravit*,

stravit, non denegabimus jus discedendi in cœtum separatum puriorum Sacrorum obtentu. Uti igitur illo ratiocinio possumus contra vos, §, 988, *nec tamen Judæi recte id adhibuissent contra Christum.* In mea sententia non recte opposuissent, *concedo*, in vestra, *nego.* Veneramur sanctissime Christi ostenta. Sed tamen exploratum est, si vel maxima, talia hodie fieri, *sive viribus nostris*, sive *divinæ sapientiæ*, vel *& utrisque consentaneum foret*, tantum esse abfuturum, ut illi portentis errorum se convinci paterentur, quantum abfuit, ut Christi doctrinâ Judæi commoti fuerint, ob eandem illam præconceptam opinionem, quâ & Adversarii occupati sunt, & quâ persuasum falso fuit: *Ecclesiam* (Judæam) *errare non posse, fundatam quippe à Mose, non interrupta Antistitum succedentium serie, Mosen divina tradidisse, explorata ratione, JEsus unde sua desumserit, non constare similiter, &c.* Joh. 9. v. 28. 29.

§. 995.

Ut primum Ecclesiæ errandi periculo superioris persuasio animos occupavit & obliquat, nulla veritas, vel præstantissima, nulla portenta quantalibet illi opposita quidquam valebunt. Semper Ecclesia quæ sibi donum non errandi concessum caussatur, habebit quod vel divinis consiliis institutisque, emendationem necessariam spectantibus, opponat. Prona in prætextum erit, *veritatem veritati non esse contrariam, nec portenta genuina portentis, vires suas DEum, ad religionem erroribus majorem reformandam, non dare mutuo*, ita ne Christus quidem quidquam efficiet in animis eorum, qui hoc errore ducuntur, & in

in quibus ſingulari operatione alios non excitat ſenſus. Quod exemplo Judæorum cognitum eſt, qui negabant Doctrinam ſuam publicam corrumpi poſſe.

§. 996.

Ut, quantum Adverſariorum ratiocinia Judaiſmo, Gentium idololatriæ, & ſcepticiſmo inſerviant, ulterius eluceat, aliud obtrectatoris, invictum, quod putat, argumentum examinabimus. *Aut illa Eccleſia*, latinis verbis germanica exprimo, *quæ ſemet interceſſiſſe dicit publicæ errorum doctrinæ, vera Chriſti, perpetuo conſpicua, & erroribus ſuperior Chriſtianorum congregatio eſt, aut non eſt. Primum ſi quis dicat, oſtendantur oportet Doctores, qui per omnia inde à Chriſto elapſa æva illud Evangelium expoſuerunt, fidei myſteria illius more diſpenſarunt, & cum illa fecerunt Eccleſia. Dic quibus in Terris & eris mihi magnus Apollo. Hic piſcibus magis muti. Aut vero non eſt Eccleſia, cui ab erroribus cautum eſt, quin ſegregentur à privata ſynagoga.*

§. 997.

Nihil hoc argumento tritius, nihil vilius, nihil fallacius, quod innumeris modis deſtructum, & æquatum ſolo eſt: ſed etiam ejus præcone nemo glorioſior, nemo unquam majoribus Thraſoniſmis fuit refertus. Reſpondit jam vir illuſtris. §. 984. Ut intelligamus tamen ſcepticiſmo illud latam aperire portam, quod & Vir ſummus generatim obſervavit, §. 987. ſolvemus ratiocinium *καϑ' ἄνϑρωπον.*

§. 998.

Quid? ſi Abrahamo Chaldæi ſimilia exprobraſſent:

brassent: *Aut cœtus eorum qui tecum*, Abrahame! unum *coluerunt Deum*, conspicua, veritate potita, & erroribus cunctis major congregatio est, aut non est. *Si hoc postremum dixeris, qua fronte separata tibi sacra constituis uni Deo destinata, cur non redis ad penates nostros, relictis illis novis & recentibus. Quod si, Abrahame! illam hominum congregationem tecum idem sentientium veracitatis studiosam, & ab errandi periculo tutam pronunciaveris, tuum profectò erit, per omnia retro æva ad Chamum usque monstrare Doctores, qui unius Dei cultum securi propagarunt, tuum erit notare tempus, quo Majores nostri per idololatriam desciverunt, commutata unius Dei gloria cum honore plurium.*

§. 999.

Faciant heic Adversarii periculum, numquid Abrahamum contra Chaldæos ita defendere possint, ne eodem negotio sibi ipsis, tam temere argutantibus, respondeant. Quidquid dixerint, pro tuendo Abrahamo, idem valebit quoque ad nos contra ipsorum tela muniendos. Si argumentum §. 996. expositum vim habet, contra Patriarcham quoque habet: si nullam vero habet, irriti sunt Adversariorum conatus, εἰς ἀέρα δέροντες.

§. 1000.

Quam dextre Abrahami sint caussam acturi, audiamus. *Abrahamus*, inquient, *dum terris idololatricis exibat, fecit, quod honestum ac Deo adprobatum erat. Alia causa eorum est, qui* facto à nobis discessu, *autoritatem Ecclesiæ falli nesciam contemserunt.* Egregios scilicet Ratiocinatores!

 tes!

res! Quod ratiocinio ſuo demum probare debuerunt, erratum eſſe diſceſſu, id, reſponſione noſtra compreſſi, ceu probatum ſupponunt, quo nihil poteſt eſſe in Logica inſolentius. Invadunt in nos ſequenti argumento: *Spuria veſtra doctrina eſt*; cur? *quia multis abhinc ſeculis non duravit* publice: reſpondentibus nobis? *nec Abrahami fidem* uni *Deo addictam, continuâ docentium ſerie*, publicam *fuiſſe:* illi regerunt, *diverſam noſtram eſſe conditionem, quia noſtra fides ſpuria ſit, qualis non fuerit Abrahami.* Ita Abrahamum tueri non poſſunt, quin vel ſua ipſorum ratiocinia enervent, vel idem per idem probent.

§. 1001.

Forte Abrahami è Chaldæa exitum adverſus ſcepticorum & idololatrarum, quorum vitulâ arant, inſultus, his verbis propugnandum ſument: *Patriarcha* divino diſtinctu *ſede ſua evocatus & ad alia colenda unius Dei ſacra ire juſſus eſt: ex adverſo, qui Antiſtitis romani gregem deſeruerunt, vel* potius inde excluſi ſunt, *ſacro proſcriptionis fulgure, nullo ad id Dei mandato fuerunt inducti. Quaſi vero ſacra veritas* recuperanda voluntatem & præceptum Dei *non argueret*, omnem, qui ab ea alienior eſt, cœtum deſerendi. *Atqui*, inquis, mendacia *vos diviſerunt, non ſtudia veritatis.* Sed quam es infelix diſputator? *Errorum cauſſa, queis ducamur, nos ſciſſos*, tuo ratiocinio probare voluiſti, nunc eodem illo ab idololatris impetitus, quod erat quæſtionis demonſtrandæ caput, demonſtrationi tanquam

tanquam fundamentum ſupponis. *An, quod probandum eſt, probandi fulcrum eſſe poteſt? An ipſa theſis poteſt eſſe ratio ſui ipſius.*

§. 1002.

Nos ob errores abiiſſe in partes propterea affirmaſti, *quod non poſſint oſtendi Doctores* NB. PUBLICI, *qui ante cœpta noſtra ſacra, continua ſerie ſucceſſionis, nobiſcum fecerint.* Dixi idem poſſe Abrahamo exprobrari, idololatriam reſpuenti, cui ut occurreres, aliam cauſſaris noſtram eſſe, quàm illius rationem: Cur? quia nos erremus, ille Chaldæam relinquens non item. Annon ſentis, *te in defenſione argumenti ea præſtruere, quæ* demum argumento inædificari deberent? Rationis rationem allegaturus theſin probandam appellas; an hæc eſt legitima probationum analyſis? annon eo loco habenda, ac ſi quis hominis parentes genealogico regreſſu commonſtraturus, *loco* aviæ *nominaret* filiam? Non eſt in analyſi rationis *ſupponendum*, nos erraſſe, ſed ipſâ illâ *probandum.* Quodſi in aſſignanda tuæ rationis ratione vel ſemel errorem à nobis admiſſum ſtatueris, vitioſa erit diſputandi *methodus*, & *reditura in orbem.*

§. 1003.

Aut Chaldæorum de Abrahamo lata ſententia, *quâ veterum ſacrorum contemtorem judicabant*, Virum, divum, ut in illorum cœtu maneret, devinxit jure, aut non devinxit. Si devinxit, ſane vitio verti debet, quod præclariſſimum fidei, & imitatoribus propoſitum ſpecimen erat. Si non devinxit, rogo, quæ ejus immunitatis ratio fuerit?

Numquid illa, quod firmissima veritatis persuasione imbutus erat? Atqui hanc discessus ab Ecclesia caussam parum sufficientem Adversarii declarant. *Omnes*, inquiunt, *Haeretici veritatis certissimam cognitionem se praelibasse putant, argumentis in partem contrariam ne tantillum commovendi; privata interim animi persuasio postponenda est publico Ecclesiae, de sacris antiquitus receptis, judicio.*

§. 1004.

Sed ea ipsa Adversariorum responsio à Chaldaeis in Abrahamum vibrari potuisset. *Tua persuasio falli potest; immo fallitur, cùm* unius *judicium de religione, plurium sententiae* publicae *anteponi non debeat; cum probabilius sit* oculos *plus videre, quam* unum oculum, Quomodo heic Abrahamum adversus Chaldaeos tuebuntur Adversarii? Num dicere jubebunt: *Ego recta unius DEI sacra sequor: Vos plurium Deorum improbos cultus.* Atqui hoc consilio idem per idem probandi praeceptum Abrahamo imponetur. De eo enim ipso *quaestio agitabatur, Chaldaeine, an Abrahamus religionem sectetur puriorem?* Forte Auctores Abrahamo erunt, *ut, divinitus monitum fuisse, Chaldaeis exponat.* Atqui tantum abest ut id credituri sint, ut potius, eam ipsam ob caussam, *quod unius* privata *sententia plurium damnet* publicam, intersertuti sint praetextum, *monitum illud* divinum non fuisse, imposuisse sibi hominem, vel certe fraudem ab alio passum, *nunquam enim publica sacra* privatis, DEO consentiente, cessura locum.

§. 1005.

§. 1005.

Videant igitur Adversarii, ut causam Abrahami rectius agant, & perspicue declarent, quo jure, privato cultu constituto, publicum deseruerit? Si dixerint, *auctoritate DEI* vocantis *id factum*, cui nulla sacrorum publica auctoritas anteponi potuerit; sufficere, *Abrahamum certissime persuasum fuisse, de monentis DEI voluntate:* sciant, *idem & à nobis opponi posse ipsis.* DEI per sacras literas monentis auctoritas, de qua certissime persuasi sumus, nos ad suscipiendum discessum induxit. *Nihil heic interest, sive vox DEI* separata sacra præscribentis cœlo demissa attigerit *nostras aures*, sine interventu alterius cujusquam rei, id quod Abrahamo contigit; *sive vox DEI id mandantis* codice certo designata, interventu literarum ad nos delata sit.

§. 1006.

Si, non obstante certissima nostra, quam sentimus, persuasione de cooptatis purioribus sacris, adversariis jus competit, illam vocandi in dubium, negandi, *nos mandato divino ex sacris literis intellecto instructos illorum cœtu emigrasse:* eum idem jus & Chaldæis conveniebat, quos nihil movere debuit certissima Abrahami de divino jussu persuasio. Si Antagonistæ regerant: nos opinari *duntaxat, Abrahamum verò* scivisse, *quæ DEO adprobentur sacra:* idem & Abrahamo opponi potuit à Chaldæis: putas tantum, *te à DEO aliorsum vocari, nos* exploratum habemus, *te falli.*

§. 1007.

Nunquam defendent Abrahamum, nisi præstruant, quod litis κρινόμενον est, nisi supponant, id, de quo adhuc quæritur: nempe, *nos discedendo in partes errasse. Abrahamum non errasse.* Ineptissimum vero illud ratiocinium esse, quo nihil probatur, *nisi jam verum antea esse fingas*, quod probandum est, vel Tyrones in logica norunt, itaque nullum inest in illo argumento, de quo §. 996. robur, nisi præstruas ea, quæ demum per illud probanda sunt.

§. 1008.

Unum adhuc restat, quod cum exigua specie opponi potest. *Abrahamus auctoritate DEI certissime nitebatur, nec illud monitum divinitus immissum aliter interpretari quisquam potuit, quàm eo modo, qui menti divinæ consentaneus erat: At nos non æque certa & explorata DEI freti sumus voluntate. Provocamus ad scripturam; sed illa ipsa oracula quibus confidere placet, innumeris sunt obnoxia interpretamentis. Qualibet hæresis ad sacras literas provocat. Nec datur ulla tam absurda opinio, cujus Patroni non suum in S. Codice præsidium quærant. Hinc tot commentariorum plaustra, hinc tot interpretum digladiationes, hinc tot Criticorum emendationes, depravationes, hinc litium sacrarum immensa varietas, gravitas, molestia. Quis emetietur Criticæ, Hermeneuticæ, Polemicæ Artis per infinita patentem campum? Incerti igitur*, dubii ancipites *hæremus de vero voluntatis divinæ sensu, nisi exsistat auctoritas quædam falli nescia, superior omnibus nebulis, quæ tot dubiorum vapores disjectos* *luci*

luci locum concedere cogat. Meis hîc verbis adversariorum argutias nervose contraho, ne eorum prolixas de his rebus orationes, integris voluminibus comprehensas, inserere cogar cum copiæ nausea, *neve citationum complurium pompâ videar plus inservire cognitioni historicæ; quam rebus ipsis,*

§. 1009.

Quam vera nunc esse cognoscuntur Viri illustris verba: § 987. *Veron & quelques autres, qui ont outré la dispute contre les protestans jusqu'à s'abandonner à la chicane se sont jettés â corps perdu dans le scepticisme.* Argumentum §. 1008. prolatum ex pharetra scepticorum desumtum est. Major propositio ejusdem, disertis verbis, quod in examine sophismatum decet, præmissa hæc potissimum est: *Quidquid multis interpretationibus & dubiis obnoxium est; quod Auctores in varias, diversissimasque partes trahint, negantibus his, affirmantibus illis; ex quocunque absurdissimas opiniones multi probare conantur; quod denique exactissimam diligentiam requirit, ob latissime patentes materias, dum perfecte comprehendatur, ejusmodi est, ut, sine judice, falli nescio, ei fides haberi tuto nequeat. Atqui sacer codex obnoxius est tot interpretationibus. &c. &c. E.*

§. 1001.

Eximios scilicet Ratiocinantes! *Vera si est prima propositio, nulla* nec in sacris nec profanis scientiis vera amplius est propositio. Nam quæ, amabo, veritas sive *theologica* sive *philosophica* est, quæ non sit experta Adversarios, & variis lacessita dubiis? Quid est, quod arri-

deat omnibus? Nulla notio tam evidens, tam certa, tam indubia, de qua non, qui dubitent, exsistant. *Vigilantes Adversarios*, quæ objiciunt, *prodidisse literis; illorum maxime interest, ut etiam atque etiam affirment! somnia enim a nobis audienda non sunt:* sed quis nescit, scepticos etiam de eo ipso dubitasse, hâc ratione commotos, quod & somniando nobis per quietem sæpe scribere videamur, *quum non scribimus*. Probent igitur, *se hæc contra nos, sensibus somno non ligatis*, perscripsisse. Non audiri vero merentur id probaturi, donec, quæ ipsorum hypothesis est, auctoritate falli nescia, i. e. sacrorum ejusdam Antistitis, probent, *se scripsisse vigilantes.* Legant sui sodalis, celeberrimi Galliæ Episcopi Huetii libellum, cognoscent illorum sensui subtilissimas argutias obstare, de la foiblesse de l'entendement humain. Sed quem adeo mente captum fingas, qui his dubiis commoveatur?

§. 1011.

Ex scriptura, inquiunt, *absurdissimas opiniones multi probare audent. Sed & ex philosophia*, sunt, qui sententiarum monstra confirmare conantur. An idcirco Pontifice opus est, lites illas philosophicas diremturo? *At majoris momenti est componi lites de religione coortas, quam de rebus philosophicis: illæ salutem æternam attingunt, hæ non item.* Veritas sua luce radiat, cujus cognitio, tantum abest ut judice falli nescio indigeat, quantum abest, ut auctoritate erroribus superiore, opus habeam, ad id, ut, *à me solem visum*, certo cognoscere liceat. *Etiamsi enim* somniantes *etiam*,

in luce se versari, imaginentur; id non obstat tamen, quo minus, qui revera solis splendore afficitur, certissimus sit, se lucem conspicari. Atram nivem Anaxagoras dictabat, (suo sensu) nec tamen quisquam est, quem hominis sententia, in dijudicando ejusmodi phænomeno, reddat dubium.

§. 1012.

Interpretationes quorumvis oraculorum, queis fidei dogmata innituntur, innumeræ sunt, opus igitur est judice, verum significatum, certissimâ notitiâ, definituro. Quis hæc serio requirat? Nam si oracula tot dubiis vexata intelligi sine judice nequeunt; *profecto & ea, quibus Adversarii, Pontificis sui auctoritatem summam, demonstrare connituntur*, sine judice in neutram partem, *nec illorum, nec nostram, trahi poterunt*, donec accedat Arbiter, *nec illorum nec nostræ addictus caussæ*, qui sit ab eorum Pontifice, in propria caussa, non judicaturo, diversus. Sed id ejusmodi est, ut ne Adversarii quidem annuere possint. Agnoscant igitur suarum hypothesium imbecillitatem.

§. 1013.

Ipsum oraculum Matth. 16. v. 18. variis Ecclesiæ Patrum explicationibus (*a*) in diversos significatus trahitur. Cum vero ex eodem, Antistitis sui immunitatem ab erroribus, derivare velint, nec nos primi simus, qui de hac illius interpretatione dubitare incipiamus: *Sane novus arbiter superveniat huic liti oportet*, ostensurus, hoc ipsum oraculum de auctoritate illorum falli nescia agere. *Arbiter ille non potest*

esse ipse romanæ Ecclesiæ Pontifex, quippe cujus auctoritas demum ex illo loco, Matth. 16. v. 18. varie exposito, comprobari debet; *aliter eorum Antistes auctoritate summa* polleret, antequam polleret: Hoc quidem, futuram quippe auctoritatem ex allegato loco demum probaturus; illud autem, ipsam pro se facientem interpretationem, judicio falli nescio, demonstraturus. Quod longe est absurdissimum.

(*n*) Augustinus Tract. in Johann. *Petrus quando claves accepit, Ecclesiam sanctam repræsentavit.* adde & Tr. 124. in Joh, Si vero Ecclesiæ tantum. non Antistiti. ab erroribus cautum est, tum romana Ecclesia, utpote non omnes complexa, ideoque particularis, hac prærogativa destituitur. Hilarius L. VI. de Trin. *Super hanc igitur confessionis Petram Ecclesiæ ædificatio est. - - - - Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum.* Superstruitur ergo, ut huic visum est Patri, Ecclesia non cuiquam Antistiti, sed sanctissimæ doctrinæ, quod Epes. 2. v. 20. confirmatur. L. 1. advers. Jovinian. in fine: *at dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, licet id in alio loco super omnes Apostolos fiat, & cuncti claves regni cœlorum accipiant, & ex æquo super eos Ecclesiæ fortitudo solidetur.* Launojus Epistol. 2. ad Christ. Favvæum edit. Paris. p. 133. *imò veterum patrum nullus est, qui summum Pontificem, cum docet, totam Ecclesiam in his, quæ ad fidem pertinent, vel in morum præceptis, quæ toti Ecclesiæ præscribit, nullo casu errare posse vere affirmateque dixerit, & ad propositionis istius confirmationem loca illa scripturæ adhibuerit. scil. Joh. 11. pasce oves &c. Matth. 16. ædificabo.*

§. 1014.

Auctoritas igitur supremi sacrorum judicis, aut fundamentum habet, aut non habet. Si non habet,

habet, cur ea moveremur? Si habet, tum id vel ſcriptura nititur, vel recta ratione. Recta ratione niti non poteſt, ob ea, quæ Vir illuſtris demonſtravit. v. 983. 984. Itaque, ſi quæ ejusmodi auctoritas eſt, nititur S. Scriptura. At vero, quomodo huic eſſe ſuperſtructa poteſt? *Ipſi adverſarii infinitis dubiis ſacras litteras obnoxias accuſarunt*; §. 1008. nec poteſt ſacri codicis interpretatio eſſe certa, priusquam auctoritas quædam falli neſcia accedat, accedere vero pontificis auctoritas nequit, niſi ante ſit demonſtrata per ipſam ſcripturam, quam tantopere obtrectant. Si igitur ob dubiorum infinitam varietatem fides non habenda ſacro codici, tum nec habenda, quum pontificis auctoritas inde confirmanda eſt.

§. 1015.

Claudam diſcurſum verbis Viri illuſtris: *Il faut venir au fait, ſur tout il faudroit remedier effectivement a pluſieurs abus reconnus pas des gens de pieté & de doctrine. Ce ſeroit le vray moyen de lever des obſtracles, autrement pluſieurs s'imaginent, qu'on ne cherche qu'à plaſtrer les choſes, qu'il y a plus de politique, que de zele, & que ceux qui crient le plus, croyent le moins. Il y a autant de maledictions contre ceux qui participient aux abominations, qu'il y en a contre ceux qui rompent l'union: on oppoſe prejugez contre prejugez, nouveautez contre nouveautez, Peres contre Peres; mais la balance propre à les peſer les uns contre les autres n'eſt pas entre les mains de tous les hommes, & n'eſt pas aiſeé à manier.*

§. 1016.

§. 1016.

J'avoüe que je ne dis pas icy des choses fort nouvelles, mais je ne vois pas encore qu'on ait levé ces difficultez. Mr. de Meaux, Mr. Arnaud, Mr. Pelisson, Mr. Nicolle & quelques peu d'autres ont dit des choses admirables; mais il semble qu'ils ne tournent point la medaille, ils approfondissent & cultivent quelque argument avantageux, ils lui donnent de l'eclat; quand on ne voit, que cela, on est frappé. La mesme chose arrive souvent à des juges quand ils n'ont encore ecouté qu'un temoin, mais comme il y a un conflit de raisons, il faut mettre tout en ligne de compte, la recepte, la depense;


§. 1017.

Monsieur de Meaux dans son exposition fait voir que la doctrine du Concile de Trient peut avoir un sens tolerable. Voila qui va bien, & il seroit à souhaiter que les autres Docteurs de son parti parlâssent toujours comme luy. - - - Mr. Arnaud met dans un fort-grand jour la croyence des Orientaux sur la presence reelle; il justifie les Catholiques d'Angleterre d'une conspiration imaginaire; il fait valoir les inconveniens des expressions des Reformez qui soutienent l'inamissibilité de la grace. Mons. Pelisson montre excellement, que les sentimens, ou les experiences interieures ou l'on se doit fier, sont celles, qui sont generales, & que c'est alors la voix de Dieu & de la Nature, qui nous parle; il fait valoir l'autorité du grand nombre la dessus; il releve fortement la necessité d'un pouvoir d'excommunier dans l'Eglise.

§. 1018.

Mr. Nicolle prouve impraticabilité d'un examen

men particulier exact; & tous ces hommes illustres sçavent trouver merveilleusement le foible de leur adversaires, mais ces victoires particulieres ne decident point. Il me semble, qu'on voit des braves defier quelq'un des ennemis, & le defaire à la vüe des deux armées, mais ce n'est pas la bataille. Il faut montrer exactement, jusqu'ou va l'autorité des superieures Ecclesiastiques, & la necessité de leur obëir, car elle n'est pas illimitée. *Et il faut prouver que ce pouvoir s'etend sur tout ce qu'on exige de Protestans, ou bien il faut se resoudre à la discussion particuliere & abandonner une bonne fois des argumens generaux non concluans.* Hann. p. 294. sqq.



CAP. VI.

DE CULTU IMAGINUM.

§. 1019.

CUltum imaginum imperare, est idololatriam, (peccata) imperare; itaque ex impedimentis pacis inter duas Ecclesias componendæ, præcepta imaginibus supplicatio, præcipuum est.

§. 1020.

Vir illustris de ea re mentem suam ita exponit: *Imagines infigunt menti humanitatem, ut Deitatem non cogitet, abducuntque à vero DEI conceptu, & quid hinc sequitur, ejus amore. Intueri imagines inter precandum periculosum est, & à ratione alienum, quia abducunt mentem à profundioribus cogitatis ad corporales imagines.*

§. 1021.

§. 1021.

Adprobo interpretationem verborum Christi: Joh. 4. v. 24. *DEum adorandum in spiritu*, nempe preces ad eum fundendas, *Spiritûs S. adiumento*, *non propriis viribus*, *mente adtentâ* ac devotâ, *non* ore tantum: sentio tamen huic explicationi locum non esse, nisi addas, DEum adorandum *solida animi cognitione*, *quæ in eum feratur*, ut est spiritus, id innuunt verba antecedentia. Eo pertinet Christi consilium, ut ideam DEI non formes precaturus, quæ respondet speciei humanæ, aliarumque rerum corporearum. *Quantum enim illa Phantasia augetur*, *tantum demitur honori Numinis*, ut Spiritûs.

§. 1022.

Difficile est, ut mens humana DEO sub specie hominis repræsentato tribuat cogitando plura, *quàm hominibus virtute ac honoribus præditis*, Regibus, Principibus, quorum auxilia implorantur, convenire sentimus. Qui sensus uti à gentium idololatria, *DEOS pro præstantissimis naturis*, regibus, geniis, *habentium*, proxime abest, ita Christianô quoque judicari debet multo indignissimus.

§. 1023.

Sed imagines, si quæ adorantur, illum de DEô errorem *non conservant solùm*, *sed* & excitant, *ac pariunt*. Tutum igitur non est, vultu in eas converso, sacram ad Cœli Arbitrum dirigere orationem.

§. 1024.

Perfectionem DEI propriam, *v. g. scientiam omni-*

omnium rerum omni loco, tempore, potentiam præstandi, quæcunque optas &c. tribuere rei creatæ, vel doctrinâ, vel certe tamen quodam facto, quod illud arguit, *est committere* idololatriam. Quodsi cultus imaginum similem errorem prodit, nulla iniquitate, titulo idololatriæ decorari potest ac debet.

§. 1025.

Aut honor imagini destinatus ad solum prototypum refertur, prorsus non attenta imagine; aut etiam refertur ad imaginem. Quodsi illud *animo* consilium *agitetur*, non est *cur ante imaginem* præcipue in genua procumbamus, *facies* potius & oratio in Cœlum *esset dirigenda*, ne id incommodum oriatur, quod §. 1020, 1021. 1022. notatum est. Immo, si id potissimum spectatur, perinde erit, *sive imagine præsente ores, sive absente*, sive illas omnes ex templis elimines, sive non, *dummodo earum*, ubicunque repertarum, *vel* unico adspectu in memoriam prototypi redeas, quod solum adorare cupis. Quo facto posthæc nec ut in genua procumbas coram imagine, nec ut ad eam vultum precesque dirigas, in officio erit.

§. 1026.

Quodsi vero imaginem adoraturus honorem quendam imagini destinat, oportet in ea *quandam esse perfectionem, eo cultu dignam*; cuilibet enim honori, per definitionem, quâ continetur, respondet in honoratis perfectio, *sive vera, sive imaginaria.*

§. 1027.

§. 1027.

Perfectio omnis ad tres poteſt revocari claſſes, Prima complectitur, quidquid res quælibet naturâ præſtantiæ habet, *ut ſol ſplendorem, Terra vim fecundantem, opus ſingularem artem, vel eximiam materiam, gemmas, aurum, marmor &c.*

§. 1028.

Altera perfectionum claſſis ea ſiſtit, quæ ſingulari & naturam ſupergreſſa operatione DEI in rebus præſtantur. Hujus ordinis pietas eſt, quæ in hominibus S. Spiritus adjumento plantatur. *Huc pertinent divina miracula, quibus exhibetur præclarus quispiam effectus, facultatis ominandi futura in Prophetis, reſtitutæ valetudinis, in eis, quibus Prophetas, Apoſtolosque felici ſucceſſu adire contigit. Huc ea referuntur, quæ triumphantibus in in cœlo animis à glorioſæ DEI majeſtatis adſpectu ad beatiſſime vivendum ſempiternis ſpatiis, tributa ſunt.*

§. 1029.

Tertia claſſis perfectionum ſupremas & DEI unius proprias virtutes comprehendit, quarum numero veniunt, *omnium rerum* ſcientia, *ideoque & præſenſio, quarumlibet* ſuprema poteſtas & arbitrium, *ſumma* juſtitia, *omne ſuum, cuiq; rei exſiſtenti, ſtudium tribuendi* &c. Benignitas *omne bonum cum omnibus communicandi*, quoad per ſupremam ſapientiam licet.

§. 1030.

Adorantis igitur cultus, ſi ad imaginem ipſam refertur, trium generum §. 1027. 1028. 1029. vel unas, vel omnes perfectiones proſequitur. Sed primi generis perfectio non fundare cultum poteſt, qualem

qualem illi imaginibus exhibenr. Nam si naturalis rei præstantia tali honore digna est, quodlibet opus â perito Artifice affabre elaboratum, quælibet materia cara pretio, gemmæ, aurum, argentum, sol, Terra frugum feracior, adoranda erit eô modô, eâ animi observantiâ, quâ illi afficiunt imagines. Id quod procul dubio faciendum, vel à se factum esse, perpetuo negabunt.

§. 1031.

Itaque altera forte classis perfectionum, cultûs, quem sub examen vocamus, fundamentum erit? Forsan res, circa quas, aut in quibus miracula à DEO perpetrantur, ejusmodi honoris merita ineunt. Imago Mariæ DEum enixæ, eademque portentis celebrata, cultum, de quo dicimus, meretur? Fac, ita esse. *Cur cultum non exhibes* Mariæ ipsi? *cur imaginis* occasione *tantum, seu potius* indicio *admonitus, instrumentum, quod admonet, veneraris, non ipsam* effectricem? An lucernam Aristophanis eodem honore afficimus, quo ipsum, quia eò in studiis instrumentô usus est? An terram, quæ miraculo dehiscens turbam Koræ, Dathanis & Abirami hausit, eodem cultu prosequimur, quô DEum, portenti auctorem?

§. 1032.

Aut vis, quâ illa imago miracula edit, conjuncta est cum imagine, aut non est. Si est, non magis sequitur, *eam adorantium reverentia dignam*, quàm tellus digna est, largos fructus protrudens, singulari divina operatione. Eum quippe si mereret honorem, præclare Gentes, Cererem, i. e.

terram adorando, egissent, nihil enim per Cererem intelligebant, quàm vim ejus fecundantem. Non magis sequitur, *imaginem esse adorandam ob miracula*, quam sol, tempore Christi, miraculo obscuratus, adorandus erat, vel, *quàm Prophetæ in* hac adhuc vita degentes *adorandi fuerunt*, *cum quibus facultatem miracula perpetrandi* communicaverat, ac *conjunxerat* DEus.

§. 1033.

Ubi vis portenta præstandi non conjuncta est cum imagine, non imagini, sed profecto, illi Auctori, qui præsente *simulacro*, potestatem suam commonstrat, honor debetur; potest igitur huic deferri, si vel maxime alio loco, absentibus illis signis, corpus prostraveris; immò, *quoniam* hoc casu *nihil ad miracula effigies conferunt*, *si ab* una earum præsentia *discesseris*, consultius erit, *eam non intueri inter precandum*, per § 1020. ne mens gloriam DEI supremam cum imaginis corporeæ idea in animo commutet. contra Rom. 1. v. 23.

§. 1034.

Sic nec in secunda perfectionum §. 1028. classe pietas, vel maxima, Spiritus S. auxilio plantata in animis facultatem adorandi legitimam arguit: partim quia non usque quaque exploratum est, quos præcipue vera, ac DEO probata pietas exornet; partim quia omnes, quoscunque & in hac vita sanctos judicamus, vel ante obitum, adorandi forent, quod est absurdum.

§. 1035.

At in cœlo triumphantibus forte ejusmodi quid tributum, quod cultum, de quo quæritur, sibi afferat.

tat. Verum quidquid id primo est, non pertinet ad imagines, de quarum honore anquiritur; deinde non quidam, sed omnes beati adorandi forent, quod nemo Adversariorum dixerit; Denique obstat alia caussa gravissima, quæ non infimi momenti est.

§. 1036.

Fac Mariam, illorum judicio, beatissimam inter omnes, jure adorari, profecto non erit sufficiens quantalibet civium cœlestium perfectio secundæ classis, §. 1028. ad ea divæ Virgini præstanda, quæ requiruntur, ubi à Terræ incolis religioso honore condecoranda est.

§. 1037.

Vel singulis horis, ne dicam, momentis *multa hominum* millia, ex locis diversissimis, *orationem* & mentem suam *ad* Θεοτόκον, seu *divam Virginem, dirigunt, de rebus necessitatibusque* infinite variantibus, nec earum precum, in terris Adversariorum, *vel uno die* fit intermissio, ut vacaret Virgini tempus, ea, quæ ex innumeris locis, uno momento, *à se petita sunt*, ordine cogitandi; (res enim diversissimas infinitæ varietatis, ne Angelus quidem, vel generatim beatissimus quisque spiritus finitus, *quia finitus est*, uno temporis puncto, *complecti potest*,) itaque quantacunque sit felicitas gloriosissimæ feminæ; non tamen eo exporrigitur, ut illi *tot supplicationes, festa, preces, sacra, templorum adparatus, & quod plus est, cogitationes, destinationes arcana, vota suscepta*, innumeris locis ab infinitis hominibus, omni temporum tractu, diu noctuque, (sunt enim & apud Antipodes Mariæ

cultores, orantes, quum nos dulci somno sopiti sumus) *præstita, revelari possint.*

§. 1038.

Quantum abest, ut homo, qui non eâdem λόγυ personâ exsistit, omnia facta humana plene cognita habeat, sive palam prodita, sive agitata corde & animo: *tantum abest, ut* vel Mariæ, vel alteri *cuiquam à DEO revelari possit*, singulis momentis, *rerum* immensa varietas.

§. 1039.

Cum igitur nec secundæ classis §. 1028. perfectiones, quantæcunque cogitentur, pares sint illis operibus exhibendis, quæ ab eo expectas, *quem adorandum statuisti* prudenter nec temere; sequitur, omnem cultum vel imaginibus ipsis, vel earum humanis prototypis exhibitum, *etiamsi* verbis, *ac doctrinâ dissentiatur, & intercedatur*, facto *tamen, &* re ipsa, idololatriam esse, idque per definitionem. §.1024. Ipsi enim Adversarii profitentur, *perfectiones* soli DEO *debitas, non posse sine culpa idololatriæ affingi creatis.*

§. 1040.

Celebris igitur Episcopi in Gallia discursus, quô non tam *sanare* hoc ulcus, quam ejus *saniem* tegere constituit, plane non facit quidquam ad curandum morbum. Confer cum his, paulo ante dict.s, summi Viri verba integra, &, si partium ac affectuum servitute vacuus es, mecum senties idem.

§. 1041.

Concilium, inquit, *Tridentinum vetat, ne imaginibus credatur inesse aliqua divinitas, vel virtus, propter quam sit colenda; vel abs eis aliquid petatur;*

vel

vel figatur in imaginibus fiducia. Vultque honorem omnem, qui eis exhibetur, referri ad prototypa, quæ illa repræsentant.

§. 1042.

Sed pace viri eruditissimi. Non est hæc interpretatio transalpinorum, ubi Ecclesiæ romanæ caput, & sedes princeps fixa est. Aliter Bellarminus de imag. Sanctorum. L. II, c, 21. sub init. p. 828. edit. Colon. Adde Pontificiale Romanum ita pronuntiasse, cujus auctoris, utpote publica, major est privati fide: *Digneris benedicere huic ligno crucis tuæ, ut sit remedium salutare generi humano.* Quid? quod & alia Episcopi sententiæ obstent, mox indicanda.

§. 1043.

Quæ singula Concilii verba totidem notæ sunt, quibus ab Idololatris secernamur. cum ab illis dissentiamus credentibus divini quid imaginibus inesse, ut nullam virtutem tribuamus nisi prototyporum in nobis excitandæ recordationi. Contrarium ex §. 1042. patet. Si de sola prototypi recordatione laboratur, cum quævis littera, quodvis signum in memoriam nostram vocare possit exemplar omne, cum ipsi libri Ecclesiæ Patrum id nobis officii præstent, imo totum hoc mundi theatrum conspicuum DEI cogitationem excitet: Rom. 1. v. 20. Cur non aut imaginum honorem omittimus, aut eodem illo, terram, cœlum, solem, scripta Veterum, omnia reliqua, veneramur?

§. 1044.

Negari sane non potest Christi crucifixi effigiem ob oculos positam acriorem in nobis excitare memoriam ejus qui dilexit nos &c. Quamdiu præsens oculis imago

facit ut in anima dulcissima recordatio perseveret, eo inducimur, ut quam simus tanti beneficii memores externis quibusdam signis testemur, nosque coram imagine aemittendo, quantum divinum illius prototypum veneremur, ostendimus. Itaque ut stricta atque ecclesiastica formula loquamur, cum honorem Apostoli vel Martyris imagini exhibemus, non tam imaginem volumus, quam coram imagine Apostolum aut Martyrem honorare.

§. 1045.

Præsens Servatoris simulacrum cogitationem quidem Christi cum affectu, si nihil obstet, conjunctam accendere potest; sed si imago fecit semel quod suum est, i. e. si memoriam Christi in nobis recoluit, ille affectus non ineptius omni alio loco, quam coram effigie significatur. Ut qui, libro indice, quæ meditanda sunt, semel intellexit, submotô quoque eô, & absente, institutam meditationem incoare & persequi potest.

§. 1046.

Quid? quod perpetuus inter precandum imaginis adspectus animam sensim à Christi beneficiis ad materiæ præsentis ideam revocare potest, ut vel inopinus ipse, effigiem quandam tot bonorum origine ornatam, sibi persuadeat. vid. §. 1020.

§. 1047.

Si memoriæ duntaxat refricandæ caussa consecratæ Christo effigies adorantur: quidni possit idem honor, rebus, quæ Christum repræsentant, vivis, iisdemque Episcopi manu consecratis, v. g. *agnis, hircis, juvencis*, &c. decerni? Cum his enim ipse

sacer

ſacer Codex Servatorem comparat. Joh. 1. Ebr. 9. Cur hæ res non poſſint in aris publice collocari, poplite flexo, adorari & Chriſto honor certus & debitus exhiberi?

§. 1048.

In ſacris proceſſibus, magnæ hebdomadis die, quâ optimus Liberator crucis pœnam ſubiit, nemo magis Chriſti memoriam refricat, quam qui loris vinctus, militibus ſtipatus, crucem bajulat & circumgeſtat. Videas ejusmodi hominem ab omnibus, tecto capite, adſpici: & quem inanimis, manu factis artificum, efformatisque lignis præſtant cultum, denegatum obſerves homini vivo, ratione prædito, Chriſtum repræſentaturo. Aut igitur illi honorem ſimulacro deſtinant verum, nec memoriæ tantum cauſſa prototypo debitum, quod hactenus negant; licet alii non diffiteantur: aut & ejusmodi homo, cujus obtutu quam maxime in Chriſti memoriam venire licet, præ multis, imo cunctis effigiebus, honorandus eſt. Quod illi tamen facere magnopere detrectant.

§. 1049.


Convertatur inter preces data opera oculus in homines unà in templo verſatos, continuo animus alienis cogitationibus tentabitur; nunc hoc, nunc illud ſuccurret, attentio interrumpetur, nec unquam fixa in DEO mente orationem poteris abſolvere. Idem non poſſe non fieri, aut uſu venire imagines, proſtrato corpore, venerantibus irretorto vultu, vel ipſe uſus docet. Quo enim elegantior, nitidior, pretioſiorque imago, eo major ad illam credulorum eſt confluxus. per §. 1010.

§. 1050.

Magistratus subditis, utor verbis alienis, *pater filiis, nunquam id permittet, ut cum quidquam petituri sunt, ad effigiem magistratûs & parentis accedant, caput coram ea inclinent, oculisque in ea fixis suum animi desiderium explicent. Si subditi, ac filii se id non in simulacri honorem, sed majoris tantum attentionis ergo facere dixerint. - - reponet uterque: Ergone homines vanissimi, mei estis tam obliti, ut ne per exiguum quidem temporis spatium loqui mecum possitis, circa mentis dissipationem, oculis ab effigie aversis? Omitte illas nugas. Non jam cum imagine mea, sed mecum ipso vobis est negotium.*

§. 1052.

Cum igitur memoriæ caussa imagines non possint dici, cultæ, nisi varia, absurda admittere non dubitemus; §. 1047. 1048. 1049. sequitur in eis ab Adversariorum cœtu vim certam plantatam credi debere, quæ tanti honoris fundamentum sit, quæ, cum non possit esse primi §. 1030. aut secundi ordinis §. 1031. 1032. 1033. seq. necesse est profiteantur, eam ad tertium referri [illegible] sse; §. 1029. quo ipso in teterrimam idololatriam incurritur. per §. 1024.



Cap. VII.

De necessaria animi præsentia in actionibus sacris.

§. 1053.

AD finem properantes pauca Viri illustris verba in hanc rem proponemus. *Il n'y a rien qui soit absolu-*

absolument en notre pouvoir. Mais il n'y a rien qui le soit plus que nos propres pensées. Et c'est pour cela même que nous en devons rendre compte plus que de tout autre chose.

§. 1054.

Ob animi enim seu cogitationum præsentiam, absentiamve, respectu agendorum, imputatur pars magna ejus, quod imputari potest. Etiam in foro humano, ubi in actionis meritum inquiritur, opera datur, ut ex certis indiciis consilium, destinatio, intentio, (cogitatio agentis, dum egit) certa æstimatione cognosci queat.

§. 1055.

Itaque propter animi cogitationem in agendo pœna externo operi statuitur. Quidquid ex mero corporis mechanismo, mente alio intenta, quam quo machinæ motus erumpit, proficiscitur, culpa judicatur vacare. Qui tubum plumbeô globo ac pulvere nitrato onustum, in metam defixis oculis dirigit, præter omne consilium discursitantem, ac signo ordinario satis monitum, scopo adstantem custodem, seu Indicem trajectum necat, non visum seu observatum, is ab omnis homicidii turpitudine absolvi solet.

§. 1056.

Cum tamen humana respublica non sequatur nisi tranquillitatem & commoditatem externam; sequitur, si quid ad eum finem à cive collatum sit, vel non cogitante, absque omni consilio, tamen id haberi ratum, quod ipso opere civitatis scopus attingebatur: at si ab eo fine aberratum, de animo aberrantis constare prius debet, quam decernatur pœna. Homines enim in civi-

tates ituri non consensisse intelliguntur, ut luant id, quod nullo contigit ipsorum consilio, unis mechanismi, quo corpus humanum in quibusdam motibus regitur, legibus, fatalis eventûs caussam præstantibus.

§. 1057.

In omni igitur pœna præsentia animi respicitur, in præmiis & præclare gestis non item. Si actioni perpetrandæ turpi animus præsens sit, i.e. si peccaturus sentiat, & cogitet, se peccare, locum habet DOLUS: si animus quidem præsens non sit, ex officio tamen præsens esse, & factum impedire debuisset, oritur CULPA, lata, levis, levissima, pro oscitantiæ gradu.

§. 1058.

Civitatis DEi alia conditio est, quàm rerum publicarum hujus Terræ. Cum enim illa sit societas omnium spirituum finitorum, omni tempore, omni loco degentium, sub rectore DEo, cujus conjunctionis finis est, publica *omnium* non solum pax & tranquillitas, quibus mala tantum grandiora depelluntur, nondum obtenta omni perfectione possibili; *sed &* harmonia, decor, pulcritudo impetrabilis quælibet, qua non solum mala declinantur, sed & bona omnia *intenduntur, efficiuntur*, quoad per rebelles sapienter fieri potest: sequitur non solum nullam pœnam, sine civium destinato dolo vel culpa, quod fit in civitatibus humanis §. 2057. sed & ne præmium quidem cuiquam obtingere, nisi exsistat perfectissima animi cum actione exteriori harmo-

nia

nia & perfectio, i.e. nisi ANIMUS ACTIONI PRÆSENS SIT.

§. 1059.

Recte igitur verbis supra citatis subjungit Vir illustris. *C'est un paradoxe aupres des hommes, qui ont coutûme de dire qu'on n'est point reponsable des pensées. mais cela ne se doit entendre que devant eux. Et neamoins les juges mesmes ne punissent que les pensées dans les actions.*

§. 1060.

Confirmatur hoc exemplo pœnarum omnium, cum divinarum §. 1058 tum humanarum, §. 1057 quarum nulla infligitur, nisi ob cogitationes pravas.

§. 1061.

NOUS SOMMES FAITS POUR PENSER. *Il n'est point necessaire de vivre, mais il est necessaire de penser, & nos pensées nous suivront au delà de la mort. Il est vray que nous penserons eternellement, mais il n'est pas moins vray, que nos pensées futures sont une consequence des pensées presentes.*

§. 1062.

Conditi sumus ob gloriam DEi. Gloria DEi ponitur in perfectionum ipsius manifestatione, repræsentatione & cogitatione à Spiritibus finitis facta: nec res inanimæ gloriæ DEi inserviunt, nisi quia nos de iis cogitantes, ex illis speciminibus, perfectiones DEi intelligimus: Itaque eo fine sumus formati, ut cogitemus. §. 1061.

§. 1063.

Duraturas vero nostras cogitationes vel ultra mortem, inde cognoscitur, quod corpus præsens,

ſens, quo mens veſtita, animi perceptiones tantum determinat, i.e. per corpus, quod geſtamus, efficitur tantum, ut de his rebus, v. g. terreſtribus, cogitemus, non vero de aliis, (cœleſtibus) ut, ob corporis temperamentum, ſic cogitemus, nec aliter, non autem hoc depoſitô corpore, *ſequitur, nos non amplius cogitaturos, nullo modo*; manebit potius ipſa vis cogitandi, licet determinatio, quæ interventu mortalis corporis vim cogitandi in res mortales dirigit, ceſſura ſit.

§. 1064.

Sed cui mens non læva eſt, excuſſa mortalis corporis, ad res caducas cogitationes reſtringentis, ſervitute, tyrocinia res æternas cogitandi, ſitiendi, in hac adhuc vita deponit, ut, facto hinc diſceſſu, mens rerum perfectiſſimarum, earundemque ſempiternarum, adſpectu frui poſſit.

§. 1065.

Cogitationes autem futuras poſt mortem ex iis, quibus nunc ante mortem afficimur, juſto ordine prodituras eſſe, C. IV. de Immortalitate animi probatum eſt.

§. 1066.

Cette, conſideration nous doit porter à rectifier & à perfectioner nos penſées preſentes, autant, qu'il eſt poſſible; non pas qu'il faille negliger d'agir; au contraire on ne penſe jamais mieux, que lors qu'un penſe à ce qu'on fait.

§. 1067.

Si eo conſilio facti à DEo ſumus, ut COGITEMUS; §. 1062. tantum abeſt, ut ea ratione vita

ta in speculationibus solis exacta, more Monachorum, & Anachoretatum, commendetur, ut potius nunquam nostræ cogitationes rectiores fiant, cùm in sacris, tum in profanis, quàm si usu rerum agendarum perpetuo fecundentur, ac diffundantur in partes vitæ quam plurimas.

§. 1068.

Quo plura præsente animo agimus, cum in divino cultu, tum in negotiis reliquis, eo expeditior pariter ac utilior evadit nostra cogitandi vis. Quod contra fit in iis, qui à rebus in vita civili tractandis remoti, & parietibus ædificiorum densis conclusi, & velut captivi vivunt, quos tametsi perpetuæ speculationes, sed ab experientia alieniores, exerceant, eorum tamen meditata, nescio quam humilitatem sapiunt, sterilia, abstracta nimis, & ad vitæ usum non accommodanda sunt.

§. 1069.

Cependant il y a certaines grandes & importantes pensées à regler, qui se repandent sur toutes nos actions. On y sauroit penser avec trop d'attention, & c'est, qu'on appelle la veritable Philosophie. Hann. p. 210.

§. 1070.

Præstantissima cogitatio, cujus Vir illustris mentionem facit, & quæ diffundi solet aut potius debet in omnes vitæ partes, tum exsistit, quum animus in id fertur QUOD INTEREST CIVITATIS DEI, i. e. in publicam harmoniam, decorem, perfectionem societatis maximæ, quæ RECTORE DEO continetur, & ex qua sapientia, benignitas, potentia Numinis, quæcunque in ipso est, refulget. Ipsum Christi imperium pars illius

societatis

ſocietatis eſt, nempe *ipſa DEi civitas, quatenus publica ſtatûs prudentia verſatur circa revocandos ad frugem nonnullos rebelles.*

§. 1071.

Il faut avouer que les hommes ont fait, des progres conſiderables dans peu; Mais il me ſemble qu'on s'eſt arrêté en beau chemin quoy qu'il y ait aſſez d'ouvertures pour aller plus loin. Les Anciens & les modernes ſur toût de nôtre ſiecle ont fait pluſieurs reflexions grandes, mais hors ce qu' - - avoit mis en ſyſteme, elles n'avoient pas aſſez d'enchainement.

§. 1072.

Dolendum eſt, nexûs ſacrarum veritatum, in quas intenta cogitatio eſſe debet, haberi quidem curam aliquam: non enim in Theologia jus aliud ex alio colligendi omnes negant, etiamſi judex falli neſcius ex machina non ſuperveniat: plura tamen negligi, quorum de nexu, ſi ſoliciti eſſemus, accuratius ea intelligerentur.

§. 1073.

Quot v. g. obſcuræ notiones obfuſcarunt doctrinam de gratia DEi hominem revocatura ad frugem? ſi nexus veritatum ſacrarum & inter ſe, & cum philoſophia ſaniori expenderetur, ſi, quæ animi natura & indoles ſit, quomodo aliquid velit, nolitve, quid in animo, & quantum fiat præparationis, dum eliciatur appetitus, &c. &c. diſtinctiſſime evolverent, nunquam tot lites fidem eſſent diſcerpturæ.

§. 1074.

Non quærendæ ſunt veritates novæ antiquis opponendæ, (ſunt enim connexæ omnes) ſed iisdem

dem addendæ, non quibus pristinæ dudum cognitæ subruantur, sed profundius eruantur. Hæreticus non est, qui, missis orthodoxis parum dextre colligatis dogmatibus, (vid. exemplum C. IV. §. 952. seq.) easdem receptas veritates rectius connectit.

§. 1075.

Falluntur, qui existimant, nihil posse in animo à DEo fieri sine cogitatione cum conscientia sui. Agi in mente infinita, quorum nullo sensu distincto tangaris., supra demonstravi §. 10. Sect. I. C. I. *de caussis quare in tanta Veritatis luce &c.* Quodsi igitur sub DEo natura mentis, vel te inscio, nec animadvertente, tam operosa est, cur non à DEo multa præstari in mente possint, sine naturæ interventu?

§. 1076.

Hinc quid de fide infantum, per baptismum excitanda, sentiendum sit, intelligitur. Si, tanquam in semine futuræ plantæ stamina, eorum omnium notiones in te recens nato complicatæ erant, quæcunque olim percepturus, imo & cogitaturus eras; §. 949. C. IV. Si olim infans vim cogitandi habuisti vel inscius, suo tempore domestico nisu explicandam: profecto & vis quædam plastica bonarum actionum, olim explicandarum, maturescente judicio & ætate, jam inde ab incunabulis tibi ingenerari potuit, singulari divina operatione per baptismum edita.

§. 1077.

Si menti cogitationes, imò & sensuum perceptiones quævis extrinsecus offeruntur, ab organorum

norum corporis, quibus tangitur, motu, profecto & fides animum intrare non poteſt, quàm ſi, adoleſcente ætate, animam adhuc perceptionibus vacuam, & ad omnes ex æquo paratam, motus nervorum acuſticorum ita attingere poſſunt, ut imprimatur audito verbo divino, cogitatio cum conſcientia ſui. Tum enim demum fides generabitur, ubi mens ad oracula DEi advertens, cum ſui ſenſu de ſalute per verbum oblata, cogitare poteſt. At vero animæ naturam obſtare, quo minus *à re creata*, extrinſecus tacta, perceptiones accipiat, exploratiſſimis rationibus probari poteſt. De quibus ſuo loco.

§. 1078

Dixi conſulto (à re creata §. 1077.) Motus enim illi à ſono verbi divini, quantumvis viribus divinis ſtipati cum excitentur, rerum creatarum numero habendi ſunt. Alia conditio eſt DEi conditoris, qui uti animam, potentiſſimæ operationis argumento, creavit, eidemque indidit complicatam omnium futurarum notionum vim, ita quoque eâdem Conditoris efficacia, præter id quod naturâ mens à DEo habet, potuit addi cœleſte ſemen bonarum cogitationum, ſuo tempore evolvendum, ſi homo perfidus baptiſmi fedus non violaverit, illuceſcente rationis uſu.

§. 1079.

Ex adverſo errant ii, qui peracta à ſacerdote ceremonia ſacrà, meliores fieri etiam adultos *homines poſſe putant*, etſi, quid rerum agatur, illi non cogitent. Quod ex opere operato (ſic enim loquuntur) factum dicunt.

§. 1080.

§. 1080.

Ad omnes igitur actiones sacras præsens est afferendus animus, si cum fructu quidem susceptas velis adultus. Nihil est enim cultui, quem DEO debemus, tam inimicum, quam motus corporis mechanice velut ortus, à quo mens omnis & cogitatio abest.

§. 1081.

Id vero non ita capiendum, perinde ac si DEus non aliquando homini pio, in sacris cum rerum præsentium cogitatione semper versanti, imprimat affectus ulterioris gradum, absque distincta beneficii collati, dum confertur, conscientia. Multa enim in anima, ut sæpe dixi, fiunt, quæ facta esse, longâ interposita demum mora, cognoscimus. Argumento sunt omnes habitus sensim contracti.

§. 1082.

Vir illustris in hanc rem ita disserit: Meth. Jur. p. 4. *Infusio est vel divina vel diabolica. Divina exempla habemus in dono linguarum apostolico, etsi quidam ultra illam ecstasin durasse non putent, quo sensu non esset habitus, quia non permanens. In historia ecclesiastica simile habemus exemplum de S. Ephræm Syro, qui precibus Basilii Magni subitam linguæ græcæ cognitionem obtinuit. - - Nec hodie infusio divina abesse putanda est, hoc enim sine divinam nostris studiis benedictionem imploramus.*


§. 1083.

Si animus igitur pius multa consequitur, vel & inde à primis natalibus comprehendit, quorum conscientiâ plane nullâ tangitur: quæ tamen nisum, suo tempore explicandum exhibent; Quidni, ope-

rante DEO singulari efficacia, mens vel inscia semen cœleste, i. e. ineffabilem in bonas cogitationes, quæ non impeditæ aliquando sui sensum excitent, propensionem concipere possit? Aliter nec habitus infusus, qui menti non consciæ donatur, in adulto exsisteret.

§ 1084.

Non opus est cogitatione distincta cum sui sensu, non attentione, non cognitione in se reflexâ; sufficit ad bene olim cogitandum mentis præparatio præsens, arcana velut vis elastica, pronitas, inclinatio suo tempore actionem protrusura. Existimo neminem eorum, qui sacro fonte abluti, esse, aut fuisse sciuntur, quin, simulatque aurora rationis illucescere cœpit, si fidus gratiæ observator sit, singularem pro cere Christo primum laudato affectum in se queat sentire. Sed de his satis.



Cap. VIII.

De vita æterna.

§. 1085.

In omni actione Christiana caput rei est, ut futuræ felicitatis, cujus spes in Christo uno nobis proposita, cogitatione, animum ad omnia præclare facta formemus. Cui rei impetrandæ sequenti consilio nos instruit Vir illustris:

§. 1086.

Constat Martyres cruciatus exquisitissimos sustinuisse non alia ratione, quam forti imaginatione futuræ voluptatis, nam alioqui dolori aut voluptati obsistere nobis

nobis impossibile est, nisi contrariis oppositis. Sapientis erit semel in universum sibi firmiter imprimere pulchritudinem futuræ vitæ, id est, DEI, in quo consistit est amor DEI, seu harmoniæ rerum.

§. 1087.

Forte animum subit dubitatio, *non à phantasia hominis sapientis; sed à Spiritu S. arcessendam tantam mentis firmitatem in subeundis vel acerbissimis doloribus.* Verum cave opponas subordinanda. Audito DEI verbo, cum quo Spiritus S. operatur, homo, quæ promissa sunt, vivaci imaginatione repræsentat, nec quidquam agit, futurarum rerum conceptâ spe immota, nisi quod à Spiritu S. profectum est.

§. 1088.

Hanc si satis fortiter sibi impresserit, si ex hac voluptatem perpetuam capiat, si hæc semper recurrat, duo sequentur; tum ut homo semper agendo respiciat finem, tum ut nullis tormentis ab amore DEI separari possit. Adeo ut in tauro Phalaridis beatitudinem unice cogitet, cum Stephano sub lapidibus cœlum sibi apertum repræsentat.

§. 1089.

Concinit Paulus, *se missis ex animo*, inquiens, *quæ post tergum sint, ad ea consequenda compositum totum, quæ fidei oculis obversentur, persequentem illustrem metam, & brabeum, quod vox cœlestis impetrandum proposuerit.* Hinc in mediis rerum adversarum turbis de futurarum rerum præstantia cogitare jubemur *exemplo*, Hebr. 10. v. 34. *præcepto* Hebr. 12. v. 2.

§. 1090.

Hoc qui poterit omni humana vi superior erit, nec

arte se in stuporem dandi, cum torquetur, indigebit. Hac imaginatio in optima republica ab infantia usque, omni artificiorum apparatu hominibus sine discrimine, sapientibus non minus quam vulgo, imprimi deberet.

§. 1091.

Quin Paradisus terrestris, cujus cultor Protoplastus fuit, innumerarum suavitatum, cœlestia in memoriam vocantium, abundantia & affluxu, Adami phantasiam futuræ felicitatis imagine semper exercuerit, & in obsequio continuerit, dubitari non debet.

§. 1092.

Nam etsi virtus omnis à DEI beneficio profecta in animo radices agat, tamen cum res externæ per sensus animum percellant, & vel dolore conturbent, vel voluptate demulceant: fieri in omni spiritu finito potest, ut, si in rerum externarum tali concursu collocetur, qui doloris vel voluptatis magnitudine firmitatem mentis superet, idem Spiritus desciscat, nulla necessitate, qua facultas perseverandi excluderetur, adactus, sed illis irritamentis tantum inclinatus.

§. 1093.

Itaque quamdiu Protoplastus immensam DEI benignitatem ex tot deliciarum paradisi speciminibus argumentisque, vivaci phantasia, sibi repræsentavit, ab errorum & culpæ periculo tutus fuit: Ut primum verò majorem sibi & imaginariam felicitatem animo finxit, aut mali Genii mendaciis oblatam statuit consequendam, animus ad defectionem præparatus fuit.

§. 1094.

§. 1094.

Quæ caussa est, quare nostræ phantasiæ, tot objectis passim in transversum rapiendæ, Christus consuluerit, conspicuâ corporis & sanguinis sui tesserâ, *sacro epulo*, quo fit, ut hospites digni, cœlestium virium adjumento, incomparabilium beneficiorum, Christi supplicio nobis obtingentium, vivam sibi forment imaginem, quæ meliores subinde reddit, nec unquam sinit esse improbos.

§. 1095.

Ex eadem caussa intelligitur, quamobrem beatarum sedium incolæ in omni virtutis studio confirmati sint? Nam cum corpus mortale, cujus sensus malorum escas capiunt, iisdemque mentem flexilem contaminant, deponant in sepulcro; contrà divinis voluptatum generibus posthæc perfundantur: fieri non potest, ut quidquam eorum animos fortius afficiat, quam præsentes rerum concursus tangunt, qui quanti quanti sunt, ad sempiternam DEI laudem & gloriam, i. e. virtutem, accommodati sunt.

§. 1096.

Cave indignum pronunties, *quod finito Spiritui cuicunque, nisi fortissima rerum divinarum idea afficiatur, defectionis à DEO periculum imminere*, dixerim; §. 1092. Cave putes, *obstare humanæ Christi naturæ exemplum*. Aliud enim est humanam Christi naturam considerare, quatenus est Christi, aliud generatim, quatenus est humana. Sufficit illo respectu peccatis tentari plane non posse.

§. 1067.

Altero autem respectu si quis humanæ Christi naturæ possibile tribuat peccatum, plus non dicit,

quam hoc, *ex axiomate contradictionis*: idem non poteſt ſimul eſſe & non eſſe, *haud poſſe demonſtrari, quod caro Chriſti peccatis ſit ſuperior.* Quis vero vel hoc neget, vel dictu periculoſum exiſtimet? Notum eſt ſolius DEI, qua talis, *ἀναμαρτησίαν* ex principio contradictionis probari poſſe. *Cum DEus non eſſet* DEus, ſi quid mali deſignare poſſet. Ex ipſa definitione DEI ſanctitas omni poſſibili culpâ major ſequitur.

§. 1098.

Cæterarum naturarum omnium, quæ vel non ſunt DEus, vel in DEI perſona non exſiſtentes conſiderantur, v. g. *Caro Servatoris generatim ſpectata*, ea eſt conditio, ut ex ſolo principio ſufficientis rationis pendeat, quare vel non peccent, *in hac vita*, vel non peccare poſſint, aut peccare non poſſint, *in altera.* Sed quidquid non probari poteſt ex principio contradictionis, *ex rei definitione, & natura interna*, verum duntaxat nititur axiomate rationis ſufficientis, id illa ſua prædicata habet à concurſu eventuum extrinſecus naturæ ſupervenientium, qui quo plures confluunt, ut aliquid fiat vel non fiat, eo facultas rei vel eſt propior, vel remotior, vel ſi infinita ad rem impediendam concurrunt, ejus rei eventus infinite remotus eſt. Ita tamen, ut ſi ab illis extrinſecus accedentibus animum abſtrahas, res ex ſua definitione non impoſſibilis eſſet.

§. 1099.

Verum revertamur ad verba Viri illuſtris ſequentia cit. loc: *Neque hîc ſapienti oberit poëmatis & allegoriis, & fabulis & adumbrationibus, & variegationibus uti, quia ad rem per ſe optimam omnia media*

dia

dia recta sunt, & nemo magis indiget his quam sapientes, qui solent alioqui omnium minime affectibus obnoxii esse, ac proinde nec forti imaginatione valere atque hinc doloribus ægre obsistere, *ut prorsus credam mulierculam Japonensem, ideis quibusdam etiam forte ineptis de futura vita imbutam, facile profundissimum quemque Theologiæ Doctorem Europæum constantiâ superaturam fuisse.*

§ 1100.

Lumen animæ est vera sapientia de connectendis præsentibus cum futuris post mortem, solicita. Ardor autem mentis ponitur in affectuum vehementium nisu. Mira DEi circa dispensandas hominum dotes est providentia. Nam qui Luminis magno splendore per vitæ præsentis fata potiri non possunt, sæpenumero plus ardoris, pro colendo cœlestis gloriæ Domino, JESU, plus affectus, plus Zeli comprobant, quàm intelligentissimi, nec magnopere improbi, rerum divinarum æstimatores.

§. 1101.

Quod si improbos esse peritissimos religionis indagatores contingat, affectuum illa vacuitas, ut Pharisæorum Matth. 11. v. 25. similes sint, præstat eosdemque multum infra simplices & bene affecto, deprimit.

§. 1102.

Sed in una mente difficulter coëunt ambo dona, nempe fortis imaginatio & affectus, nec non præstantissima cognitio. Hæc requirit animum tranquillum, placidum, motibus superiorem, limpidum ut candidi cœlestis sapientiæ radii ad fundum usque

penetrantes reflecti possint. Concitatio autem affectuum mentem ~~motibus~~ ciet, animat, urget, protrudit, ut, si res deliberatæ sint aliunde, nihil accommodatius tali mente exsistat, ad res difficillimas exsequendas,

§. 1103.

Quibus observatis docemur, quare in magnis Ecclesiæ vexationibus animi firmitas contra insultus, vel infimos æque corroboret, quam sapientissimos Doctores: erudimur porro, dandam operam omnibus, ut in quantacunque sapientia non desit affectus, nec vero etiam in quantolibet affectu desideretur sapientia.

§. 1104.

Fit autem fortis, verba sunt Viri illustris, *imaginatio aut picturis, aut sonis, nam cæteris sensibus paullo crassioribus res non æque significantur.* Picturæ explicatiores, soni fortiores, quia illic status, hic motus. *Verba soni sunt memoriam picturarum inprimis, seu rerum visarum excitantes. Unde verba in carmina in cantiones redacta, quia simul & picturas excitant, & sonos exhibent, incredibilem habent vim movendi Nec dubito posse hominem cantibus in furorem agi, sopiri, excitari, irritari, ad risum, ad fletum, ad omne genus affectuum commoveri.*

§. 1150.

Pertinet huc Saulis, Hebræorum Regis, exemplum, quem dulces Musicæ soni, pulsatis à Davide instrumentis, à furore mentis in sanitatem asseruerunt. Ex eadem ratione mos sacra cantandi carmina in Templis Christianorum frequentatus est; cùm

cùm animata cantionibus phantasia intellectui diva oracula meditaturo majorem vim addere cognoscatur.

§. 1106.

Et video postremos Religionis instauratores hac arte usos esse, ut plebem cantionibus tota Germania Galliaque ad veriora sacra allicerent, quod quam incredibilem vim habuerit, nôrunt, qui sciunt perpetuis earum repetitionibus plebem tenerrima nunc quoque voluptate perfundi, & vix esse opificem, vix netricem, quæ non hac sibi jucunditate condiat laborem, ac tædium fallat.

§. 1107.

Ut cœlestia altius imprimamus menti, idem Paulus fieri jubet, Col. 3. v. 16.

§. 1108.

Unde statuo Poetas non posse melius de republica mereri, quàm si omnibus viribus in æterna felicitate omni colorum genere pingenda, atque animis imprimenda occupentur.

§. 1109.

Poetarum utilitas triplex est, una longe præstantissima ad felicitatem æternam Christianis cum dulcissimo affectu deprædicandam referri debet, altera hujus vitæ ambitu clausa partim eo spectat, ut linguarum studia promoveantur, quæ sine poësi torpent, partim ut lectores afficiantur jucunditate. *Et prodesse volunt & delectare Poetæ.* Utinam prima illa, de qua complures ne cogitant quidem, anteponeretur omnibus.

§. 1110.

Etenim vitia & cantionibus & dramatibus celebrantur, & jam praiudicium Plebis est cantiones amatorias elegantiores esse solere. Quod si commœdiæ ad vitæ æternæ pulcritudinem adumbrandam, & horribiles scelerum pœnas depingendas adhiberentur, melius cum genere humano ageretur.

§. 1111.

Si jam cantiones in animis summum gaudium excitare possunt, si militaribus tubis ad contemnendam mortem animantur milites, si denique omnes affectus arte musica moveri possunt, poterit memoria, quantum fieri potest viva, & expresse musica sibi quisque quoscunque affectus imprimere, & affectuum nonnullorum voluptatem. Sybaritæ præmia ei decernebant, qui nova genera voluptatis reperisset: Ego rempublicam christianam plurimum debituram ei arbitror, qui effecerit, ut summa sit jucunditas in pietate.

§. 1112.

Vitæ æternæ spem his ratiociniis firmat loc. cit. Vir illustris: *Somnia hoc distant à vita, quod phænomena vitæ sunt ordinata, & quod hinc sequitur universalia: neque enim mea satis ordinata essent, nisi alienis conspirarent, Quia tamen est aliquid in specie inordinatum in hac vita, non physice quidem, sed moraliter, consentaneum est superesse aliam vitam, cui collata hæc habet somnii instar, & morte nos evigilantes ad phænomena demum pervenire, in quibus huic quoque perturbationi remedium afferatur, ubi præmia pœnæque*

quæ corrigent, quæ in hac vita distorta VIDENTUR. Misc. L. p. 179. seqq.

§. 1113.

Somnium est status animæ, in quo varia ei contingere videntur, sine omni nexu, neque phænomenorum inter se, neque cum eventibus vigilanti occurrentibus, neque cum phænomenis aliorum. Quousque igitur phænomenorum nexus desideratur, eousque vere judicamus somnia.

§. 1114.

Quando improbos mortales infinita peccare videas, sine nexu secutæ pœnæ; ubi sine meritis hinc accipientium, ac illinc sine dantium judicio, multa multos consequi & indulgere cernas; si immerentes opprimi, evectos ex adverso insolentissimos observes; si omnia pro arbitrio potentissimorum quorumque agi videas, si bella, cædes, tumultus, rumores vel ob unius Principis contumaciam, ambitionemve oriri persentiscas, si rerum maximarum paucissimas à Magnatibus consulto, deliberate, vel certe honeste, sapienter, pie, probe susceptas mireris: SOMNII ID INSTAR HABET, sed suo tempore finiendi, quo phænomena quævis accuratissima coordinabuntur. Coordinabuntur autem post mortem.

§. 1115.

Noli admirari omnia. Aliquid somnii hæc vita habet, etiam quum se vigilare putat, aut revera vigilat. Ut primum homines in Protoplasto perdiderunt veram sapientiam, i. e. *facultatem præsentia facta adcurate connectendi cum rebus prosperis post obitum futuris, vel post hanc vitam eventuris*, ex

eo

eo tempore somniis indulgere cœperunt, figmenta, lusus, deliria antepositori factorum veritati, quæ in agendorum sempiterno, nec unquam, exactâ hac scenâ presenti, interrumpendo nexu ponitur.

§. 1116.

Quantum sentimus opera DEI, v. g. ordinatos cœli cursus, dierum noctiumque vicissitudines, temporum periodos statas, telluris pulcerrimo ordine distinctam fecunditatem, corporis nostri, quousque mentis imperio non subsunt, ad mechanismi leges exactissimos motus, *tantum revera nos vigilantes judicamus recte:* Sed quatenus errores nostri opera divina *interstrepunt*, quatenus non compositæ imperium phantasiæ in eligendo aut respuendo sequimur, quatenus sensu ad præsentia, fluxa profecto & propediem ruitura, alligati, nexum cum futuris posthabemus: *An tu eo vivendi modo nos non somniare credis?* Cognosces profecto somnium, ubi, facto per mortem hinc discessu, ad te ipsum rediturus evigilaveris.

§. 1117.

Sed cavendum tibi etiam est, ne tu, secundum plura phænomena *somnians*, §. 1114. temere de DEo judices, qui omnibus suis rebus *invigilat.* Delirium est judicari à somniante vigilantem. *Cur igitur*, inquis, *sanctissima Trium Vigilum* Daniel. 4. v. 14. *consilia tot maligne febricitantium somnia agitari permittunt?*

§. 1118.

Accipe responsionem à calamo Viri illustris: *Dum in hoc mundo versamur non sumus in vero centro:*

tro. Consideramus miranda DEi opera & creaturas non aliter ac si inter scenas Theatri cujusdam secundum regulas Optices pictas constituti essemus, ubi nihil nisi rudera, figuras inconditas & male cohærentes reperimus, & artem Magistri admiramur quidem, sed pulcherrimo prospectu universi frui non possumus. Si quando ad πȣ̃ beatorum perveniemus, totum universum tanquam in vero centro nobis erit aspectabile, miraculum voluptate intuentium.

§. 1119.

De gloriæ æternæ gradibus sic sentit Vir summus: *Videbunt pii divinum* NUMEN *in vita æterna, sed dabuntur perfectiones & gradus in intuendo, perinde ut multi unam eandemque imaginem contuentur, pars scil.* clarioribus, *pars oculis paululum* caligantibus, aliis propius, *alii* longinquius. *Omnes cernunt eandem imaginem, sed adspectus cujuslibet distinctus est, quoad lumen & radios oculorum.*

§. 1120.

A nullo spiritu finito abesse possunt sensus. Sensus quippe sunt finitæ cognitionis termini, quod alio scripto probatum hîc non repeto. Cum igitur anima hominis ab hoc crasso corpore separata sensus, & phantasiam, ex sensibus oriundam, habitura sit; iis etiam afficietur in vita æterna.

§. 1121.

Sensus omnes nihil sunt in quolibet spiritu, nisi facultates percipiendi res corporeas, quarum caussas & similitudines mutuas investigando, intellectûs demum functiones incoantur. Cum igitur

anima

anima ſeparata ubique ſenſus ſibi conjunctos geſtura ſit, eadem ratione repræſentabit ſibi etiam corpus conjunctum, ſine cujus idea nulli omnino ſenſus exerceri poſſunt. Habebit igitur & anima corpore terreſtri ſoluta quoddam ſubtile corpus, quo incomparabilem DEi gloriam, cœleſtem, inacceſſamque lucem & materiam, 1. Tim. 6. præſentiæ Majeſtatis conſpicuum ſignum, jucundiſſime ſentiet.

§. 1122.

De quo Vir celebris ita: *Deponemus quidem Corpus ſed non totum, ac retinebimus ſubtiliſſimam ſubſtantiam*, (Quinteſſence) *ſicut Chymici exaltare poſſunt corpus, vel maſſam, defecatiſſimâ parte remanente. Uſus eſt jampridem ſimilitudine quâdam chymica Æneas Gazæus, ut credibiliorem redderet corporum noſtrorum glorificationem futuram. Inducit enim Statuarium, qui circa confractam & disjectam ſtatuam id præſtet, ut ejus arte æs in aurum vertatur, redeatque aureus Achilles, qui prius fuerat æneus.*

§. 1123.

Sed plurima de præſenti dogmate reſervanda experientiæ prorſus novæ & inexplicabili, cum non habeamus illud corpus, illis ſenſibus veſtitum, qui percipiendis tam celſis rebus accommodati erunt. An cœcus de luce, an ſurdus de ſonorum concentu recte judicet? Sine ſenſuum vero experientia, quæ intellectus principium & occaſio eſt, nullum ratiocinium perfectum oritur.

Cap. IX.



Cap. IX.

De poenis aeternis.

§. 1124.

ARgumentum Viri illuſtris pro pœnarum ſempiterna duratione hoc eſt: *Tempus purgationis tam diuturnum eſt, quamdiu opus eſt animam in intelligenda ſatis priſtini peccati ſui malitia verſari, dolor ergo iſte conſiſtit in viſione peccati ac Diaboli, quemadmodum gaudium cœleſte in viſione boni & DEi.*

§. 1125.

Viſio mali, quam Vir ſummus appellat, eſt ſenſus culpæ vivaciſſimus, qui quam acerbus, teter, horrendus, acutus, & vehemens ſit, eorum, qui, ſalute deſperata, furibundi hinc diſcedunt, exemplo cognoſcitur. Omne peccatum ex ſe ipſo pœnam parat, ſed improba obſtat ſecuritas, quo minus continuo eam perſentiſcat.

§. 1126.

Qui in inimicitia erga DEum obeunt, eorum MALUM INFINITUM *eſt, quia voluntas nocendi malum infinitum eſt. Qui enim nocere vult, non id tantum voluit, quod nocuit, ſed & ea omnia, quæ cum non poſſet, intermiſit, quæ ſunt infinita. Actus vero nocendi ſine voluntate definitam naturam non habet.*

§. 1127.

Infinitum apud Mathematicos appellatur, *in quo nulli aſſignari poſſunt limites, ultra quos non poſſit ampli-*

amplius augeri, Sed ejusmodi est voluntas nocendi in cive rebelli. Nam quicunque data operâ, & consulto peccat, omni loco, omni tempore, in eodem rerum non individuarum, sed quoad speciem, concursu, peccasset idem; sed cum illa varietas infinita, i. e. talis sit, ut terminus assignari nullus queat, infinitam nocendi voluntatem fuisse oportet.

§. 1128.

Qui destinato consilio crimen designat, utitur in syllogismo practico majori propositione, quæ ita habet: *Quidquid mihi gloriosius, jucundius, utilius, id facturus jamjam sum, sive DEo adprobetur, sive non.* Sed hujus propositionis venenum per infinitum diffunditur nec enim assignari potest occasionum illarum, quibus æque delicturus esset, ac nunc delinquit Peccator, numerus certo termino definiendus: infinita igitur est nocendi voluntas.

§. 1129.

Sed cum voluntas nocendi infinita sit, §. 1128. cujus pœna in sensu tantæ malitiæ ponitur, §. 1125. nec vero sensus nostri vel subtilissimi nisi aliud ex alio, procedente tempore, percipere possunt: manifestum est, hominem in sensu malitiæ suæ infinitæ per §. 1127. nunquam perventurum ad finem i. e. pœnas sine fine duraturas.

§. 1130.

Aliud argumentum Viri celeberrimi hoc est: *Cette methode de deriver le mal de peine du mal de coulpe, qui ne sauroit être blamée, sert sur tout pour rendre raison de plus grand mal physique, qui est*

LADAM-

LA DAMNATION. *Ernest Sonerus -- avoit fait un petit discours intitulé, Demonstration contre l'eternité des peines. Elle etoit sur ce principe assés debattu, qu'il n'y a point de proportion entre une peine infinie, & une coulpe finie.*

§. 1131.

On me la communiqua -- & je répondis, qu'il y avoit une consideration à faire, qui etoit echappée à feu Msr. Sonerus, c'etoit qu'il suffisoit de dire, que la DUREE DE LA COULPE CAUSOIT LA DUREE DE LA PEINE; *que les damnez demeurant méchans, ils ne pouvoient etre tirées de leur misere; & qu'ainsi on n'avoit point besoin pour justifier la continuation de leurs souffrances, de supposer que le peché est devenu d'une valeur infinie. &c.*

§. 1132.

J'ay remarqué que plusieurs habils Theologiens ont rendu raison de la durée des peines des damnez, comme je viens de faire. Jean Gerhard Theologien celebre de la confession d'Augsbourg (in locis Theol. de inferno) allegue entre autres argumens, que les damné ont toujours une mavaise volonté, & manquent de la Grace qui la pourroit rendre bonne. Zacharias Ursinus Theologien de Heidelberg, ayant formé cette question: pourquoy le peché merite une peine eternelle, apres avoir allegué la raison vulgaire, que l'offense est infinie, allegue aussi cette seconde raison: quod non cessante peccato, non potest cessare pœna.

§. 1133.

Et le Pere Drexelius Jesuite dit dans son livre intitulé Nicetas, *ou l'incontinence triomphée, livr. 2. ch. 11. o. 9. Nec mirum damnatos semper torqueri, con-*

tinue blasphemant, & sic quasi semper peccant, semper ergo plectuntur. - - - Mr. Fecht allegue encore plusieurs celebres Theologiens Protestans pour le sentiment de Mr. Gerhard quoiqu'il en rapporte aussi qui sont d'une autre opinion.

§. 1134.

Fieri non poteſt, quin homo hoſtili & rebellionem ſpirante animo hinc diſcedens morte, illum affectum conſervet, cum nulla ratio (gratia DEI extrinſecus ſuperveniens) accedat, quæ mentem aliâ poſſet propenſione mactare: niſi Spiritus S. operationes tandem aliquando ad inferos usque penetraturas dixeris, ideoque palpabili ratione inſervias hypotheſi.

§. 1135.

Hæc ſunt, quæ de præſenti inſtituto tradere volui. Multo plura, eademque non inutilia potuiſſent addi, niſi conſtitutum fuiſſet, vel ipſam ſpeciem novitatis declinare. Cæterum ab allegando, quod moris hodie eſt, Scriptorum ingenti numero, manum abſtinui; cùm, ne in alterutram partem forte citatorum affectus irritarem; tum vero etiam quod oculis obverſabatur illud Viri illuſtris ſcite dictum:

§. 1136.

Je ne mets entre les perfections que ce qui nous peut rester apres cette vie; Et la connoiſſance de faits eſt à peu pres com me celles de rues de Londres, qui eſt bonne pendant qu'on y demeure. *Je fais grande distinction entre les connoissances solides, qui augmentent le Thresor du Genre humain,* & entre la notice des faits, *qu'on appelle erudition vulgairement.* Miſc. p. 27. 28.

DI-



DIDACTICA.

GENERALIS CÆTERISQUE FACULTATIBUS COMMUNIS.

DE RATIONE STUDIORUM IN UNIVERSUM.

§. 1137.

STudiorum ratio est species quædam Rationis status, id est, modus perveniendi ad statum actionum perfectarum.

§. 1138.

Status autem iste dicitur Habitus; quem definio: Agendi promtitudinem acquisitam permanentem.

§. 1139.

Subjectum Habitus est, quicquid actionis capax est. Nam & inanimata certis actionibus assuefieri posse, constat: Ita Chymici multis circulationibus spiritum vini volatilissimum reddunt, & multis distillationibus ac cohobationibus cum menstruo, ipsa metalla supra alembicum itura communi consensu docent. Laminas etiam multis flexionibus habitum certo modo resiliendi acquirere, docuit in Elementis de corpore. Th. Hobbes.

§. 1140.

Bruta docilia esse, dubitare non potest, qui vel Hier. Rorarii libellum, quod bruta ratione utantur melius homine, vel Pliniania Elephantis funambuli miracula, vel Elephantis Canisque Panegyricos in

Lipſii Epiſtolis legit. Quæ omnia credibilia fecit Viennenſe nuperum choreas ducentium equorum ſpecimen.

§. 1141.

Cumque infantes extrinſeco rationis uſu primis annis a brutis parum differant, informatores eorum a brutorum doctoribus nonnulla non incommode mutuabuntur. Habent enim peculiaria ſua artificia magiſtri equorum, canum, avium; in loquendo, canendo, venando.

§. 1142.

Generale autem inſtrumentum eſt, eſcæ, cum parent, copia, cum abnuunt denegatio.

Quis expedivit Pſitaco ſuum Χαῖρε,
Corvos quis olim concavum ſalutare,
Picasque docuit noſtra verba conari?
Magiſter artis, ingenique largitor
Venter, negatas artifex ſequi voces.

Ita Balearica gens narratur non prius cibum pueris præbuiſſe, quam propoſitum ſcopum tetigiſſent. Et

pueris dant cruſtula blandi
Doctores, elementa velint ut diſcere prima.

Ab hoc more reſtat in nonnullis Scholis convictum habentibus, pœna jejunii, *das cariren.*

§. 1143.

Licebit hoc artificio ad infantes uti, non vero in liberalia ingenia jam ratione utentia, quibus pro pabulo corporis objiciendum pabulum animi, id eſt, honor. Unde ortus eſt claſſium Locationumque in Scholis Trivialibus, & Promotionum in Academiis mos. Et olim qui egregie ſteterant, a cæterorum puerorum corona cum laude do-

mum

mum deducebantur, quod exemplo Ciceronis constat.

§. 1144.

Tantum de Subjecto Habitus. Causa vel modus acquirendi est vel supernaturalis infusio; vel naturalis assuefactio, quæ in sentientibus, qua talia sunt, dicitur Doctrina.

§. 1145.

Infusio est vel Divina, vel Diabolica. Divinæ exempla habemus in dono linguarum Apostolico, etsi quidam ultra illam Ecstasin durasse non putent, quo sensu non esset habitus, quia non permanens. In Historia Ecclesiastica simile habemus exemplum de S. Ephræm Syro, qui precibus Basilii Magni subitam linguæ Græcæ cognitionem obtinuit. Nostris temporibus infusionis Diabolicæ in Mancipia sua, exempla non desunt. Nec hodie omnis infusio divina abesse putanda est, hoc enim fine Divinam studiis nostris benedictionem imploramus.

§. 1146.

Ab Infusione properamus ad Assuefactionem, quæ fit per actionis imprimentis quantitatem. Quantitas autem est vel extensiva, vel intensiva: Extensiva consistit in Actionum multitudine; Intensiva in magnitudine, seu ad habitum imprimendum fortitudine. Prius requisitum etiam vulgo notum est, cum dicunt: Habitum comparari crebris actionibus: de posteriori silent.

§. 1147.

Multitudinis seu crebritatis in agendo, efficacia confirmatur vulgari illo:

Adde parum parvo, magnum cumulabis acervum.

Et Ovidius canit

Gutta cavat lapidem, consumitur annulus usu,
Et teritur pressa vomer aduncus humo.

Quo pertinet Æsopi testudo, aquila celerior, & Germanorum proverbium, *Wer langsam geht, kommt auch nach.* Hinc fluxit illud generis humani artificium, rem, si tota oppugnetur, insuperabilem, per partes aggrediendi. Limâ marmora scindimus, montes corbibus avehimus, situla lacus exhaurimus. Ita in Arithmeticis ingentes summas per partes computamus, & in Geometricis campos in triangula partimur.

§. 1148.

Nata est ex hoc principio repetendi necessitas, a qua præcipue ultimum habitus requisitum, permanentia dependet. Usu enim compertum est, alios figuras celeriter accipere & amittere, ut tabulam æream; alios utrumque tarde, ut æneam. Quemadmodum alii flammas irarum celeriter accipiunt & amittunt, ut stipula; alii utrumque tarde ut ferrum ignitum. Hinc Pythagoræi negabant quenquam somnum capere debere, antequam.

Omnia totius repetiverit acta diei.

Repetitionem enim nocet esse nimis dilatam in annum usque, ut vulgo in Scholis fit: Sed decet sub noctem diurna studia, exitu septimanæ summam dierum, exitu mensis summam septimanarum, & fine anni summam mensium repetendo, summari, & ex singulis gradibus notatu dignissima ruminari.

§. 1149.

§. 1149.

Ex eodem fonte inſignis Didacticus Wilhelmus Schikardus mirabile Hebraicam linguam docendi derivavit artificium, quod in Horologio ſuo ipſe exponit, ſcilicet 12. pueros ſimul inſtituit, in hos Grammaticam ſic partitus eſt, ut alii regulas nominis, alii pronominis &c. alii partem hanc, alii aliam Syntaxeos tribueret. Lexicon etiam ſuum breve in eos deſtribuit, alii יא alii יב alii יג &c. aſſignando. Ita factum eſt, ut uno recitante aut reſpondente, cæteri attendentes portionem ejus tandem ludendo diſcerent. Et hac ratione hodieque in Scholis deceret non pluribus idem aſſignari, ſed lectionem in ſingulos diſtribui, qui ſimul juncti egregiam tandem harmoniam conſtituent.

§. 1150.

Et tantum de multitudine actionum, ſequitur earum intenſio ſeu magnitudo. Nam ſæpe una actio ſingulari quadam vi imprimendi facta, plus effecit multis repetitionibus, v. g. facti alicujus ſingularis, joci inexpectati, actionis cum ſingulari noſtra fortuna conjunctæ, v. g. quæ laudem vel pudorem nobis peperit, facile meminimus. Ex hoc principio infra § 1159. ubi de Mnemonica, oſtendamus notas quo ſenſibiliores ſunt, hoc plus memoriam afficere.

§. 1151.

Conſultiſſimum autem eſt, multitudinem magnitudinemque temperare. Quod fit egregie, ſi a minimis incipiendo, continue per gradus ad

ſumma creſcat actio. Quod & Chymici circa regimen ignis in aſſuefactione inanimatorum jubent. Milo Crotoniata memoratur tali artificio ſibi robur comparaſſe: Vitulum quolibet die ſemel ad certum uſque locum portabat, ita creſcente vituli pondere, creſcebat inſenſibiliter quoque robur Milonis: Donec ad extremum grandem taurum in Olympicis ludis, ſpectante tota Græcia geſtavit. Eadem ratione poſſit & ars bibendi diſci, ſi menſura aliquot ſeptimanis per vitra augeatur. Ita conjecit Gallus ille, qui cum in Acidulis Sualbacenſibus cerneret Germanos aquæ bibendæ magis magisque continua auctione aſſueſcere; credidit hunc eſſe ludum potatorium, *eine Sauff-Schule*, ubi Germani in aqua diſcant, quod in vino ſint præſtituri. Infantes quoque à literis per ſyllabas ad voces tandem legendas veniunt; & in Arithmeticis quanto magis numeri ſiniſtrorſum recedunt, tanto magis in decupla ratione creſcunt. De gradibus repetitionis vide quæ § 1149. diximus. Idem in oratione aliqua verbotenus ediſcenda commodiſſimum; ſi primo recitetur primum comma, deinde primum & ſecundum, denique primum ſecundum & tertium, &c. Quod & in nonnullis mulierculaRum ludicris uſitatum eſt. Qua ratione mirum, quam facile totum memoriæ imprimatur. Ignoſcat mihi ſeverus Lector, quod harum nugarum exemplo utar, quando conſtat nos in nugis quam ſeriis docendis ingenioſiores eſſe.

§. 1152.

Et hæc de Aſſuefactione ſeu cauſa habitus etiam ſenſu carentibus communi. Veniendum eſt ad Doctrinam

ctrinam. Docere enim est habitum efficere in sentiente, qua tale est, seu per sensum. Unde tota hæc ars dicitur Didactica, nam & qui sponte discunt, se docent, hinc iis αὐτοδιδάκτων nomen.

§. 1153.

Quemadmodum autem Medicina se habet ad animalis corpus, ita Doctrina ad animam: Cumque Medici sit curare 1. tuto, 2. cito, 3. jucunde; consequens est, idem & in cura animæ requiri, nempe ut doceatur 1. solide, 2. cito, 3. jucunde. Ex quibus primum facit ad esse, reliqua ad bene esse; primum ad ipsum habitum, reliqua ad modum commode introducendi. Primum autem duo continet, tum ut vera doceantur, tum etiam firmiter implantentur, ne cito elabantur, nam & Medicis recidiva cavenda est.

§. 1154.

Et illud quidem, ut bona doceantur, pertinet ad objectum Habitus, de quo infra dicemus. Ut vero firmiter implantentur, efficit actionum multitudo, ut cito, efficit magnitudo, quæ sunt causæ habitus inanimatis communes, de quibus §. 1146. seqq. satis dictum est.

§. 1155.

Ultimus vero scopus, ut jucunde doceatur, proprie hujus loci est, qui in animalia tantum cadit. In animalibus enim singularis quædam ratio est ipsa ita assuefaciendi, ut sponte sese ad doctrinam recipiendam capaciora reddant, quod fit voluptatem iis præstando, cum discunt, dolorem, cum aures obturant. Idque in brutis fit esca &

blanditiis; in homine utilitate (tanquam esca) & honore (tanquam blandimento.) De quo jam præoccupavimus dicere §. 1142. 1143.

§. 1156.

Jucunde autem discunt, tum si finis jucundus ipsis proponatur, tum si media discendi sint jucunda. De fine § 1156. dictum est. Media discendi jucunda sunt, si ludendo docentur. Quo mirifice faciunt Comœdiæ & Fabulæ. Hoc fine confectæ sunt Chartulæ Lusoriæ Geographicæ, Astronomicæ, Historicæ, Chiromanticæ, &c. & tesseræ Alphabetum continentes, quarum meminit Hieronymus ad Paulinam. Item Sales, Epigrammata, Picturæ, Carmina, Memorialia. Quo pertinet Ethica picta egregia, Principi juventutis Altenburgico, quem facta terris tantum ostenderunt, destinata; Emblemata Alciati, Suavedræque Politica; & Hutteni Theologica in Schola Cordis, & Ludus ille artificiosissimus, cujus meminit *Fr. Christian Rosen-Creutz*, in Nuptiis; ubi ad modum Ludi Latrunculorum virtutes in albo, vitiaque in nigro habitu, mira in se invicem arte pugnabant.

§. 1157.

Diximus primum de causa habitus communi, nempe Assuefactione, a §. 1140. ad §. 1151. utrinque inclusive; deinde de causa habitus brutis & hominibus tantum communi; Doctrina a §. 1152. huc usque. Restat, ut dicamus de causa habitus hominibus propria: Institutione.

§. 1158.

Habitus hominibus proprii sunt vel Memo-

riæ,

tiæ, vel inventionis vel judicii; unde & Didactica istorum habituum triplex: Mnemonica, Topica, Analytica. Possumus enim propositiones (quippe quæ soli homini propriæ sunt) memorare, facere, judicare. Topica autem & Analytica una Logicæ voce comprehenduntur, ex quo patet Logicam & Mnemonicam Didacticæ partes esse. Quibus denique Methodologia non immerito addetur. Mnemonica præstat materiam; Methodologia formam, Logica applicationem materiæ ad formam.

§. 1159.

Mnemonicæ fundamentum est res aliqua sensibilis, quæ dicitur Nota cum re memoranda certa relatione juncta, quæ est vel comparatio: Similitudo nempe & dissimilitudo; vel connexio, qualis est totius & partis, partis & compartis, causæ & effectus, signi & signati. Unde verba inventa sunt, alioqui fuisset hominibus difficillimum, rerum meminisse. Verba enim non tantum signa sunt cogitationis meæ præsentis ad alios, sed & notæ cogitationis meæ præteritæ ad me ipsum, ut demonstravit Th. Hobbes principio Elementorum de corpore. Ex Notis autem illæ maximæ Mnemonicæ sunt, quæ sensibilissimæ, ut sic dicam, adde §, 1150. Uti verba, quæ non audiuntur tantum, sed & cum voluptate, v. g. carmina, termini, ut vulgo vocant, clappantes, quales conjunguntur non sine magna discentium puerorum commoditate in nonnullis vocabulariis Item Allusiones, quo artificio Schickardus in Horologio Hebraico ad imprimendas discen-

ſcentibus radices, uſus eſt. Et mirum eſt, quantum tota harmonia linguarum & vocum congruitas hanc rem juvet. Non tantum autem notæ auditus, ſed & multo magis notæ viſus ad memoriam pertinent. Huc pertinent Hieroglyphica veterum Ægyptiorum, & hodiernorum Sinenſium, de quibus multa Kircheri Oedipus: Item diſpoſitiones rerum per cellulas, in obvia conclavis parte, & reliquæ in certa loca diſtributiones, de quibus Autores Mnemonici conſulantur, inprimis Joh. Henr. Alſtedius in Theſauro Mnemonico, & Janus Cæcilius Frey, in via ad ſcientias & artes; addanturque Winckelmannianæ Hiſtoriarum Adumbrationes per picturas, non utique ſpernendæ.

§. 1160.

Topicæ ſeu artis inventivæ fundamentum ſunt Loci, id eſt, Relationes tranſcendentes, ut Totum, Cauſa, Materia, ſimile, &c. Et ex rebus tali aliqua relatione nexis fiunt propoſitiones per artem combinatoriam, ut fuſe diximus in noſtra de arte Combinatoria diſſertatione. Nec contemnenda ſunt, quæ in hanc rem contulere Raym. Lullius in operibus variis, & Joh. Henr. Biſterfeldius in Epitome Artis Meditandi.

§. 1161.

Analytica ſeu ars judicandi, mihi quidem videtur duabus fere regulis tota abſolvi: 1. ut nulla vox admittatur, niſi explicata, 2. ut nulla propoſitio, niſi probata. Quas arbitror longe abſolutiores eſſe, quam quatuor illas Carteſianas, in prima Philoſophia, quarum primaria eſt, quicquid clara

clare distinctéque percipio, illud est verum: Quæ infinitis modis fallit.

§. 1162.

Methodologia seu ars disponendi versatur circa methodum. Methodus autem est vel naturalis, cujus hæc est regula, quicquid sine altero cognosci potest, non vero alterum sine ipso, illud alteri præponi debet; vel occasionalis, cujus nulla generalis regula tradi potest, sed variat infinitis modis. Qua de re plura disserunt Jacobus Acontius in libello de Methodo, & Epistola Stratagematis Satanæ addita; & Joh. Neldelius, & Abrahamus Calovius.

§. 1163.

Et hactenus de Causis habitus tam generalissimis: Actionum multitudine & magnitudine, & generali: jucunditate; quam specialibus: Arte Mnemonica, topica, analytica, methodologia. Sequitur Habitus objectum seu ipsa Actio, cujus est habitus.

§. 1164.

Cujus ratione Habitus est vel corporis vel animi. Habitus corporis vel sunt circa Actionem relinquentem ἀποτέλεσμα, vel sunt facti transeuntis. Artes opus relinquentes vel naturam promovent, applicando agens & patiens, & deinde cessando, uti Agricultura, Horticultura, Ars Pastoritia, antiquissimæ artium; Ars item Medica, Chymica, Veterinaria: vel suum solæ peragunt, totumque opus exequuntur, ut omnes illæ, quæ res tam diu jungunt, separant, vel transformant, donec prodeat certa ipsis optata figura. In conjun-

ctione

ctione consistit v. g. Ars pictoria, in separatione Statuaria, in transformatione omnes, quæ rebus primum liquidis, deinde consistentibus certam formam imprimunt, ut Metalli pel Vitri-Fusoria, Pistoria, Typochysia. Ut nunc non persequar infinitas pro objectorum varietate ex his actibus mixtas, quas fusius explicuit Cl. Erhardus Weigelius in Analysi Euclidea. Interea certum est, omnes in applicatione agentis naturalis; vel conjunctione vel separatione, vel transformatione rerum, vel his inter se mixtis consistere.

§. 1165.

Artes facti transeuntis, seu opus non relinquentes, dicuntur vulgo Exercitia, & consistunt vel in promotione alterius, vel simpliciter in motione mei. In promotione consistit Ars navigandi, currum agitandi, equitandi, chartas pictas artificiose miscendi, tesseras ita jactandi, ut quod velis cadat, ars jaculandi, parvæ pilæ vel majores, ludus conorum, *ludus* tabulæ betulinæ &c. Motio simpliciter est vel totius corporis, vel partis tantum. Totius corporis ut in Arte saltatoria, saliendi, currendi, funam bularia, & si hæc quoque addi posse videtur Ars volandi, cui proportione respondet Ars natandi. Partis certe motio pro partium variatione varia est, ut in oculis Ars flendi cum velis, in lingua ars distincte eleganterque loquendi vel canendi, ars item discernendi sapores vinorum aliarumque rerum, in gutture ars bibendi, & in stomacho (etsi alioqui viscerum internorum non datur ars) nonnullorum promtitudo hausta cum velint reeffundendi. Ita in labiis, ut alter ex

eorum

eorum formatione velut ſermone me intelligat, de quo Helmontius junior in edita nuper Diſſertatione de Alphabeto naturæ. Taceo de nonnullorum artibus digitos articulosque aut alia membra ſingulari aliis inconſueta ratione flectendi; item de arte præſtigiatoria, *von der Gauckel-Taſche*, quo pertinet & crumeniſecarum celeritas. Ex eodem fonte eſt Ars Muſica organica, quæ vel immediate digitis aut pedibus vel plectro aliquo mediante ſit. Denique omnium inter ſe & cum re præſenti membrorum harmonia comparatur. Arte Geſtuum, de qua præclare ſcripſit Scipio Claromontius. Quo pertinet Ars Hiſtrionica, quæ etſi olim contempta, hodie tamen etiam apud magnos viros non immerito in pretio habetur.

§. 1166.

Et hi ſunt Habitus Corporis, & ſi inter eos magnum diſcrimen obſervari debeat. Quanquam enim mediante corpore, omnes exercentur; nonnulli tamen habitus in ipſo corpore, ut ita dicam, ita ſiti ſunt, ut etſi animus omnes regulas pernoveris, artem tamen exercere non poſſit, niſi accedente corporis aſſuefactione v. g. in ludo pilæ in ſaltando in arte Muſica tam vocali quam organica &c. & hi proprie ſunt Habitus corporis. Habitus vero alii proprie ſunt in animo, & corpus tantum dictanti animo paret, nec ipſum quicquam artis conſtribuit, ut in artibus pleriſque ἀποτέλεσμα relinquentibus, & in Ludo Latrunculorum vel Aggerario, aliiſque ingenio ſitis, & in poteſtate artificis exiſtentibus.

§. 1167.

§. 1167.

Habitus animi nunc ſequuntur. Omnis autem actio animi eſt cogitatio, nam velle nihil aliud eſt, quam cogitare rei bonitatem. Omnis porro cogitatio eſt alicujus Propoſitionis. Meri enim termini ſimplices tantum apud bruta reperiuntur, hominis imaginatio nunquam eſt ſine aliqua reflexione.

§. 1168.

Propoſitio omnis eſt vel ſingularis, hinc Hiſtorica v. g. Magnes in Mecha Arabiæ ſurſum trahit loculum ferreum Mahumedis, fingamus enim exempli gratia, hoc ita eſſe, vel univerſalis contingens ex inductione ſingularium pendens, hinc obſervatio v. g. Magnes trahit ferrum; vel univerſalis Neceſſaria ex ipſis terminis demonſtrabilis, hinc ſcientia, v. g. Quicquid movetur ab alio movetur, vel ſi magnes trahit ferrum, neceſſe eſt corporea effluvia ex Magnete in ferrum ire.

§. 1169.

Hiſtoria igitur eſt mater obſervationum. De cujus natura, conſtitutione, partitione egregie Fr. Baconius de Verulamio in tractatu incomparabili de augmentis ſcientiarum, nec minus præclare in novo ſuo ſcientiarum organo. Quia vero in eadem materia dantur hiſtoriæ, obſervationes, & theoremata (ex quibus ſcientia conflatur;) v. g. Hiſtoria Fabii Maximi, qui ſub Cæſare Auguſto vixit, uxor fuit garrula, obſervatio ſeu Chria: mulieres ſunt garrulæ, Theorema ſeu Gnome: Garrulo nihil arcani committendum; ideo jam propoſitiones in univer-

universum non ratione copulæ & signi ut §. 1157. sed ratione terminorum partiemur.

§. 1170.

Termini porro sunt aut simplices aut compositi. Simplices sunt qui sunt indeclarabiles per terminos notiores, quia immediate sensui objiciuntur, ipsæ nempe Qualitates sensibiles. Quicquid autem habet Qualitates sensibiles, seu quicquid est sensibile illud dicitur Ens. Et hæc est perfectissima Entis definitio quoties enim probare volumus aliquid esse, probamus ex eo quia nos vel alii senserint, aut ipsummet, sensione immediata; aut saltem aliud quod sine ipso esse non potest, quæ est sensio mediata. Et Qualitates simul sumtæ, (seu imaginabilitas) constituunt Essentiam, Sensibilitas Existentiam, ex cogitatione autem plurium Entium simul, oriuntur Relationes, seu affectiones Entis. Nam ex coimaginabilitate seu coessentia oritur comparatio, huc idem, diversum; simile, dissimile, contrarium; Genus, species; universale singulare. Ex consensibilitate seu coexistentia oritur connexio, huc totum pars; ordo, unum, plura; necessarium contingens, connexum, causa, &c. Hinc fluit Metaphysica universa.

§. 1171.

Qualitates porro sensibiles in specie aliæ mente tantum percipiuntur; aliæ & phantasia, seu mediantbus organis corporis. Mente percipiuntur duæ tantum Qualitates sensibiles, 1. Cogitatio. 2. Causalitas. Cogitatio est Qualitas sensibilis intellectus humani; seu nescio cujus rei in

Oo nobis

nobis quam animadvertimus cogitare. Etsi quid sit hoc ipsum: cogitare, explicare non magis possumus, quam quid sit albedo, aut quid sit extensio. Hanc Qualitatem etiam Deo & Angelis inesse demonstratione colligitur. Circa hanc igitur Qualitatem sensibilem, quæ dicitur Cogitatio versatur Logica, post Metaphysicam nobilissima scientiarum, ab Aristotele ad Mathematicorum formam demonstrative tradita.

§. 1172.

Altera Qualitas sola mente sensibilis est causalitas, quando ex effectu per demonstrationem colligitur esse aliquam ejus causam, etsi latentem. Et hæc Qualitas præcisis aliis Qualitatibus, v. g. motu, figura &c. inest causæ Mundi, seu DEo: tum causis mirabilium quorundam factorum in mundo seu angelis, & denique animo nostro tanquam causæ motus corporis. Etsi modum causandi explicare non possumus. Et hæc est doctrina Pnevmatica, quæ agit de Entium incorporeorum actionibus ad extra; quemadmodum Logica agit de eorum actione ad intra, seu cogitatione. (quo pertinet & Philosophia Practica seu doctrina de jucundo & utili, & justo, seu eo, quod communiter utile est.) Hujus loci est demonstratio existentiæ DEi & attributorum ejus, Angelorum item, & mentis incorporeæ in nobis, seu immortalitatis animæ. In quibus rebus propriis meditationibus mirabili ratione ad Mathematicam certitudinem pervenimus, quod nos longe majoris æstimamus ad tranquillitatem mentis, & fidu-

& fiduciam æternitatis, quam si vel perennem motum vel quadraturam Circuli invenissemus.

§. 1173.

Qualitates organis corporeis sensibiles sunt vel communes pluribus organis, nempe: numerus, (qui omnibus sensibus externis percipitur) h. e. Arithmetica: & extensio ejusque varii modi, (quæ visu solum & tactu percipitur) hinc Geometrica. Porro quicquid præter extensionem & numerum aliam adhuc Qualitatem sensibilem habet, id dicitur Corpus. Quicquid non habet dicitur Vacuum. Hic jam oritur Physica. Sensus autem simplicissimus est tactus, quo percipitur, motus. Quæ explicare est generalis Physicæ: quia ut deinde demonstrandum est in cæteris qualitatibus nihil aliud est, quam subtilis motus per quem assumta extensione, cæteræ omnes explicari possunt. Sunt & qualitates tactus speciales: soliditas, fluiditas, tenacitas, glabricies &c. Quantum ut & Lucis Colorumque, tum sonorum, odorum, saporum historia diligentissime colligenda est, ut tanto facilius causa per materiam & motum reddi possit.

§. 1174.

Philosophiam abstractam de Qualitatibus sequitur Concreta de Rebus, in quas hæ Qualitates coierunt. In qua nihil aliud fit quam quod historice rerum Qualitates recensentur, & nihil denuo demonstratur, sed subsumtio tantum fit ex prædemonstratis in Philosophia abstracta. Hic agitur de DEo Angelis, Mente nostra; igne, vaporibus, Meteoris, aqua & speciebus liquorum

variis; terra, speciebus, vultis terræ seu mineralibus; plantis; denique animalibus. Hic igitur non qualitatum connexio inter se & cum subjectis sed subjectorum connexio cum qualitatibus recensetur. Poteſt hæc Philoſophiæ pars dici: ἰδιογραφία. Quem admodum præcedens: ποιογραφία.

§. 1175.

Concludat denique Coſmographia, in qua exponitur ſubjectorum connexio inter ſe, quomodo revera in mundo diſpoſita ſunt: hiſtoria motuum cœleſtium ſphærica & Theorica; Aſtrognoſia, obſervationesque recentiorum, breviter Hiſtoria Mundi univerſi rerumque inde usque a creatione ejus memorabilium. Quo pertinet Chronologia, Hiſtoria univerſalis & certarum regionum, nationum, ſtatuum, generum vitæ, &c. Hac mea diſciplinarum partitione certus ſum omnia exhauſiſſe; Ipſaque ſcientiarum elementa breviter, ſed ſolide adumbraſſe.

§. 1176.

Poſtquam a §. 1163. huc usque de diſcibilibus diximus: excerpamus jam ex iis diſcenda, modumque ſtudiorum ſummatim delineemus. Primum quod infanti diſcendum, eſt Lingua. Hic detur opera ut eadem celeritate per uſum Latinam, qua patriam imbibat, etſi opus non ſit in nominibus ſimplicium v.g. ſtirpium, animalium, &c. latinis, nimis diſtineri, raro enim occurrunt. Hoc fiet ſi certa diei parte v. g. mane ſit inter Pædagogum & condiſcipulos latine, a meridie

inter

inter ancillas & conjugem, vernacule loquentes. Hac arte Abericus Gentilis filium suum infantem tres linguas simul docuit. Ipse cum eo loquebatur Latine, conjux Gallice, domestici Anglice, quæ ipsi vernacula erat lingua. Alterum hoc tempore studium sit gestuum, veniat igitur quotidie inter homines moratos cultosque, ita facile spectando proficiet. Tertium sit historiæ tum universalis, tum in specie sacræ & status mundi præsentis.

§. 1177.

Cum vero sextum annum attigerit mittatur in ludum publicum, quæ res conversationem & tandem amicitias per vitam duraturas præbet; vivat parum apud parentes, ut discat ad propriam prudentiam refugere; assuescat exercitiis, arti Musicæ, saltatrici, gladiatoriæ, jaculatoriæ, pictoriæ aliisque in vita necessariis vel decoris; in primis vero elegantiæ verborum. Accedat vero & historiarum veterum specialior cognitio & diligentissima Matheseos cura, Arithmeticæ scilicet, & Geometriæ, & opticæ, & Staticæ, & Astronomiæ. Addantur ex Physica nomina tantum herbarum, mineralium, arborum, animalium, instrumentorum mechanicorum, quo pertinet Comenii orbis sensualium pictus, sed diligentius pingendus & coloribus convenientibus illustrandus. Addatur exercitium styli, non literis tantum, sed & sermone & quidem extemporaneo, ostendantur ei Loci discurrendi, memorandi, inveniendi per artem combinatoriam.

§. 1178.

A duodecimo ad decimum octavum: Liberalius tractetur, præceptoribus non subsit, sed amicis. Monstrentur ei naturæ artisque arcana majora, fundamenta artium mechanicarum, ut ex iis saltem, materiam, instrumenta, regulas principales & pretia sciat; item rationem commerciorum per orbem, ut dignoscat inter merces, sciat pretia, loca unde veniunt. Jam discat medicinæ rudimenta, Anatomiam, vires simplicium, rationes præparandi Pharmacopœorum & Chymicorum. Optandum enim quemlibet hominum esse aliquatenus medicum, imo J. Ctum & Theologum, scilicet ut Elementa & Theologiam saltem jurisprudentiamque positivam pernoscat. Igitur sciat Statuta suæ Reipublicæ & Leges regni, statum vero publicum non tantum sui Regni, sed & aliquo modo aliorum, ut possit tanto melius peregrinari. Discat Linguas Gallicam & Italicam; utque scripturam ipsam audire possit, Hebraicæ Græcæque tantum, ut inteliigere ipsi verus novumque Testamentum liceat. Declamet publice & in comœdias prodeat. Nam, ut recte H. Grotius, Rhetorica artium aliarum coronis, nonnisi haustispleris que accedit. Sit autem exercitium hoc non in latina solum, sed & vernacula. Sed primario exerceatur in ea professione, in qua suas aliquando dotes explicaturus est. Habeat quoque & librorum cognitionem, quæ mirum quantum & ornamenti & utilitatis præstat. Vivat hoc tempore non in Schola, sed Academia vel Aula & alio loco celebri, in quo in magnorum virorum

rorum notitiam familiaritatemque venire liceat, quod eſt fundamentum hodie promotionis. Neque enim amplius facile quisquam ex Academiis ad officia vocatur. Olim mos erat ſcribere ad Univerſitatem & egregii alicujus juvenis denominationem ab ea petere; hodie aliis artibus emergendum, unde non decet, Academias eſſe in locis ,minutis & obſcuris.

§. 1179.

Tempus omne vero a decimo octavo anno, vel ſi tardius ingenium ſit, vigeſimo, usque ad promotionem peregrinationi tribuatur, quo pertinet Medici Auguſtani,cujus nomen nunc non ſuccurrit, elegans tractatus de Medicina peregrinantium; obſervet noterque commoditates in cibo, potu, ædifiis,veſtibus agricultura, mechanicis, quas apud aliquem populum invenit. Obſervet & leges & conſuetudines ſingulares; ambiat notitiam magnorum Virorum, quæ peregrinis magis quam domeſticis patet inprimis ſecretariorum & miniſtrorum ſtatus. Si quas etiam memorabiles hiſtorias, ſi qua ſingularia naturæ & artis audit, diligenter notet. Ita obtinebitur finis peregrinantium, ut a regione ad regionem non ſolum mercimonia, ſed & artes deportentur. In primis vero ſi regio aliqua in certis manufacturis excellit, det operam ut artes eorum expiſcetur. Plura non eſt hujus loci dicere, ſummi Viri præoccuparunt.

FINIS.